UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Marcvlfi Monachi Formvlarvm Libri Dvo

Marculfus <Monachus>

Paris, 1635

urn:nbn:de:hbz:466:1-10644

Visual Library

M. 1
45.
Th. 4846.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ex legato Celmi Principis FERDINAN
DI Epi Paderb. et Monaster.
Anno 1683

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

MARCVLFI
MONACHI
FORMVLARVM
LIBRI DVO.

Item

VETERES FORMVLÆ
INCERTI AVCTORIS.

EX BIBLIOTHECA REGIA.

Accesserunt & Veteres aliæ incertorum Auctorum Formulæ ex Vetustiss. Codd.

HIERONYMVS BIGNONIVS nunc primùm edidit, & NOTIS illustrauit.

Collegij Soc^tis IESU Paderborn.

LVTETIÆ PARISIORVM.
Sumptibus HIERONYMI DROVART, via Iacobæa, sub scuto Solari.

M. DCXXXV

CVM PRIVILEGIO REGIS.

Ferdinandi Fürstenbergij

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ILLVSTRISS. AMPLISSIMOQ. VIRO

NICOLAO BRVLARTO

SILERIO, FRANCIAE CANCELLARIO

HIERONYMVS BIGNONIVS S. D.

PVBLICORVM priuatorumque negotiorũ vetuſtiſſimas formulas, à Marculfo & aliis eiuſdem ferè ætatis ſcriptoribus concinnatas, alterius quàm tui nominis auſpiciis, vir illuſtriſſime, in publicum proferre nolui nec ſanè debui. Principalium namque exemplа litterarum, & regum noſtrorum diplomata, ampliſſima dignitas iure quodam ſuo ſibi vindicabat: alioqui enim in leges com-

misisse meritò putarer, quæ anuli & imaginis principum cui præpositus es, rationem omnem tibi reddi sanxerunt. Iudiciorum quoque antiquissimum ordinem, negotiorum omnium gerẽdorum formam, quæ apud maiores nostros frequẽtabantur, non alium præter te patronum quærere par erat: te inquam quem togæ summum decus, legum sacratissimarum custodem, & gloriam litterarum, nõ tam illustrissimi muneris auctoritate quam meritis omnes agnoscunt. Doleo sanè Marculfum nostrũ trita, obsoleta & omnino rustica veste amplitudiné tuam salutare. Sed senex est & septuaginta iam annos natũ se scripsisse testatur, nunc certè nongẽtis aut mille annis maior est, sæculumque sine fuco repræsentat. Erunt fortasse qui specie magis quá veritate capti horridam illius canitiem aspernabuntur. Tu

vero ampliſſime Brularte omnium minimè ignoras hiſtoriam, & quæ ad eam pertinent, non tantùm delectare, ſed & omnino neceſſariã eſſe, quomodocunque illa ſcripta ſit, atque etiam vndique exquirendam. Tum à maioribus noſtris ſermonis elegantiam & extranei eloquij peritiam exigere fruſtrà ac forſitan inhumanum eſſet, quãdo ineſt omnibus rebus velut quidam orbis, adeo vt ipſi quoque Romani non modo moribus ſed eloquio à patribus degenerarint, vt diſertiſſimus ille Afer Tertullianus teſtatur. Vnum illud ſpõdere auſim plura hunc librum in receſſu præſtare, quã in fronte polliceatur. Rerum ſi quidẽ noſtrarum infinitas origines aperit, & permulta antiquitatis nõſtræ arcana recludit, quæ antea latuerant, denique omnino ad hiſtoriæ & iuris Francorum illuſtrationem confert. Quo

etiam nomine tibi hoc opus deberi nemo negauerit, qui & omnigenerisdiſciplinas apprimè calles, & horũ ſtudiorum ſcientiſſimus exiſtis. Prętereo præſtantiſſimas ingenij dotes, fœliciſſimè obitas legationes, maxima regni negotia à te geſta olim, hodieque geri; quin & altæ pacis qua fruimur, præcipuum auctorem, adiutorem & miniſtrum fuiſſe, ei conſeruandę ſub maximi regis auſpiciis diu elaboraſſe, ac tandem veluti clauo reipublicæ dies noctesq. incumbere. quæ quidem latius perſequenda eſſent, ni & laudum tuarũ copia & ingenij noſtri tenuitas obſtaret. Accipe igitur hoc munuſculum, ſua quidem natura tibi debitum, ab illo autem oblatum, qui & virtutum admiratione & beneficij memoria ſe tibi deuinctum eſſe profitetur. Me quippe memini cũ principi incomparabili HENRICO MAGNO

munuſculum litterarium De regum noſtrorum dignitate ſalutaturus adferrem, memini inquam me à te illi commendatum, tantáque comitate exceptum fuiſſe, vt planè ingratus ſim ni perpetuò meminerim. Sit ergo exiguum hoc donum mei in te obſequij & obſeruantiæ pignus, dum poſſim maiora, quæque te magis deceant, exequi. Vale, vir ampliſſime, Lutetiæ Pariſiorum Kal. Decemb. CIↃ IↃ CXXXV

LECTORI.

MARCVLFI, quem nunc damus, erudite Lector, plures docti viri meminerunt. Sed quis fuerit, & quo tempore vixerit nihil certi ab illis proditum est. Quidam vero in vniuersum circa primam regũ nostrorum familiam illius tempora coniecerunt. Adhuc tamen dubium remanebat ex librorum varietate, quibus permulta posterioris ætatis scriptores infarcierant. Verùm, exemplar quod nacti sumus, omnium facilè optimum, nos amplius dubitare non sinit. Præfixa siquidem ab auctore ipso epistola docet professione monachum, & septuaginta annos natum cum hæc scriberet fuisse. Deinde cum Landerico papæ opus inscribat, facile apparet, Landericum illum Parisiorum episcopum fuisse, qui Chlodoueo Dagoberti filio rege claruit, circa annum æræ Christianæ DCLX. Nulli quippe alij Galliarum episcopi hoc nomine reperiuntur, neque Landerici Parisiẽsis tempore, neque multis post annis. Tum Papæ nomen omnibus episcopis passim tribui solitum sub prima

regum Francorum dynastia notum est: quod licet sub secunda aliquatenus continuatum sit, rarius certè vsurpatum reperitur. Accedunt & aliæ certissimæ cõiecturæ ex totius libri lectione, quibus permulta occurrũt, quæ vix possunt ad aliud tempus referri, & planè Merouingorum seculum redolent. Quis enim cum Maiorum domus non semel repetitam mentionem aduerterit, non continuo deprehendat eo tempore Marculfum scripsisse, quo Maiores domus vice regia, omnia regni negotia pertractabant, imo verè sub alieni nominis specie imperabãt? quod à Dagoberto cœpisse scriptores notant. Omitto Patritios sæpius nominatos, quos sub Carolinis rarò aut nusquam reperiri à doctis obseruatum est. Alia sunt infinita indicia quæ cordatus lector facile animaducertet. In qua autem ciuitate Marculfus vixerit, ex qua sit oriundus, aut cuius cœnobij monachus extiterit, nobis planè incõpertum est. Quod si diuinare liceret, suspicarer eum in aliquo Parisiensis diocæsis monasterio regulariter vixisse, cùm Landerico Parisiorum antistiti librũ suum inscribat. Quicquid sit vtilissimus certè auctor est, & à doctis non frustra expetitus. Nam vt omittam eo sæculo scripsisse cuius pauca nobis hodie supersunt monumenta, sanè permultas docet rerũ nostrarum origines, magistratuũ & dignitatum munia, Iuris dicendi formam, quæ tum

recepta erat, Ius denique ipsum, quo maiores nostri vtebantur clarè ostendit: quando non aliud certius iuris obseruati indicium requiri potest, quàm cuius vsum ex formulis tum vsitatis deprehendimus. Quæ pars nostræ antiquitatis vt inter cæteras fructuosa, ita obscurissima & intacta ferè remansit: quo nomine doctis omnibus & nostri Iuris peritis acceptiorem Marculfum fore confido. Leges quoque veteres, Salicam scilicet, Ribuariam, Alamannicam, Saxonicam, Baiuuaricam & cæteras eiusmodi, quæ à Germanicis gentibus tot sæculis obseruatæ sunt, non aliũ meliorem habent interpretem. Idipsum de Caroli Magni, Ludouici Pij & Caroli Calui constitutionibus, seu vt tum dicebant Capitulis, dici potest. Ipse etiam Gregorius Turonẽsis, quo digniorem historicum nõ habemus, multis locis à Marculfo lucem accipit, & omnino illustratur. Idem & in plerisque medij æui scriptoribus obtinet. Quinimò & ad iuris Romani pleniorem cognitionem non parum conferre, adseuerare ausim. Sed commendatitijs in publicum proditurus non eget, qui tot præstantissimorum virorũ ingenijs sæpè iam commendatus est. Cuiacium dico, Brissonium, & Pithœos fratres clarissima lumina, qui ex eo perplura immortalibus suis scriptis inserendo, non leuem eius auctoris gustum cæteris dederunt. Defuturos tamen non dubito qui ser-

monis duritiam, & ineptam planè rusticitatem exhorrescant. Facilis verò defensio est. Nam ab eo de Latini sermonis peritia edoceri non petimus. Mores illorum temporum etiam sermonis inculta rusticitas penitius ostendit. Sæculo sanè infæliciſsimo vixit, quo omnes disciplinæ & litteræ penitus obrutæ & sepultæ erãt, adeo quidem vt qui melioris doctrinæ quid attigissent, veluti nouæ alicuius & prauæ opinionis auctores, aut vt magi & malefici damnarentur. Qua occasione lectorem monitum velim, ne varijs solœcismis qui sæpius occurrunt offendatur, nec operarum typographicarum vitio imputet, quamquam optimè emendatum esse non equidem præstiterim. Sed meminerit prout in authentico exẽplari scriptum est ita editum esse: nam si ea omnia immutanda fuissent, non iam Marculfus sed alius proditurus auctor videretur. Dubitaui certè vtrum Marculfo, an potius scriptori vitia eiusmodi adscriberem, & vero à scriptoribus permulta in eo deprauata facilè crediderim, sed ita ferè Marculfum scripsisse haud dubium est, cum id ipsum in reliquis eiusdem æui monimentis deprehendatur. Atque adeo plura in Gregorio Turonensi occurrunt, & infinita propè in manuscriptis codicibus, quæ ab ijs qui ediderunt immutata sunt. Neque aliter eum scripsisse dubitari potest, cum historici operis initio id deprecetur:

prius, *inquit*, veniam legentibus precor, si aut in litteris, aut in syllabis grammaticam artem excesſero, de qua adplene nō sum imbutus. *Eadem excusatione vtitur & Benedictus Leuita in collectionis suæ præfatione. Quo fit vt existimem de eo sermonis genere sensisse patres Synodi Turonensis III sub Carolo Magno, cum vnumquemque episcopum decreuerunt curam habere vt homiliæ sanctorum in rusticam Romanam linguam transferrētur, quo facilius possent intelligi. Nam & rustico sermone de miraculis B. Martini libros Gregorium Turonensem scripsisse ipsemet testatur Historiar. lib. v. eandemque excusationem repetit initio libri primi De gloria confessorum*: qui nullum argumentum, *inquit*, in litteris habes, qui nomina discernere nescis: sæpius pro masculinis fœminina, pro fœmininis neutra, & pro neutris masculina commutas, qui ipsas quoque præpositiones, quas nobilium dictatorū obseruare sanxit auctoritas, loco debito plerumque non locas. Nam pro ablatiuis accusatiua, & rursum pro accusatiuis ablatiua ponis. *Quæ verba ideo adscripsi, quod quis fuerit rusticus sermo graphicè exprimant, & vt facilius Marculfo ignoscatur, qui adhuc infœliciore seculo vixit, nec vt ille fuit melioribus disciplinis eru-*

ditus. Nec tamen dubito hoc opus priſcis illis ſæculis non minore in pretio habitum fuiſſe, quàm Gnæi Flauij ſcribæ apud Romanos Legis actiones, adeò rari erant qui de negotijs quamquam ſuis ſcripta conficere & quæ vellent poſſent facile litteris mandare. Igitur in huius auctoris editione non parum laboris in perpurgando, nec minus curando ne quid temerè immutaretur: ea ſi quidem quæ ſcriptorum incuria manifeſto irrepſerant, emendauimus, dubia reliquimus, coniecturas tamen noſtras & emendationes in Notis appoſuimus. Vnum quidem Marculfi exemplar nacti ſumus, quod ex ditiſſima Regum noſtrorum Bibliotheca ſuppeditauit nobis eruditiſſimi viri Nicolai Rigaltij humanitas, ſed illud optimum & præſtantiſſimum: cum & Marculfi ad Landericum dedicatoriam epiſtolam contineat, & duorum librorum indices ſeu capitula ab auctore ipſo prænotata: vt planum ſit cæteras formulas quæ illis non continentur, Marculfi non eſſe: quod incognitum doctiſſimis viris impoſuit, qui librorum vitio quibus omnes formulæ permixtæ erant, quaſi ex Marculfo quæ Marculfi non erant pleraque laudauerunt. In eo quoque recenſendo vſus ſum excerptis quibuſdam codicis Pithœani, quæ à doctiſſimo viro Ioanne Sauarone Aruernorum Præſide ad me miſſa ſunt, cui multis nominibus me deuinctum nun-

quã dubitabo profiteri. Secundum porrò Marculfi librum in Regio exemplari excipiebant formularum capita quædam absque numeris, tum eiusdem voluminis initio aliæ plures formulæ: quarum hæc erat epigraphe CARTAS SENICAS: cuius nominis interpretatio mihi incognita est, nec valde laborandum de ea existimo, cum sit fortasse imperiti scriptoris commentum. Igitur eas etiam formulas in vnum colligaui, & Incerti auctoris Veteres Formulas inscripsi: ex quibus quædam sunt eiusdem æui cum Marculfo, quædam vero Carolo Magno imperante proculdubiò scriptæ apparent. Adiunximus & alias quæ XLVI. capita continent, quas ex vetustissimo codice descripserat, & mihi iampridem communicauerat Iacobus Sirmondus, cuius viri singularis eruditio cum pari humanitate certat. His vt facilius à cæteris discernerentur, titulus præfixus est FORMVLAE VETERES SECVNDVM LEGEM ROMANAM: quod ideo fecimus, quia ferè omnes iis scriptæ sint, qui lege Romana vterentur, cum in his sæpissimè reperias: Lex Romana exposcit, & secundum Legem Romanam: saltem Romana est obseruatio, quibus tamen nonnulla barbarici moris admixta videre est. Denique cum beneficio doctissimi viri, Caroli Labæi in manus nostras incidisset vetus Codex, quo ve-

teres quædam Formulæ continebantur, qui olim P. Danielis ac demum Iac. Bongarsij fuerant, eas quoque adiicere visum est, ne quid formularum desiderari posset. Vtere his Lector & fruere. VALE.

SVMMA PRIVILEGII.

CAutum est auctoritate Regis, ne quis in Regno Franciæ, aliisue locis suæ ditioni subiectis, *Marculfi Monachi Formularum libros duos, &c. cum Notis Hieronymi Bignonij*, absque Hieronymi Droüart Bibliopolæ Parisiensis permissu intra decennium imprimat aut diuendat: publicationis exemplarium, si quis secus fecerit, multa indicta, provt amplius in ipso diplomate continetur. Lutetiæ Parisiorum 15. Nouembr. 1612.

Sic signatum

De mandato Regis

POTIER.

INDEX CAPITVM ORDINE ALPHABETICO.

AEqualentia vel pactum pag. 258
Appennis 341
Breue sacramenti 348. & 367
Cautio 226
Cautio 315
Cautio de clauibus 394
Cautio de infracturis 413
Cautio de vinea 278
Cautiones 153
Cessio 251
Cessio 302
Cessio à die præsente 357
Cessio ad Ecclesiam 239
Cessio à die præsente ad Ecclesiam de villa 106
Cessio ad Ecclesiam à nouo ædificatam 217
Charta agnationis 231
Charta de agnatione si seruus ingenuam fœminam traxerit 156
Charta audientialis 59
Charta de causa suspensa 53
Charta de Ducatu, Patriciatu, aut Comitatu 30
Charta Donationis 118

Charta donationis, inter virum & fœminam de eorum rebus 115
Charta de mundeburde Regis & principis 54
Charta, vt filia cum fratribus, in paterna succedat alode 126
Charta obnoxiationis à patre in filiis facta 119
Charta paricla 79
Charta in puellam facta ab eo qui ipsam inuitam traxerit 320
Charta qualiter pater filium, vel nepotem de rebus suis meliorare potest 329
Charta qui suum nepotem meliorare voluerit 124
Charta sacramentalis 197
Commendatitia 407
Commendatitiæ literæ ad Abatem notum 182
Commendatitiæ literæ, ad Episcopum iam cognitum 181
Commutatio 337
Commutatio cum Rege 61
Commutatio de terris 229
Concambium de terra, vinea, vel prato 151
Concambium de villis 149
Concamiatura inter duos Abates 396
Conceſſio ad locum sanctum 42
Conculcatoria quam Abas facit ad hominem suum. 389
Confirmatio Regis ad locum sanctum 43
Confirmatio Regis de omni corpore facultatis 63
Confirmatio Regis, vel cuiuscumque principis eo qui ab hostibus est deprædatus, vel ab igne concrematus.

Confirmatio alia de omni corpore facultatis, ad monasterium 71
Iterum confirmatio, pro sæcularibus viris 46
Consensus ciuium pro Episcopatu 28
De causis alterius recipiendis 51
De causis commendatis 373
Donatio ad casam Dei 259. 400
De diuisione vbi Regis accesserit missus 50
De Regis anstructione 48
Donatio ad filios 281
Donatio ad sponsam 380
Donatio ad Ecclesiam post obitum 354
Donatio de parua re ad Ecclesiam.
Donatio Ecclesiæ 296
Donatio in sponsam facta 316
Donatio inter virum & vxorem quæ gestis sit alligata 322. 324
Donatio quam homo donat ad suum parentem 399
Donatio quam homo donat ad filium suum 391
Donatio quam pater donat filio suo 388
Editio legibus comprehensa 343
Emunitas 21
Emunitas Regis 18
Emunitas sanctorum 266
Epistola 286
Epistola qualiter extraneus homo in loco filij adoptetur 332
Epistola qualiter pupilli recipiantur 333
Epistola qualiter nepotes in loco filiorum instituuntur ab auo 330
Epistola collectionis 312

Epistola si aliquis rem Ecclesiæ ad vsum habeat,& de sua proprietate aliquid donet 171
Epistola, cum in loco filiorum,nepotes instituuntur ab auo 122
Epistola de Natiuit. Domini 180
Euacuatoria de cautione,si non inuenitur 165
Euacuatoria 253
Euacuatoria 372
Gesta iuxta consuetudinem Romanorum qualiter donationes,vel testamenta legantur 168
Gesta 284
Gesta manumissionis 286
Gesta 300
Hereditoria 273. & 277
Indiculus commonitorius, ad Episcopum 57
Indiculus generalis ad omnes homines 185
Indiculus Regalis 245. 256. 270
Indiculus Regis ad metropolitanum Episcopum,vt alii Episcopo benedicat 27
Indiculus precatorius ad Episcopum quē propositus transmittit ad Abatem 409
Indiculus ad alium Regem, cum legatio dirigitur, & verbis suggeritur commendatis.
Item Regis indiculus 246
Indiculus, ad laicum 60
Indiculus commendatarius ad viros illustres laicos 187
Indiculus quem Aba transmittit ad hominem pagensem 411
item Indiculus ad Episcopum,ad alium distringendum 58
Indiculus quem præpositus transmittit ad Abatem 410

Indiculus quem Episcopus transmittit ab Abatem 412
Indiculus ad omnes potentes palatinos, maximè ad cognitos sibi 188
Indiculus, cum Episcopus ad alium in resurrectione Domini eulogias dirigit 177
Ingenuitas 208.223.314.375
Ingenuitates 161.163
Qualiter pro natiuitate filij Regis, ex ordinatione dominica, Domesticus de villis regiis *Ingenuitates* facere debeat 189
Iudicium euinditale 77
Iudicium euindicatio de colono 201
Iudicium euindicatum 352
Iudicium, iuxta quod causa continet 365
Libellus dotis 131.254
Libellus Repudij 159.326
Litteræ commendatitiæ seu Formatæ 219
Mandatum 160.213.238.283.299
Mandatum ad gesta 169
Mandatum qualiter maritus negotium vxoris prosequatur 327
Notitia de alode euindicato 368
Notitia de cruce euindicata 392
Notitia de colono euindicato 195
Notitia de colonitio 247
Notitia de colona euindicata 202
Notitia de homine forbatudo 244
Notitia de homicidio 384
Notitia de herbis maleficis 250
Notitia de iactiuis 235
Notitia de mancipio 382
Notitia sacramentalis 248

Notitia de seruo quem colonus comparat 205
Notitia de seruo 198. 234
Notitia de terra euindicata 206
Obligatio 305
Obnoxiatio 226. 288
qui se in seruitio alterius Obnoxiat 155
Pactum inter parentes, de hereditate eorum 129
Pactum inter parentes 335
Pactum diuisionis inter fratres 402
Præceptum de clericatu 49
Præceptum donationis 35
Præceptum denariale 52
Præceptum Regis de Episcopatu 25
Præceptum, quorum ab hostibus, vel alio modo fuerint instrumenta incensa 67
Præceptum de læsiuuerpo per manum Regis 38
Precaria 176. 241. 262. 307. 353. 361. 405
Precaria de ipsa villa dum aduiuit
Præstaria de re Ecclesiæ ab Episcopis facta 174
Præstaria 243. 264
Prologus de iudiciis Regis, cum de magna re duo causantur simul 56
Prologus qui de magna re facit Ecclesiis donationem 96
Item alius prologus, cum ipsa donatione, ad hoc opus 97
Prologi tres de cessionibus Regalibus 40
Priuilegium 7. 13
Qui se in alterius potestate commendat 371
Quomodo ad Regem, Reginam, vel Episcopum pro natiuitate Domini, visitatione dire-

cta scribatur 179
Relatum quod dicitur apennis 271
Relatio cum iudicio 345
Relatio pagensium, ad Regem directa 70
Rescriptum ad Episcopum de visitatione 178
Redemptionale 275
Rescriptum ad Regem pro suo legato 32
Securitas 236.279
Securitas de homicidio 363.386
Securitas pro homicidio facto, si se pacificauerint 142
Si quis monasterium, aut Xenodochiũ de magna re vult instruere 87
Si quis contra voluntatem Regis egerit, securitas eis quibus eum persequi iusserit 65
Si quando masculus & fœmina pariter raptum consenserit infra quinquennium litigetur 350
Si quis aliquid seruo suo aut gasindo concedere voluerit 166
Si quis aliquam puellam inuitam traxerit 133
Si quis extraneum hominem in loco filiorum adoptauerit 128
Supplicaturium pro eo qui in monasterio conuersare desiderat 184
Qualiter in vno volumine *Testamenta* duarum personarum condantur 135
Traditoria de terra 233.265
Traditoria de manso, vel vinea 234
Traditoria 288.319
Tractoria legatorum vel minima facienda, ad iustius instar 33
Tracturia 397

Tracturia pro itinere peragendo 214
Venditio 225.304
Venditio de area infra ciuitatem 146
Venditio de casa vel area infra ciuitatem 370
Venditio de Campo 147
Venditio ad Ecclesiam 359
Venditio ad monasterium 403
Venditio de semetipso, qualiter homo liber venundetur 311
item Venditio 309
Venditio de seruo 310.377
Venditio de seruo ad Ecclesiam 380
Venditio de seruo aut ancilla 148
Venditio de terra 378
Venditio de villa 144
Vt leude samio promittantur Regi 82
Vt pro natiuitate Regis ingenui relaxentur 80
Vt causas auctorum adsumendi suorum aliqui licentiam habeant 75

FINIS.

MARCVLFI MONACHI FORMVLARVM LIBRI DVO.

DOMINO *sancto, meriti beatissimo & Apostolico sẽper honore suscipiendo, omníq; præconio laudis celebrando, Domino ac reuerẽtissimo Papæ Landerico, Marculfus vltimus ac vilissmus omnium monachorum.* Vtinam, ancte pater, iussioni vestræ tam efficaciter quàm spontaneè obtemperare valuissem, quia iam supra vires meæ possibilitatis conatus sum injunctum à vobis subire negotium, cum fere se-

ptuaginta aut amplius annos ex-
pleam viuendi: nec iam tremula ad
ſcribendum manus eſt apta, nec ad
videndum mihi oculi ſufficiunt ca-
ligantes, nec ad cogitandum ſuffi-
cit ebetudo. Quia iuxta dictum vo-
bis cuiuſdam prudentiſſimi viri: in
pueris creſcit ſenſus, in iuuenibus
viget, in ſenibus minuitur. Propter-
ea eleganter facere non potui vt
volui, feci tamen ordinatè vt potui,
non ſolum ea quæ iuſſiſtis, verum
etiam multa alia in hac ſcedola tam
præceptiones regales, quam cartas
pagenſes, iuxta ſimplicitatis & ru-
ſticitatis meæ naturam intimare cu-
raui. Scio enim multos fore, & vos
& alios prudentiſſimos viros & elo-
quentiſſimos acrhetores & ad di-
ctandum peritos, qui iſta ſi legerint
pro minima & velut deliramenta,
eorum comparata ſapientiæ repu-
tabunt, vel certe legere dedigna-

buntur. Sed ego nō pro talib. viris, ſed ad exercenda initia puerorum vt potui apertè & ſimpliciter ſcripſi, vt cui libuerit, is exinde aliqua exemplando faciat. Si vero diſplicet, nemo cogit inuitum, nec præiudicat mea ruſticitas eruditorum & rhetorum floribus verborum & eloquenti facundię. Sunt propterea nonnulla negotia hominum, tam in palatio quam in pago, quæ ſcribi non queunt antequá inuicem conferantur, & iuxta propoſitiones vel reſponſiones eloquia eorum tunc ſcribantur & geſta. Ego vero hæc quæ apud maiores meos, iuxta conſuetudinem loci quo degimus, didici, vel ex ſenſu proprio cogitaui, vt potui coaceruare in vnum curaui, & capitula prænotaui, vt facilius quod voluerit à quærenti inanteà ſcripto reperiantur.

INCIPIVNT CAPITVla ſcedolæ operis huius.

I. *Qualiter priuilegium condatur.*
II. *Conceßio Regis de hoc priuilegio.*
III. *Emunitas Regis.*
IIII. *Confirmatio de Regis emunitate.*
V. *Prꝫceptum Regis de Epiſcopatu*
VI. *Indiculus Regis ad metropolitanum Epiſcopum, vt alij Epiſcopo benedicat.*
VII. *Conſenſus ciuium, pro Epiſcopatu.*
VIII. *Charta de Ducatu, Patriciatu aut Comitatu.*
IX. *Indiculus ad alium Regem, cum legatio dirigitur, & verbis ſuggeritur commendatitiis.*
X. *Reſcriptum ad Regem pro ſuo legato.*
XI. *Tractoria legatorum vel minima facienda, ad iuſtius inſtar.*
XII. *Prꝫceptum donationis.*
XIII. *Prꝫceptum de leſiuuerpo, per manum Regis.*

XIV. *Prologi tres de ceßionibus Regalibus.*
XV. *Conceßio ad locum ſanctum.*
XVI. *Confirmatio Regis ad locum ſanctum.*
XVII. *Iterum confirmatio, pro ſecularibus viris.*
XVIII. *De Regis anſtrutione.*
XIX. *Preceptum de clericatu.*
XX. *De diuiſione vbi Regis acceſſerit miſſus.*
XXI. *De cauſis alterius recipiendis.*
XXII. *Preceptum denariale.*
XXIII. *Charta de cauſa ſuſpenſa.*
XXIV. *Charta de Mundeburde Regis & Principis.*
XXV. *Prologus de iudiciis Regis, cum de magna re duo cauſantur ſimul.*
XXVI. *Indiculus commonitorius, ad Epiſcopum.*
XXVII. *Item indiculus ad Epiſcopum, ad alium diſtringendum.*
XXVIII. *Charta audientialis.*

XXIX. *Indiculus, ad laicum.*

XXX. *Commutatio cum Rege.*

XXXI. *Confirmatio Regis de omni corpore facultatis.*

XXXII. *Si quis contra voluntatem Regis egerit, ſecuritas eis quibus eum perſequi iuſſerit.*

XXXIII. *Præceptum, quorum ab hoſtibus, vel alio modo fuerint inſtrumenta incenſa.*

XXXIV. *Relatio pagenſium, ad Regem directa.*

XXXV. *Confirmatio alia de omni corpore facultatis, ad monaſterium.*

XXXVI. *Vt cauſas auctorum adſumendi ſuorum aliqui licentiam habeant.*

XXXVII. *Iudicium.*

XXXVIII. *Charta paricla.*

XXXIX. *Vt pro natiuitate Regis ingenui relaxentur.*

XL. *Vt leude ſamio promittantur Regi.*

MARCVLFI MONACHI FORMVLARVM LIBER I.

Qui est de chartis Regalibus.

I. *De Priuilegio.*

DOMINO sancto & in Christo venerabili fratri illi abati, vel cunctæ congregationi monasterij illius in honore Beatorum illorum in pago illo cõstructi, ille Episcopus. Com-

pellit nos affectio charitatis veſtræ, radio inflammante diuino, illa pro veſtro quieti prouidere, quæ nobis maneant ad mercedem, & ea recto tramite, incóuulſo limite terminari, quæ perennem deinceps propitiante domino obtineant firmitatem: quia nó minor à domino retributio ſperatur futura pro ſucciduis contemplante temporibus, quam ad præſens munera pauperibus offerente. Et ne nobis aliquis detrahendo æſtimet in id noua decernere carmina, dum ab antiquitus iuxta conſtitutionem Pontificum, per Regalem ſanctionem monaſteria ſanctorum Lirinenſis, Agaunenſis, Luxouiéſis, vel modo innumerabilia per omne regnum Francorum, ſub libertatis priuilegium videntur conſiſtere, ſed pro reuerentia ſanctorum, Beatorumque omnium fratrũ implendo iuſſa, cuſtodiendo

præcepta, obedientiam propalabo. Quid vero vos, vel ſucceſſores veſtri, ſancto ſuadente ſpiritu deinceps cuſtodiatis, immo ſanctæ illius Eccleſiæ Epiſcopus debeat adimplere, huic paginæ credidimus inſerendum. Hoc eſt, vt de veſtra congregatione qui in veſtro monaſterio ſancta debeant baiulare officia, quum Abas cum omni congregatione popoſcerit, à nobis vel à ſucceſſoribus noſtris ſacros percipiat gradus. Nullum pro ipſorum honore præmium percepturus, altare in ipſo monaſterio prædictus Epiſcopus benedicat, & ſanctum chriſma annis ſingulis, ſi voluerint poſtulare, pro reuerentia loci ſine pretio concedat, & iuxta diſpenſationem diuinam cum Abas de ipſo monaſterio à Domino migrauerit, quem vnanimiter omnis congregatio illa monachorum ex ſemet-

ipsis, optimæ regulæ comparatum, & vitæ meritis congruentem, similiter sine præmio memoratæ vrbis Episcopus ipse promoueat Abatem. Nullam penitus aliam potestatem in monasterio, neque in rebus, neque in ordinandis personis, neque in villabus, ibidem iam cõlatis, aut deinceps regio munere, aut priuatorum conlaturis, vel in reliqua substantia monasterij, nos successoréque nostri Episcopi, aut archidiaconi seu cæteri ordinatores, aut quælibet alia persona prædictæ ciuitatis habere non præsumat: aut quodcumque de eodem monasterio, sicut de parochiis aut cæteris monasteriis, muneris causa audeat sperare, aut ferre. Nec de hoc quod à Dominum timentibus hominibus transmissum, aut in altario offertum fuerit, aut in sacris voluminibus vel quibuscumque speciebus

ad ornatum diuini cultus pertinet, aut præsens conlata vel deinceps conlatura fuerint, auferre præsumat. Et nisi rogatus à congregatione illa, vel Abate, pro oratione lucranda, nulli nostrum liceat monasterij adire secreta, aut finium ingredi septa: & si ab eis illuc pontifex postulatus, pro lucranda oratione vel eorum vtilitate, accesserit, celebrato ac peracto diuino mysterio, simplici ac sobria benedictione percepta, absque vllo requisitu domo studeat habere regressum. Vt quatenus monachi, qui solitarij nũcupãtur, de perfecta quiete valeant duce Domino per tẽpora exultare, & sub sancta regula viuentes, & beatorum patrum vitam sectantes, pro statu Ecclesiæ, & salute regis, vel patriæ, valeant plenius dominum exorare. Et si aliquid ipsi monachi, de eorum religione tepidi,

aut secus egerint, secundum eorum regulam ab eorum Abate, si prævalet corrigantur. Sin autem, Pontifex de ipsa ciuitate coërcere debet, quia nihil de canonica auctoritate conuellitur, quicquid domesticis fidei pro quietis tranquillitate tribuitur. Si quis autem ex nobis, quod Deus auertat, calliditate commotus, aut cupiditate præuentus, ea quæ sunt superius comprehensa, temerario spiritu violare præsumpserit, à diuina vltione prostratus, reatu anathematis subiaceat, & tribus annis à communione omnium fratrum se nouerit alienum. Et nihilominus hoc priuilegium perpetim maneat incorruptum. Quam constitutionem nostram, vt firmis subsistat vigoribus, & nos & fratres nostri domini Episcopi subscriptione & manibus nostris de-

creuimus roborari. Actum ibi, sub die illo, anno illo.

II. *Concessio Regis ad hoc priuilegium.*

ILle Rex, viris Apostolicis, patribus nostris, necnon & inlustribus viris, illi Comiti, vel omnibus Agentibus, præsentibus & futuris. Oportet enim clementiam principalem, vt inter cæterorum petitiones sacerdotibus debeat benignũ accommodare auditum, & quod pro timore diuini nominis postulatur, ponatur proculdubio ad effectum, vt fiat in mercedem coniunctio, dum pro quiete seruorum Dei congrua impertitur portio, quia fides perfecta non dubitat ad altissimi gratiam pertinere, quod secundum sacra elogia præcipuè domesticis fidei deuota mẽte impẽditur,

quia ſcriptum eſt. *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* Ergo dum & ille Epiſcopus, aut Abas, aut inluſter vir, monaſterium in honore illius, in pago illo, aut ſuper proprietate, aut ſuper fiſco, noſcitur ædificaſſe, vbi ad preſens ille Abas, vel turba plurima monachorum adunata eſſe noſcuntur: ad petitionem illius clementia noſtra, pro quiete ipſorum ſeruorum Dei, præceptionem vigoris noſtri placuit propalare, ſub quo tranquillitatis ordine, domino protegente ipſi monachi iuxta religionis normam perpetim valeát reſidere, elegimus, vt & hac ſerie debeat plenius declarari, quia nihil de canonica inſtitutione conuellitur, quicquid domeſticis fidei, per tranquillitatis pacem conceditur. Nec nobis aliquis detrahendo æſtimet in id noua decernere carmina, dum

ab antiquis iuxta constitutionem Pontificum, per Regalem sanctionem monasteria sanctorum illorum, vel cætera in regno nostro sub libertatis priuilegium videntur cõsistere, ita & præsens valeat Deo adiutore constare. Ergo, si quid in villabus, mancipiis, vel reliquis quibuscumque rebus, atque corporibus, aut regio munere, aut supra scripti illius, vel à quibuslibet est delegatum, aut deinceps fuerit additum, iuxta quod ab illo pontifice vel cæteris domnis Episcopis ad prefatum monasterium iuxta quod eorum continet priuilegium, quod nobis præfatus ille protulit recensendum, sancitum esse cognouimus, nullus Episcoporum vt diximus, nec præsens, neque si fuerint successores seu archidiaconi, vel eorum ordinatores, vel quælibet persona, possit quocumque ordine de

loco ipso auferre, aut aliquam potestatem sibi in ipso monasterio, præter id quod scriptum est adaptare, vel aliquid per commutationis titulum minuere, aut de ministerij ornamentis, vel de altari, vel de oblatione in altario inlata abstollere, nec ad ipsum monasterium vel cellulas eius, nisi tantum pro lucranda oratione (illud ipsum, si fuerit, cum voluntate Abbatis, vel eius congregationis) absque dispendio eorum, aliter accedere penitus non præsumat. Quo facilius secūdum delegationis votū, vel huius seriei auctoritatē, ad ipsum monasterium absque vllius inquietudine, ibidem cuncta proficiant in augmentis. Adiicientes, vt nulli penitus iudicum, vel cuilibet hominum licentia sit, de rebus præfati monasterij, absque voluntate eorum seruorum Dei, in aliquo iniquiter defraudari, aut temerario

merario ſpiritu ſuis vſibus vſurpare. Ne, quod primitùs eſt, & Dei iram incurrat, & noſtram offenſam, vel à fiſco graue damnum ſuſtineat. Illud nobis pro integra mercede noſtra placuit addendum, vt tam quod ex noſtra largitate, quàm delegatione ipſius, vel cæterorum, aut cuiuſlibet, ibidem eſt aut fuerit deuoluta poſſeſſio, quóque tempore, nulla iudiciaria poteſtas, nec præſens, nec ſuccidia, aut ad cauſas audiendum, aut aliquid exactandum, ibidem nó præſumat ingredi, ſed ſub omni emunitate hoc ipſum monaſteriú vel congregatio ſua, ſibimet omnia freda conceſſa debeant poſſidere: Et quicquid exinde fiſcus noſter, forſitan de eorum hominibus, aut de ingenuis, aut de ſeruientibus in eorum agris commanentibus, vel vndecumque poterat ſperare, ex indulgentia noſtra, in luminaribus

ipsius sancti loci, vel stipendiis sanctorum Dei, tam nobis in Dei nomine viuentibus, quàm per tempora succidentibus Regibus, & pro mercedis compẽdio, debeant cuncta proficere, vt pro æterna salute, vel fœlicitate patriæ seu Regis, constanter delectet ipsis monachis, immensam domini pietatem iugiter implorare. Quod præceptum decreti nostri, Christo in omnibus suffraganti, vt firmior habeatur, & perenniter cõfirmetur, subscriptione manus nostræ, infra studuimus confirmari.

III. *EMVNITAS REGIA.*

MAximum Regni nostri augere credimus munimentum, si beneficia oportuna locis Ecclesiarum, *aut cui volueris dicere*, benevola deliberatione concedimus, ac Domino protegẽte stabiliter perdurare

cõscribimus. Igitur nouerit solertia vestra quod nos ad petitionẽ Apostolici viri Domini illius, illius vrbis Episcopi, tale pro æterna retributione beneficium visi fuimus indulsisse, vt in villab. Ecclesiæ, quas moderno tempore aut nostro, aut cuiuslibet munere habere videtur, vel quas deinceps in iure ipsius sancti loci voluerit diuina pietas ampliare, nullus iudex publicus, ad causas audiẽdas, aut freda vndiq. exigẽdum, quocumq. tempore non præsumat ingredi. Sed hoc ipse Pontifex, vel successores eius, propter nomẽ Dei, sub integro emunitatis nomine valeant dominare. Statuentes ergo vt neque vos, neque iuniores, neque successores vestri, nec vlla publica iudiciaria potestas, quocumque tempore in villis vbicumque in regno nostro, ipsi Ecclesiæ aut regia, aut priuatorum largitate cõlatis, aut

qui inanteà fuerint conlaturis, aut ad audiẽdas altercationes ingredi, aut freda de quibuſlibet cauſis exigere, nec manſiones, aut paratas, vel fideiuſſores tollere non prę ſumatis; ſed quicquid exinde, aut de ingenuis, aut de ſeruientibus, cæteriſque nationibus, quæ ſunt infra agros, vel fines, ſeu ſupra terras prædictæ Eccleſiæ commanentes, fiſcus aut de fredis, aut vndecunque potuerat ſperare, ex noſtra indulgentia pro futura ſalute in luminaribus ipſius Eccleſiæ, per manum agentium eorum, proficiat in perpetuum. Et quod nos propter nomen Domini, & animæ noſtræ remedium, ſeu noſtra proſequenti progenie plena deuotione indulſimus, nec regalis ſublimitas, nec cuiuſlibet iudicum ſæua cupiditas refragare tentet. Et vt præſens auctoritas, tam præſentibus quàm futuris temporibus, in-

uiolata Deo adiutore permaneat, manus noſtræ ſubſcriptionibus infra roborare decreuimus.

IV. *CONFIRMATIO DE emunitate.*

PRincipalem quidem clementiam cunctis decet accommodare aurem benignam: præcipuè quæ pro compendio animarum à præcedentibus Regibus, parentibus noſtris, ad loca Eccleſiarum probantur eſſe indulta, deuota debemus mente perpendere, & congrua beneficia, vt mereamur in mercedem eſſe participes, non negare, ſed robuſtiſſimo iure per noſtra oracula conferre. Igitur Apoſtolicus vir ille, illius ciuitatis Epiſcopus, clementiæ regni noſtri ſuggeſſit, eo quòd ille Rex per ſuam auctoritatem, ſua manu ſubſcriptam, de villis Eccleſiæ ſuæ illius, quas ad

præsés possidebat, vel de eo quod à Deũ timétib. hominib. ibidẽ inantè à delegaretur, integrã emunitatẽ cóceſſiſſet, vt nullus iudex publicus ad cauſas audiẽdũ, vel freda exigẽdum, nec manſiones, aut paratas faciendum, nec fideiuſſores tollendũ, nec homines ipſius Eccleſiæ de quibuſlibet cauſis diſtringendum, nec ad vllas redhibitiones requirẽdum, ibidem ingredi nõ debeãt. Vnde & ipſam præceptionẽ iam dicti principis, ſeu & confirmationem illorũ regum, eorũ manib. roboratas, antedictus Pótifex nobis oſtendit relegendas, & ipſe beneficiũ circa eodẽ, vel memorata Eccleſia ſua, ſicut à ſupradictis principib. fuit indultũ, moderno tempore aſſerit eſſe cõſeruatũ. Sed pro firmitatis ſtudio, petit celſitudinem noſtrã, vt hoc denuò circa eodem, vel memorata Eccleſia ſancti illius, noſtra deberet auctori-

tas generaliter cõfirmare. Cuius petitioné, pro reuerétia ipsius sãcti loci, vt mereamur in mercedé sociari, plenissimá voluntatẽ præstitisse, vel confirmasse cognoscite. Prẹcipiétes ergo iubemus, vt sicut cõstat ab antedictis principib. de villis præfatæ Ecclesiæ domni illius integrã emunitatem absq. introitu iudicũ fuisse concessam; ita & inantea auxiliãte Domino inspectæ priorum principum auctoritates omnimodò cõseruentur: & neq. vos, neq. iuniores, neq. successores vestri, vel quislibet de iudiciaria potestate, in villas antedictæ Ecclesiæ, quas moderno tẽpore vbicumque in regno nostro possidere noscuntur, vel quæ inantea à Deum timentibus hominibus fuerunt conlatæ, tã de ingenuis, quã de seruientibus vel quibuslibet nationib. hominũ, in prædictis ipsius Ecclesiæ villis commanentibus, nec

ad agendum, nec freda exigendum, nec fideiussores tollendũ, nec mansiones, aut paratas faciendum, nec eos de quibuslibet causis distringédum, nec vllas redhibitiones requirendum, ibidem ingredi nó presumatis; sed sicut ipsum beneficium à iam dictis principibus iam dictæ Ecclesiæ fuit indultum, & vsq; modo conseruatum, ita & deinceps per hanc nostram auctoritatem generaliter confirmatum, in Dei nomine perenniter maneat inconuulsum; & quicquid exinde fiscus noster poterat sperare in luminaribus Ecclesiæ ipsius in perpetuum proficiat, & vt hæc auctoritas tam præsentibus quàm futuris temporibus inuiolata Deo adiutore possit constare, subtus eam propria manu describimus roborasse.

V. PRAECEPTVM DE *Episcopatu.*

ILle Rex, viro Apostolico illi Episcopo, quamuis nos ad administrandum gubernãdumque rerum status, præcelsis occupationibus regiæ sollicitudinis causa constringat, nihil tamen tam principali quàm Principi dignum est, vt cùm pastorali paululũ plebs destituta est præsidio, pro salute animarum, huiusmodi personis, locis celsioribus Pontificalem prospiciat committere dignitatem, in quibus maneat dupliciter sermo, vt populus magistrum actus Christi imitetur: qui plebem non minus pietate quàm seueritate constringat: qui sciat commissa sibi talenta assiduæ prædicationis sermonibus expolire, & acquisita multiplicatáq; gregis sui salute, ad ouile dominicum nullis maculis sordi-

datum valeat præsentare. Et quia cognouimus sanctæ recordationis domnum illum, vrbis illius Antistitem, euocatione diuina ab hac luce migrasse: de cuius successore sollicitudinem congruam, vna cum Pontificibus vel proceribus nostris plenius tractantes, decreuimus inlustri viro aut venerabili illi, in ipsa vrbe Pontificalem in Dei nomine committere dignitaté. Quem plerumque apud animos nostros, & actio probata commendat, & nobilitatis ordo sublimat, ac morum probitas, vel mansuetudinis & prudétiæ honestas exornat. Qua de re, statuta præsentibus ordinamus, vt cũ adunatorũ caterua Pótificum, ad quos tamen nostræ serenitatis deuotio scripta peruenit, ipsum vt ordo postulat benedici, vestra industria studeat voluntatis nostræ deliberationem referatis oraculis publicare, at-

que effectum Domino annuente sortiri. Quatenus dum Ecclesiā sibi à dispensatione diuina commissam, strenuè regere atque gubernare videtur, nobis apud æternum retributorem mercedem suffragia largiantur: & ille pro peccatorum nostrorum mole, indesinenter immensum Dominum debeat deprecari.

VI. *INDICVLVS REGIS AD Episcopum vt alium benedicat.*

DOmino sancto, sedis Apostolicæ dignitate colēdo, in Christo Patri illi Episcopo, ille Rex. Credimus iā ad vestram reuerentiā peruenisse, sanctæ recordationis illius vrbis Antistitem euocatione diuina de præsētis sæculi luce migrasse. De cuius successore sollicitudinē integra, cū Pōtificibus, vel primatib. populi nostri pertractantes, decreuimus inlustri viro illi, aut venerabili viro illi, ad præfatā vrbē Pontificalē

regulariter Christo auspice committere dignitatem. Et ideo salutationum iura digno debita honore soluentes, petimus vt cum ad vos peruenerit, ipsum vt ordo postulat benedici vestra sanctitas non moretur, & iunctis vobis cum vestris comprouincialibus, ipsum in suprà scripta vrbe consecrare Christo auspice debeatis. Agat ergo almitas vestra, vt & nostræ voluntatem deuotionis incunctanter debeatis implere, & tam vos, quàm ipse, pro stabilitate regni nostri iugi inuigilatione plenius exoretis.

VII. *CONCESSIO CIVIVM pro Episcopatu.*

SVggerendo piissimo, ac præcel- lētissimo Domino, illi Regi, vel Seniori communi illius, à seruis vestris, quorum subscriptiones vel signacula subtus tenentur insertæ.

Principalitatis veſtræ circumſpecta clementia nouit iuſta petentibus adnuere, ſuo moderaminis iudicio ponderante præſertim, cùm illa depoſcuntur generali prece, cunctorum voce, communiter quod proficiat, conſtat illud ad Eccleſiæ regimen pullulare, quod & ipſum regalis clementiæ profit ſaluti, pariter ac mercedi. Quoniam ſanctæ memoriæ vir Apoſtolicus ille, illius vrbis Epiſcopus, fine adpropinquante ab hac luce migrauit, tempore naturæ compléti, ne deſtitutæ ſint, quod abſit, oues decedéte paſtore, in loco eiuſdem ſupliciter poſtulamus, vt inſtruere dignemini inluſtrem virum illum, aut venerabilem illum cathedræ illius ſucceſſorem, in quo eſt præſpicuitas ſublimis, ingenuitas nationis, elegantia refulgens, diligentia caſtitatis, charitatis locuples, voluntatis irrefragabiliter

Manu noſtra hunc conſenſum decreuimus roborare.

VIII. *CHARTA DE DVCATV, Patritiatu, vel Comitatu.*

PRæcipué regalis in hoc perfecta conlaudatur clemétia, vt inter cúctum populum bonitas & vigilátia requiratur perſonarum. Nec facilè cuilibet iudiciariam conuenit committere dignitatem, niſi prius fides ſeu ſtrenuitas vidétur eſſe probatæ. Ergo dũ & fidem & vtilitatẽ tuam videmur habere compertam, ideò tibi actionem Comitatus, Ducatus, Patritiatus in pago illo, quem anteceſſor tuus ille vſq. nũc viſus eſt egiſſe, tibi ad agẽdum regendúmq; comiſimus. Ita vt sẽper erga regimẽ noſtrũ fidem inlibatá cuſtodias, & omnes populi ibidẽ commanẽtes, tam Franci, Romani, Burgũdiones, vel reliquæ nationes ſub tuo regimine & gubernatione degant, &

moderétur, & eos recto tramite ſecundum legem & conſuetudinem eorum regas: viduis & pupillis maximus defenſor appareas: latronum & malefactorũ ſcelera à te ſeueriſſime reprimantur: vt populi bene viuentes ſub tuo regimine gaudentes debeant conſiſtere quieti: & quicquid de ipſa actione in fiſci ditionibus ſperatur, per voſmetipſos annis ſingulis noſtris ærariis inferatur.

IX. INDICVLVS AD ALIVM Regem, cum legatio dirigitur & verbis ſuggeritur commendatitiis.

DOmino glorioſo, atq. præcellentiſſimo fratri, illi Regi, in Dei nomine ille Rex. Deſideratus cuétus fideliſſimã nobis obtulit facultatẽ, qua veſtræ ſerenitati ſalutationis honorificétiam præbeamus: Eo videlicet dilectionis affectu proprietatẽ veſtræ celſitudinis cognoſcere cupientes, quo veſtrã gloriam

erga nos fraternitatis indiuiduam arbitramur. Proinde præsentes viros inlustres, illum & illum, ad præsentiam fraternitatis vestræ direximus, quibus vt vestram gloriã condecet, benignissima tranquillitate susceptis, petimus vt dum officium legationis iniunctæ peragerent, responsis vestræ clementiæ præmoniti, ad referendum salutis indicium sacris vestris litteris honorentur.

X. *RESCRIPTIO AD Regem.*

DOmino glorioſiſſimo, atque præcellentiſſimo, & à nobis cum ſummo charitatis vinculo in amore Chriſti amplectendo, illi Regi, ille Rex. Apices veſtrę celſitudinis, per magnificos & inluſtres viros illos, ſumma cum auiditate nos accepiſſe comperite, per quos veſtræ celſitudinis ſalutationum munera, vt condecet

condecet præmittentes, ea quæ circa vos sunt prospera cognoscentes, gauisi, ipsos in vestro amore, tales vt condecet viros, deuotione benignissima susceperimus, & officium legationis sibi à vobis iniunctum nostris auribus pandiderunt. Sed omnia à nobis in respõsis accepta, quid cum feliciter in Dei nomine remeauerint celsitudinis vestræ auribus debeant enarrare.

XI. *TRACTORIA LEGATORUM vel minima facienda ad iustius instar.*

ILle Rex, omnibus agentibus. Dũ & nos in Dei nomine Apostolicum virum illum, necnõ & inlustrem virum illum partibus illis legationis causã direximus, ideo iubemus, vt locis cõuenientibus eisdem à vobis euectio simul, & humanitas ministretur, hoc est veredos, seu parauereedos tantos, panis

nitidi modios tantos, vini modios tantos, ceruisæ mod. tan. lardi libras tantas, carnis libras tantas, porcos tantos, porcellos tantos, verueces tantos, agnellos tantos, aucas tan. fasianos tantos, pullos tan. oua tan. olei libras tantas, gari libras tantas, mellis tan. aceti tan. cumini lib. tan. piperis tan. costi tan. gariofili tan. spici tan. cinamomi tan. granimastice tan. dactylas tan. pistacias tan. amandolas tan. cereorum lib. tan. salis tan. olerum, leguminum carra tanta, faculas tantas, itemq; victum ad caballos eorum, fœni carra tan. suffusi modios tan. hæc omnia diebus tam ad ambulandum, quam ad nos in Dei nomine reuertendum vnusquisque vestrum locis consuetudinariis, eisdem ministrare & adimplere procuretis, qualiter nec moram habeant, nec iniuriam perferant, si gratiam nostram optatis habere.

XII. *PRAECEPTVM DONATIONIS.*

SI Dominus omnipotens, creator cœli & terræ permisit in principio, masculum & fœminam copulæ sociari consortio dicens, *Relinquet homo patrem & matrẽ suam, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.* Si aliquid pro amore dilectionis inter se inuicem donare decreuerint, hoc nostra serenitas in idipsis non renuit confirmare. Igitur venientes ille & illa in palatio nostro, pro eo quod filiorum procreationem inter se minimè habere videntur, omnes res eorum inter se, per manum nostram visi sunt condonasse, & (si ita conuenit) villas aliquas inter se visi sunt condonasse. Dedit igitur prædictus vir ille per manum nostram, iam dictæ coniugi suæ illi, villas nuncupatas illas,

sitas in pago illo, quas aut munere regio, aut de alode parentum, vel vndecumque ad præsens tenere videtur, cum terris, domibus *& cætera*. Similiter in compensationem rerum, dedit prædicta fœmina antedicto iugali suo illi, villas nuncupatas illas, sitas in pago illo, cum terris *& cætera*, seu præsidiis domus eorum, argento & auro, fabricaturis, drappis, vestimentis vel omni supellectile eorú, pars parti per manum nostram visi sunt condonasse. Ita vt dum pariter aduixerint in hoc sæculum, omnes res super scriptas, ab vtraque parte pariter debeant possidere, vel si pro animabus eorum aliquid exinde ad loca sanctorum dare decreuerint, voluntatis eorum liberum maneat arbitrium: & qui pari suo ex ipsis in hoc sæculum superstes extiterit, ambobus rebus, quamdiu aduixerit vsufru-

ctuario ordine debeat possidere: & post amborum de hac luce discessum, sicut eorum delegationibus continebitur, tam ad loca sanctorũ, quàm benemeritis, vel eorum propinquis debeant reuerti hęredibus, tam supra scriptæ villæ, quam & de præsidio eorum quicquid morientes reliquerint. Propterea per præsens præceptum decernimus, & iubemus, vt dum taliter super scriptis illis decreuit voluntas, & per manum nostram inuicem condonatum esse dignoscitur, per hoc præceptum, robustissimo iure suffultum, atque firmatum, quicquid superius cõtinetur (auxiliante Domino, & nostra gratia) debeat perdurare. Ita vt nulla refragatio nec de parte fisci nostri, nec à parentibus eorum propinquis, nec à quocumque possit conuelli, sed omni tempore maneat inconuulsum. Quàm

vero auctoritatem, vt firmior habeatur, vel per tempus conseruetur, manu propria subtus eam decreuimus roborari.

XIII. *PRAECEPTVM DE læsuuerpo per manum Regis.*

QVicquid enim præsentia nostra agitur, vel per manum nostram videtur esse transuulsum, volumus ac iubemus vt maneat in posterum robustissimo iure firmissimum. Ideoque veniens ille fidelis noster, ibi in palatio nostro, in nostra vel procerum nostrorum præsentia, villas nuncupatas illas, sitas in pago illo, sua spontanea voluntate nobis per fistucam visus est vuerpisse, vel condonasse, in ea ratione si ita conuenit, vt dum vixerit sub vestro beneficio debeat possidere, & post suum discessum, sicut eius adfuit petitio, nos ipsas villas fideli

noſtro illi plena gratia viſi fuimus conceſſiſſe. Quapropter per præſens decernimus præceptum, quod perpetualiter manſurum eſſe iubemus, vt dummodo taliter ipſius illius decreuit voluntas, quod ipſas villas inſupra ſcriptis locis nobis voluntario ordine viſus eſt læſouuerpiſſe, vel condonaſſe: & nos prædicto viro illi ex noſtro munere largitatis, ſicut ipſius illius decreuit voluntas, conceſſimus: hoc eſt tam in terris, domibus, ædificiis, accolabus, mancipiis, vineis, ſiluis, campis, pratis, paſcuis, aquis, aquarumue decurſibus, ad integrum quicquid ibidé ipſius illius portio fuit, dum aduixerit abſque aliqua deminutione, de qualibet re vſufructuario ordine debeat poſſidere: & poſt eius diſceſſum memoratus ille hoc habeat, teneat & poſſideat, & ſuis poſteris, aut cui voluerit ad poſ-

fidendum relinquat. Et vt hæc auctoritas,&c.

XIV. *PROLOGI CESSIONVM Regalium.*

MErito largitatis noſtræ munere ſubleuantur, qui parentibus noſtris vel nobis, ab adoleſcẽtia ætatis eorum, inſtanti famulantur officio. ITEM ALIA. Præcipuè compendiis regalibus illud adſcribitur, quod pro contemplatione ſeruitutis, fidelibus ſuis concedente Domino conſultiſſimè muneratur. ITEM ALIA AD LOCVM SANCTVM. Nihil, vt ait Apoſtolus, in hoc mundo intulimus, nec quicquam ex eo auferre nobiſcum poterimus, niſi quod ob animæ ſalutem, locis ſanctorum deuote Domino offerentes impertire videmur. Ergo cognoſcat magnitudo, ſeu ſtrenuitas veſtra, nos inluſtri viro illi

promptissima voluntate, villam nũcupatam illam, sitam in pago illo, cum omni merito ex termino suo, in integritate, sicut ab illo, aut à fisco nostro fuit possessa, vel moderno tempore possidetur, visi fuimus concessisse. Quapropter præsentem auctoritatem nostram decernimus, quam perpetualiter manſuram esse iubemus, vt ipsam villam illam antedictus vir ille, vt diximus, in omni integritate, cum terris, domibus, ædificiis, accolabus, mãcipiis, vineis, siluis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumue decursibus, farinariis, adiacentiis, appenditiis, vel quolibet genere hominum ditioni fisci nostri subditorum, qui ibidem cõmanent, in integra emunitate, absque vllius introitu iudicum, de quibuslibet causis ad freda exigẽdum, perpetualiter habeat concessam. Ita vt eam iure proprietario, absque vl-

lius expectata iudicum traditione, habeat, teneat atque possideat, & suis posteris, Domino adiuuante, ex nostra largitate, aut cui voluerit ad possidendum relinquat, vel quicquid exinde facere voluerit, ex nostro permissu in omnibus habeat potestaté. Et vt hæc auctoritas, &c.

XV. *CESSIO AD LOCVM sanctum.*

COgnoscat magnitudo seu vtilitas vestra, nos propter nomen Domini ad basilicam illam, vel Ecclesiam illam, vbi Apostolicus Pater noster ille, aut venerabilis vir ille Abas, præesse videtur, villam nuncupatam illam, sitam in pago illo, quam vsque nunc fiscus noster ille tenuit, promptissima deuotione cum omni integritate visi fuimus concessisse. Quapropter per præsentem auctoritatem nostram

decernimus, quam perpetualiter manſuram eſſe iubemus, vt ipſam villam, memorata eccleſia illa, vel antedictus Pótifex, aut ille Abas, vt diximus in omni integritate cum terris, *& cætera quæ ſuperius ſunt*, ita vt eam & ipſi & ſucceſſores ſui habeant, teneant & poſſideant, vel quicquid exinde ad profectum Eccleſiæ illius aut baſilicæ facere voluerint, ex permiſſu noſtro in omnibus habeant poteſtatem; Et vt hæc auctoritas firmior habeatur, vel per tempora conſeruetur, manus noſtræ ſubſcriptionibus ſubtus eam decreuimus roborare.

XVI. *CONFIRMATIO.*

QVem diuina pietas ſublimat ad Regnum, condecet facta conſeruare parentũ, præcipuè quod pro compendiis Eccleſiarum, aut locis ſanctorum, à regali clementia

pro æterna retributione probatur esse indultum, oportet conseruare eum. Igitur Apostolicus, vir pater in Christo noster, illius vrbis Episcopus, clementiæ Regni nostri detulit in notitia, quasi ille Rex per suam præceptionem, sua manu subscriptam, ad Ecclesiam illius, cui præesse dignoscitur, villam nuncupatam illam, sitam in pago illo, cum integritate sua, sub omni emunitate, absque vllo introitu iudicum, de quibuslibet causis ad freda exigendum, propter nomen Domini concessisset: & ipsam præceptionem se præ manibus habere adfirmat, & memoratam villam ipse Pontifex, sub eodem modo ad partem Ecclesiæ possidere videatur, petit ad celsitudinem nostram, vt hoc circa eodem, vel memorata Ecclesia domni illius, per nostra deberemus confirmare oracula. Quod nos propter

nomen Dei, & reuerétia ipſius ſancti loci, vel merito præfati Pontificis, gratante animo præſtitiſſe, & confirmaſſe cognoſcite. Præcipientes enim, vt ſicut conſtat præfatam villam, à iam dicto principe, memoratæ Eccleſiæ illius, cum integritate, ſub omni emunitate fuiſſe conceſſam, & eam ad præſens poſſidere videtur, inſpecta ipſa ceſſione, per hoc præceptum plenius in Dei nomine confirmatam, ſub eo ordine, & ipſe, & ſucceſſores eorú, vel memorata Eccleſia domini illius, illam teneant, & poſſideant, & eorum ſucceſſoribus ad poſſidendum relinquant, vel quicquid exinde pro oportunitate ipſius ſancti loci faciendum decreuerint, ex noſtro permiſſu liberam habeant poteſtatem. Et vt hæc auctoritas, &c.

XVII. *CONFIRMATIO PRO seculariBus viris.*

REgiam consuetudinem exercemus, & fidelium nostrorum animos adhortamur, si petitionibus nostrorum fidelium libenter annuimus, & eas in Dei nomine effectui mancipamus. Igitur inluſtris vir ille clementiæ regni nostri suggessit, eo quod ante hos annos ille quondam Rex parens noster, villam aliquam, nuncupatam, sitam in pago illo, quæ antea ad fiscum suū adspexerat, & ille tenuerat, pro fide sua recta, eius meritis compellentibus, cum omni integritate, & ipsam villam aspicientem per suam præceptionem, sua manu roboratam, in integra emunitate, absque vllius introitu iudicum de quibuslibet causis ad freda exigendum, eidem concessisset. Vnde & ipsam præce-

ptionem antedicti principis, nobis ostendit relegendam, & memoratam villam ad præsens sub eodem modo possidere videtur; petiit vt hoc circa eodem nostra plenius deberet auctoritas generaliter confirmare. Cuius petitionem pro respectu fidei suæ, sicut vnicuique de fidelibus nostris, iusta petentibus nequiuimus denegare, sed gratante animo præstitisse, & cõfirmasse cognoscite. Præcipientes ergo vt sicut constat antedictam villam illam, cum omni integritate sua, ab ipso principe illo memorato illi fuisse concessam, & eam ad præsens iure proprietario possidere videtur, per hoc præceptum plenius in Dei nomine cõfirmatum inspecta ipsa præceptione, & ipse, & posteritas eius eam teneant & possideant, & cui voluerint ad possidendum relinquant, vel quicquid exinde facere

decreuerint, ex noſtro permiſſu libero perfruantur arbitrio. Quam vero auctoritatem, vt firmior habeatur, & per tempora cóſeruetur, propria manu ſubtus eam decreuimus roborare.

XVIII. *DE REGIS ANtruſtione.*

REctum eſt, vt qui nobis fidem pollicentur inlæſam, noſtro tueantur auxilio. Et quia ille fidelis, Deo propitio, noſter, veniens ibi, in palatio noſtro, vna cum arimania ſua in manu noſtra truſtem & fidelitatem nobis viſus eſt coniuraſſe, Propterea per præſens præceptum decernimus ac iubemus, vt deinceps memoratus ille in numero antruſtionum computetur. Etſi quis fortaſſe eum interficere præſumpſerit, nouerit ſe vuirgildo ſuo ſol. DC. eſſe culpabilem iudicetur.

XIX. *PRAE-*

XIX. *PRAECEPTVM DE clericatu.*

SI eis qui se ad onus clericatus transferre deliberant, licentiam non negamus, retributorem Dominum exinde habere confidimus, quia scriptum est, *Noli prohibere benefacere ei qui potest, si vales & ipse benefac.* Ille ad nostram veniens praesentiam, petiit serenitati nostrae, vt ei licentiam tribuere deberemus, qualiter comam capitis sui ad onus clericatus deponere deberet, & ad basilicam illam aut monasterium deseruire deberet. Quod nos propter nomen Domini hoc eidem gratante animo praestitisse cognoscite. Praecipientes ergo iubemus, vt si memoratus ille de capite suo benè ingenuus esse videtur, & in puletico publico censitus non est, licétiam habeat comam capitis sui

tonsurare,& ad supra scriptam basilicam, vel monasterium deseruire, vel pro nobis Domini misericordiam adtentius exorare.

XX. DE DIVISIONE, VBI *Regis accesserit missus.*

DVm & diuisio, vel exequatio, inter illum & illum, seu consortes eorum, de alode lui, aut de agro illo celebrari debet; & quatenus petitio illorum adfuit, vt missus de palatio nostro ad hoc inter eos diuidendum, vel exequandum accedere deberet. Ideo cognoscite, quod nos missum nostrum inlustrē virū illum ad hoc inter eos exequā-dum visi fuimus direxisse. Propterea per præsens decernimus præceptum, vt ipsum in hoc vos recipere faciatis, & vnicuique ex ipsis iustè debita portio terminetur, & decima illius sumptus litis, quod exinde

in fisci ditionibus, tam de terra, vineis, mancipiis, vel vndecunque re debetur, ipse vir ille habeat ex nostra indulgentia concessum, vel quicquid exinde facere voluerit liberam habeat potestatem.

XXI. *DE CAVSIS ALTERIVS recipiendis.*

FIdelis Deo propitio ille, ad nostram veniens præsentiam suggessit nobis, eò quod propter simplicitatem suam, causas suas minimè possit prosequi, vel admallare, clementiæ regni nostri petiit, vt inlustris vir ille omnes causas suas in vice ipsius, tam in pago, quam in palatio nostro admallandum prosequendumque recipere deberet; quod in præsenti per fistucam eas eidem visus est commendasse. Propterea iubemus, vt dũ taliter vtriusque decreuit voluntas, memoratus

ille vir omnes causas lui, vbicumq; prosequi vel admallare deberet, vt vnicuique pro ipso, vel hominibus suis, reputatis conditionibus, & directũ faciat, & ab aliis similiter in veritate recipiat. Sic tamen quamdiu amborum decreuit voluntas.

XXII. *PRAECEPTVM denariale.*

ET quia Apostolicus, aut inlustris vir ille seruum suum nomine illum, per manum illius ad nostram præsentiam iactante denario secundum legem Salicam dimisit ingenuum, eius quoque absolutionem per præsentem auctoritatem firmamus: præcipientes enim vt sicut & reliqui mansoarij, qui per talem titulum à iugo seruitutis in præsentia Principum noscuntur esse relaxati ingenui, ita & à modo memoratus ille per nostrum præce-

ptum plenius in Dei nomine confirmatum nullo inquietáte, perenniſque temporibus, cum Dei & noſtra gratia valeat permanere bene ingenuus atque ſecurus.

XXIII. *CHARTA DE CAVſa ſuſpenſa.*

COgnoſcat magnitudo ſeu vtilitas veſtra, Dum & nos ad præſens Apoſtolicum virum, aut inluſtrem virum pro noſtris vtilitatibus, ibi ambulare præcepimus, ideo iubemus vt dum illis partibus fuerit demoratus, omnes cauſæ ſuæ, ſuorúmque amicorum, aut gaſindorum, ſeu vndecumque ipſi legitimo redibit mittio, in ſuſpenſo debeant reſidere. Propterea per præſens decernimus ac iubemus præceptum, vt interim quòd de illis partibus reuertitur, omnes cauſæ eius, aut amicorum ſuorum, tam illorum

qui cum illo pergunt, quàm qui ad propria eorum resident, vel vndecumque ipse legitimo redibit mittio, in suspenso resideant, & postea vnicuique pro ipsis de reputatis cõditionibus, & iustitiam reddat, & ab aliis simili modo recipiat.

XXIV. *CHARTA DE MVNdeburde Regis & Principis.*

REctum est vt Regalis potestas illis tuitionem impertiat, quorum necessitas comprobatur. Igitur cognoscat magnitudo seu vtilitas vestra, quod nos Apostolicũ, & venerabilẽ illum Episcopũ, aut Abatẽ Ecclesiæ, vel monasterij in honore illius sancti cõstructi, cum omnibus rebus vel hominibus aut gasindis, vel amicis, seu vndecumque ipse legitimo reddibit mittio, iuxta eius petitionem, propter malorum hominum inlicitas infestationes, sub

sermonem tuitionis nostræ visi fuimus recepisse, vt sub mundeburde vel defensione inlustris viri illius maioris domus nostri, cum omnibus rebus præfatæ Ecclesiæ aut monasterij, quietus debeat residere, & sub ipso viro illo, inlustris vir ille, causas ipsius Pontificis, aut Abatis, vel Ecclesiæ aut monasterij, vel qui per eum sperare videntur, vel vndecumque legitimo reddibit mittio, tantum in palatio nostro, sequi deberet. Propterea per præsens decernimus ac iubemus præceptum, vt memoratus Pontifex, aut Aba sub nostro sermone, & mundeburde antedicti viri quietus resideat: & nec vos, nec iuniores, aut successores vestri, vel quislibet eum de inquisitis occasionibus iniuriare, nec inquietare præsumatis. Et si aliquæ causæ aduersus eum, vel suo mittio surrexerint, quas in pago absq; eius

graui dispendio definitæ non fuerint, in nostri præsentia reseruentur. Quam præceptionem, vt firmior habeatur, propria manu subscripsimus.

XXV. *PROLOGVS DE REGIS iudicio, cum de magna re duo causantur simul.*

CVi Dominus regendi curam committit, cunctorum iurgia diligenti examinatione eum rimari oportet, vt iuxta propositionum, vel responsionum alloquia, inter alterutrum salubris donetur sententia. Quo fiat, vt & nodos causarum viuacis mentis acumen coërceat, & vbi prælucet iustitia, illuc gressum deliberationis imponat. Ergo nos in Dei nomine, ibi in palatio nostro, ad vniuersorum causas recto iudicio terminádas, vna cum domnis & patribus nostris Episcopis, vel

cum pluribus optimatibus noſtris illis, patribus illis, referendariis illis, domeſticis illis, vel ſeniſcalcis illis, cubiculariis, & illo comite palatij, vel reliquis quampluribus noſtris fidelibus reſideremus: ibique veniẽs ille illum interpellauit, cum diceret, &c.

XXVI. *INDICVLVS COMmonitorius ad Epiſcopum.*

DOmino ſancto & Apoſtolica ſede colendo, domno & in Chriſto Patri illi Epiſcopo, ille Rex. Fidelis Deo propitio noſter ille ad præſentiam noſtram veniens, ſuggeſſit nobis, eo quòd villam aliquã nuncupatam illam, quæ ad eundem de parte illius peruenire debuerat, poſt vos retineatis indebitè, & nullam iuſtitiam vobiſcum poſſit conſequi. Propterea præſentem indiculum ad coronã beatitudinis veſtræ

direximus, vt & pro nobis orare debeatis, & si taliter agetur antedictum illum de supraſcripta villa legibus reueſtire faciatis. Certè si nolueritis, & aliquid contra hoc habueritis, quod opponere, voſmetipſi per hunc indiculum commoniti, aut miſſus in perſona veſtra inſtructus, nunc ad noſtram veniatis præſentiam, ipſi lui ad hoc dandum reſponſum.

XXVII. *ITEM INDICVLVS ad Epiſcopum pro aliis diſtringendis.*

DOmino ſancto & Apoſtolico, domno & patri illi Epiſcopo, ille Rex. Ille veniens ad præſentiam noſtram ſuggeſſit, quaſi Aba veſter, aut clericus, vel homo veſter ille, eidem ſeruo ſuo per fortiam tuliſſe, vel poſt ſe retineat iniuſtè, & nullam iuſtitiam cum eodem ex hoc conſequi poſſit. Propterea

præsenté indiculum ad sanctitatem vestram direximus, per quem petimus, vt & pro nobis orare dignemini, & si taliter agetur, ipsum Abatem vestrum, aut clericum, præsentaliter constringatis, qualiter si ita agetur hanc causam contra iam dictum illum legibus studeat emendare. Certe si noluerit, & aliquid contra hoc habuerit quod opponere, ipsum illum per fideiussores positos, tunc ad nostram dirigere studeatis præsentiam.

XXVIII. *CHARTA AVdientialis.*

ILle Rex viro illi inlustri illi Comiti, Fidelis Domino propitio noster ille, ad præsentiam nostram veniens, clementiæ regni nostri suggessit, Eo quòd pagensis vester ille, eidem terram suam in loco nũcupante illo, per fortiam tulisset, &

post se retineat iniustè, & nullam iustitiam ex hoc apud ipsum consequi possit: Propterea ordinationem præsentem ad vos direximus, per quam omnino iubemus, vt ipsum illum taliter constringatis, qualiter si ita agetur, hanc causam contra iam dictum illum legibus studeat emendare. Certè si noluerit, & ante vos rectè non finitur, memoratum illum, tultis fideiussoribus, KL. illis, ad nostram eum cum omnimodis dirigere studeatis præsentiam.

XXIX. *INDICVLVS AD laicum.*

ILle Rex vir inluster, illi fideli nostro, ille ad præsentiam nostram veniens nobis suggerit, quasi vos nulla manente causa, in via adsallissetis, & grauiter liuoraſſetis, & raupa sua in solidos tantos eidem tulissetis, vel post vos retineatis indebi-

tè, & nullam iustitiam ex hoc apud vos consequi posse. Propterea præsentem indiculũ ad vos direximus, per quem omninò iubemus, vt si taliter agitur de præsente hoc, contra iam dictum illum legibus studeatis emendare. Certè si nolueritis, & aliquid contra hoc habueritis quod opponere, non aliter fiat nisi vosmetipsi per hunc indiculũ commoniti, KL. illis proximis ad nostram veniatis præsentiam, eidem ab hoc integrum & legale dare responsum.

XXX. COMMVTATIO *cum Rege.*

ILle Rex illi Regi. Nihil sibi quisque cernitur minuendo, quicquid è contra recipitur in augmento. Dum inter nos & inlustrem virum illum vnanimiter conuenit, vt loca aliqua inter nos commutare

deberemus, nos dedimus ei locellum nuncupantem illum in pago illo, cum colonicis illis, vel omnibus adiacentiis eorum, & merito suo, tam domibus, mancipiis, vineis, syluis, campis, pratis, pascuis, vel reliquis quibuscumq. beneficiis, quodcumque ille, vel fiscus noster, in ipsis locis tenuisse noscitur: & ipse hæc contra dedit nobis omnem portionem suam, quam in villa illa, in pago illo, habuisse visus est, cum itemque domibus, mancipiis, vineis, syluis, vel reliquis quibuscumque beneficiis, quæcumq; ibidem habuit, & nos pro animæ nostræ remedio ibi dedimus. Qua propter hoc præceptum commodum commutationis ipsius, verè fieri decreuimus, vt à præsenti die ipsa locella cum omnibus superius scriptis, vel omni integritate sua, quicquid, vt diximus, ille, vel fiscus noster ibidem tenuit,

ipse ille hoc habeat, teneat, atque possideat, & suis posteris ad possidendum relinquat, vel quicquid exinde facere voluerit, ex nostra commutatione liberam habeat potestatem: & vnaquæque pars quod in concambio bonæ pacis placuit accepisse, exinde per tempora debeat Deo permittente gratulari. Et vt hæc præceptio, &c.

XXXI. *CONFIRMATIO REgis de omni corpore facultatis.*

MErito regalis clementia in illos conlata munera, vel proprietates parentum nostrorum, cófirmare deliberat, quos cognoscit anterioribus Regibus, parentibus nostris, vel nobis fidem integram conseruasse inlæsam. Idcirco inlustrer vir ille, chartas præcedentium Regum nobis protulit recensendas, qualiter parentibus suis loca

aliqua fuerunt conceſſa ; Petiit vt eum de omni corpore facultatis ſuę tam quod Regio munere, ipſe vel parentes ſui, promeruerunt, quàm quod per venditionis,ceſſionis, donationis , commutationiſque titulum ad præſens iuſtè, & rationabiliter eſt conquiſitum , & ad præſens poſſidere videtur , per noſtrum in ipſo deberemus generaliter confirmare præceptum. Quod nos pro diuino intuitu , vel eius meritis compellentibus, integra deuotione magnitudo veſtra præſtitiſſe cognoſcat. Præcipientes enim vt quicquid ex ſucceſſione parentum , vel eius volũtate,tam munere regio,vel per quælibet inſtrumenta chartarum ad eundem iuſtè peruenit , tam in villabus,mancipiis , ædificiis , accolabus,auro, argento, ſpeciebus , ornamentis,mobili aut immobili, aut quodcumque in quibuſlibet rebus,

per

per instrumenta chartarum, tempore præsenti cum rationis ordine dominare videtur, per hanc auctoritatem firmatum cum Dei & nostra gratia, in integritate hoc valeat possidere, & suis posteris auctore Domino derelinquere. Et vt hæc auctoritas, &c.

XXXII. *SI ALIQVIS CONtra Regis voluntatem egerit, securitas cui eum persequi iusserit.*

QVi Regiæ obtemperant iussioni, experiri malum in posterum à quolibet non debent. Igitur cum & ille cum reliquis paribus suis, qui eum secuti fuerint, facientem reuello illum interfecit, aut quaslibet alias causas cótra Regem commisit, vel de regno nostro se transtulit, quod nobis satis fuit molestum; & vna cum consilio fidelium nostrorum, omnes res eius sub

fiſci titulum inluſtribus viris illis præcipimus reuocare, quia ſi ſe non diſtuliſſet, non ſolum res perdere, ſed pro tali reuello in vita ordinaueramus inſequi. Propterea præſentem præceptionem dedimus, vt dum prædicti viri illi, vel reliqui pares, aut gaſindi, non ex ſua præſumptione, niſi per noſtram ordinationem, vnà cum conſilio ſeniorum fidelium noſtrorum, ipſas res ſub fiſco noſtro poſitas habuerint, & noſtris ditionibus vbi iuſſimus, vel reliquorum qui cum eodem mixti fuerunt, nec heredes eorum exinde quamlibet calumniã, aut repetitionem vllam habere penitus non debeant, ſed tam ipſi illi, quam pares, gaſindi, vel amici, quicquid de rebus prædicti illius erat, & ablatum fuit, dum per eius culpas, & noſtra ordinatione factum eſt, omni tempore exinde deducti, & abſolu-

ti permaneant: & vt diximus calumniã aut repetitionem, vel damnietatem, quando quidem, exindè suprascripti viri, vel fideles nostri, non pertimescant habere. Et vt hæc præceptio, &c.

XXXIII. *PRAECEPTVM quorum ab hostibus, vel alio modo fuerint instrumenta incensa.*

A Regali necesse est releuentur clementia, qui damnietatem ab hostibus, vel passi sunt violentiam. Igitur fidelis Deo propitio noster ille, clementiæ regni nostri suggessit, eò quod ante hos annos, aut anno superiori, exercitus noster, aut illius Regis, domus suas incendio cremassent, vel res suæ quamplures vna cum instrumentis chartarum, tam per quod Regio munere perceperat, quam & quod per venditionis, donationis, cessionis,

commutationis titulum, vel de alode parentum in quocumque loco in regno nostro aliquid possidebat, ibidem concrematæ fuissent. Vnde relationem bonorum hominũ manibus roboratam, qualiter ipsis ita cognitum sit, suggessit nobis, & protulit recensendam: & omnes res suas vnde ipsa instrumenta perierant, absque vllius inquietudine, sicut & antea fecit quietus possidere videtur. Sed pro firmitatis studio petiit memoratus ille, vt per nostrá auctoritatem omnes res suas, tam quod Regio munere, quam quod per venditionis, cessionis, commutationisque titulum, vel reliquam alodem, ad præsens cum æquitatis ordine quietus possedit, deinceps in iure & dominatione eius confirmare deberemus. Cuius petitioni gratanteanimo præstitisse, vel confirmasse cognoscite. Præcipientes

ergo iubemus, vt quicquid memoratus ille tam in terris, domibus, ædificiis, accolabus, mancipiis, vineis, syluis, campis, pratis, aquis, aquarumue decursibus, vel reliquis quibuscumque beneficiis (quod per relationem supra scriptorum virorú cognouïmus) iustitia rationabiliter vsque nunc vbicumque in regno nostro possidere videtur, dum eius instrumenta cremata esse cognouimus, per hoc præceptum plenius in Dei nomine circa eum suffultum, atque firmatum, absque vllius inquietudine, vel refragatione teneat & possideat, & suis posteris, aut cui voluerit in Dei nomine ad possidendum relinquat. Quam vero auctoritatem, perpetuis temporibus valituram propria manu subter roborare decreuimus.

XXXIV. *RELATIO PAGENsium ad Regem directa.*

SVggerendo piissimo atq; præcellentissimo domno illi Regi, & Maiori domus illius, à seruis vestris pagensibus illis, quorum subscriptiones, vel signacula subtus tenentur inerta : Principalis vestri circumspecta clementia, nouit iusta petétibus dignanter annuere, & necessitatem patiétibus subuenire clementer. Penè omnibus patet, regionem nostram ab hostibus depopulatam esse, & domus multorũ igne crematas, vèl rebus ablatis. Inter quos seruus vester ille non modicum ibidem perpessus est damnũ, & de rebus suis dispendium, vel omnia instrumenta chartarũ, quæ ipse vel parentes sui habuerunt, tam quod & munificentia Regum possedit, quam quod per venditionis,

cessionis, donationis, commutationisque titulum habuit, vna cum domo sua incendio concremata esse noscuntur, vnde nostras paruitates petiit, quod veraciter exinde cognouimus, per hanc nostram suggestionem vestræ innotescere clementiæ, quod & facere serui vestri decreuimus. Vestra pietas iubeat, quod vsque modo in regno vestro quietus possedit, circa eodem per vestro munere præceptum, vt inantea valeat, dum sua perdidit instrumenta possidere quietus & securus. Nos serui vestri quod exinde veracius scimus, innotescere presumpsimus, vestrum est necessitatem patientibus subuenire.

XXXV. *CONFIRMATIO DE omni corpore facultatis monasterij.*

ILle Rex illi Patricio, atque omnibus agentibus. Rectum esse

censemus, vt petitiones sacerdotum quæ ad profectum pertinét locorum sanctorum, ad effectũ Christo præside perducamus. Igitur venerabilis vir ille sancti monasterij Abas, gloriæ regni nostri petiit, vt dum ipsum sanctum monasterium de conlatione parentum nostrorum, Deo adiutore videtur esse constructum, Nos omne corpus facultatis eius, tam quod antecessores Abates ibidem laborauerunt, vel ille domnus Abas, qui ibidem fuisse dignoscitur de re monasterij ibidem visus est augmentasse, aut cóparasse, quod ab ipso sancto loco moderno tempore possidetur per nostrũ deberemus generaliter confirmare præceptum. Quod nos pro diuino respectu, vel mercedis nostræ augmentum præstitisse, vestra non dubitet magnitudo, etiam & priuilegium ipsius monasterij quod

institutionem sedis Apostolicæ, seu reliquorum Episcoporum visi sunt meruisse, & per auctoritatem domni illius, seu à reliquis successoribus parentibus nostris adumbratum fuisse dinoscitur, iuxta quod etiam propriorem præceptionem nostram erga se perhibétes, semonitum propriam stabilitatem decreuimus roborare. Præcipientes ergo, vt omnes facultates ipsius monasterij, quicquid aut Regia conlatione, aut priuatorum munere, vel ab antesessoribus Abatibus, seu & à domno lui ibidem est legaliter adquisitum aut comparatum, immo. de quibuscumque rebus rectè adtractum, quodcumque dominatio ipsius sancti loci vndique moderno tempore in villabus, domibus, mancipiis, vineis, siluis, pratis, pascuis, aut quibuslibet beneficiis, cernitur cum æquitatis ordine

possidere, per hanc auctoritatem suffultum, absque cuiuslibet inlicitis controuersiis, mihi tam præsenti quam futuro tempore, Christo præsule proficiat in augmentum; Adiicientes vt & priuilegium tam de Abatum ingressu ipsa congregatio, postquam alius migrauerit ex se instituendo, quam & de reliquis omnibus quæ per institutionem Pontificum, de tempore illo vsque núc ipsum monasterium habuit concessa, & vsque hactenus conseruata, vel per decessores Reges circa se firmata: ita & inanteà resecatis quarumcumque superfluis inquietudinibus sub eo ordine valeant in nostro sermone, auxiliante Domino per tempora permanere, Et vos & successores vestri, vbi necessitas fuerit, in conditionibus ipsius monasterij, pro salute nostra crebrius exorare, & vobis ob hoc

ad gratiam noſtram debeat pertinere. Et vt hæc præceptio firma ſtabilitate ſubſiſtat, propria manu infra decreuimus roborare.

XXXVI. *VT CAVSAS AVctorum adſumendi ſuorum aliquis licentiam habeat.*

MAlorum neceſſe eſt tergiuerſationé Regali coërcere cenſura. Igitur Apoſtolicus vir ille, illius vrbis Epiſcopus, aut venerabilis ille Abas, aut Deo ſacrata illa Abatiſſa de monaſterio illo, vel quilibet fidelium domnorum, miſſa petitione, aut ipſe nobis innotuit, eò quod à diuerſis hominibus eorum ſpontanea voluntate, tam ipſe quam anteceſſores eorum, data pecunia, infra regnum veſtrum plurima in terris, aut mancipia comparaſſent, vel reliqui homines ad ipſam Eccleſiã vel monaſterium pro animę eorum

remedio, nonnulla per eorum instrumenta delegassent; & hoc ad præsens cum æquitatis ordine possidere videntur; Petiit vt pro tempore futuro, vel maiorum hominum iniurias coërcendo, dum plures benefactores, vel venditores pro clade quæ grassatur in populo, vel complente fine naturæ, absque heredibus de hac luce discesserunt: si aliquis per quodlibet ingenium de ipsis rebus eum inquietare voluerit, licentiam haberet in vice auctorum suorum ipse, vel aduocatus suus eorum causas adsumere. Quod nos propter nomen Dei, & reuerentiam ipsius sancti loci præstitisse cognoscite. Præcipientes ergo iubemus, vt memoratus Pontifex aut Abas, vel Abatissa, vel aduocatus eius, in vice auctorum suorum, causas ipsius licentiam habeat adsumendi, vel homallandi, & per eorum instrumen-

ta aut de annis ipsius rei, vnde tunc à quibuslibet inquietari videbũtur, partibus Ecclesiæ, vel monasterij sui, cum æquitatis ordine respondendi, vel homallandi, super annis contra quemcumque sanciendi.

XXXVII. *IVDICIVM euinditale.*

VEniens ille, in nostri vel procerum nostrorum præsentia, suggessit, quasi homo nomine ille pagensis vester, eum in villa nulla manente causa adsalliſſet, & eum grauiter liuorasset, vel raupa sua in solidos tantos eidem tulisset, & ob hoc vobis per nostram ordinationem tales datos habuisset fideiussores, vt KL. illis ex hoc in nostri præsentia debuissent adstare causantes. A quo placito veniens memoratus ille, ibi in palatio nostro, & per triduum, seu amplius, vt lex habuit,

placitum ſuum cuſtodiſſet, & memoratus ille abiectus ſit, vel ſolſatis ſit, ipſe nec veniſſet ad placitū, nec nulla ſunnia nuntiaſſet, adfirmat. Proinde nos taliter vna cum noſtris proceribus conſtitit decreuiſſe, vt ſi euidenter memoratus ille pro hac cauſa tales vobis datos habuit fideiuſſores, & placitum ſuum minimè cuſtodiuit, Dum & inluſtris vir ille Comes palatij noſtri teſtimoniauit, quod antedictus ille placitum ſuum legibus cuſtodiuit, & eum adiectiuit, vel ſolſatiuit, & ipſe ille placitum cuſtodire neglexit; iubemus vt quicquid lex loci veſtri de tali cauſa edocet, vobis diſtringentibus, antedictus ille partibus illius componere, & ſatisfacere non recuſet.

XXXVIII. *CHARTA paricla.*

CVm in noſtra vel procerum noſtrorum præſentia, homo nomine ille itemque hominem nomine illum interpellaſſet, quaſi ſeruo ſuo nomine illo, vna cum raupa ſua in ſolidos tantos, poſt ſe fugitiuos pedes recepiſſet, vel poſt ſe retineat indebitè: aut hæc præfatus ille omnia fortiter viſus eſt denegaſſe, quod nec ipſe ipſo ſeruo fugitiuos pedes, nec raupa ſua poſt ſe nunquam recepiſſet: Sed dum inter ſe intenderent, ſic eiſdem à proceribus noſtris, in quantum inluſtris vir ille Comes palatij noſtri teſtimoniauit, fuit iudicatum, vt de quinque denominatis, idem ille apud tres & alios tres, ſua manu ſeptima, tunc in palatio noſtro, ſuper capellam domni Martini, vbi reliqua ſa-

cramenta percurrunt, debeant coniurare, quod supraſcripto ſeruo illo memoratus ille pedes fugitiuos, vna cum raupa ſua in ſolidos tantos, poſt ſe nunquam recepiſſet; Si hoc coniurare potuerit, de hac cauſa ductus ſedeat, ſin autem non potuerit, ipſum ſeruum vna cum raupa ſua in ſolidos tantos cum legis beneficio, partibus antedicti illius reddere ſtudeat. Interim vero vſque in ipſo placito, quia nec vtra pars ex ipſis victa ſit apparet, vnde æquales præceptiones eis fieri, & accipere iuſſimus.

XXXIX. *VT PRO NATIVItate Regis ingenui relaxentur.*

ILle Rex Francorum viro inluſtri illi Comiti. Dum & nobis diuina pietas, iuxta votum fidelium, & procerum noſtrorum, de natiuitate filij noſtri illius, magnum gaudium habere

habere conceſſit, vt miſericordia Dei vitam eidem concedere dignetur; Iubemus vt per omnes villas noſtras, quæ in veſtra, vel in cuncto regno noſtro aliorum domeſticorum ſunt actionibus, tres homines ſeruientes in vtroque ſexu, in vnaquaque villa, ex noſtra indulgentia, per veſtras epiſtolas, ingenuos relaxare faciatis.

XL. *VT LEVDE SAMIO PROmittantur Regi.*

ILle Rex illi Comiti. Dum & nos vna cum cõſenſu procerum noſtrorum, in regno noſtro illo glorioſum filium noſtrum illum regnare præcepimus; Ideo iubemus vt omnes pagenſes veſtros, tam Francos, Romanos, vel reliquas nationes degentes bannire, & locis congruis per ciuitates, vicos & caſtella congregare faciatis. Quatenus præ-

sente missо nostro, inlustri viro illo, quem ex nostro latere illuc pro hoc direximus, fidelitatē præcelso filio nostro, vel nobis, & leode, & samio, per loca sanctorum, vel pignora quæ illuc pro eodem direximus, debeant promittere & coniurare.

INCIPIVNT CAPITVLA de chartis pagensibus.

I. *Si quis monasterium, aut Xenodocium de magna re vult instruere.*

II. *Prologus qui de magna re facit Ecclesiis donationem.*

III. *Item alius prologus, cum ipsa donatione, ad hoc opus.*

IV. *Cessio à die præsente ad Ecclesiam, de villa.*

V. *Precaria de ipsa villa dum aduiuit.*

VI. *Donatio de parua re ad Ecclesiam.*

VII. *Charta donationis, inter virum & fœminam de eorum rebus.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

VIII. *Item alia, sine aliqua minuatione.*

IX. *Charta obnoxiationis à patre in filiis facta.*

X. *Epistola, cum in loco filiorum, nepotes instituuntur ab auo.*

XI. *Charta, qui suum nepotem meliorare voluerit.*

XII. *Charta, vt filia cum fratribus, in paterna succedat alode.*

XIII. *Si quis extraneum hominem in loco filiorum adoptauerit.*

XIV. *Pactum inter parentes, de hereditate eorum.*

XV. *Libellus dotis.*

XVI. *Si quis aliquam puellam inuitam traxerit.*

XVII. *Qualiter in vno volumine testamenta duarum personarum condãtur.*

XVIII. *Securitas pro homicidio facto, si se pacificauerint.*

XIX. *Venditio de villa.*

XX. *Venditio de area infra ciuitatem.*

XXI. *Venditio de campo.*

XXII. *Venditio de seruo aut ancilla.*

XXIII. *Concambium de villis.*

XXIV. *Concambium de terra, vinea, vel prato.*

XXV. *Cautiones diuerso modo factæ.*

XXVI. *Item alia.*

XXVII. *Item alia.*

XXVIII. *Qui se in seruitio alterius obnoxiat.*

XXIX. *Charta de agnatione si seruus ingenuam fœminam traxerit.*

XXX. *Libellus repudij.*

XXXI. *Mandatum.*

XXXII. *Ingenuitates diuerso modo factæ.*

XXXIII. *Item ingenuitates alio modo post discessum.*

XXXIV. *Item aliæ, adhuc alio modo.*

XXXV. *Euacuatoria de cautione, si non inuenitur.*

XXXVI. *Si quis aliquid seruo suo aut gasindo concedere voluerit.*

XXXVII. *Gesta iuxta consuetudinem Romanorum qualiter donationes, vel*

testamenta legantur.

XXXVIII. *Mandatum ad gesta.*

XXXIX. *Epistola si aliquis rem Ecclesiæ ad vsum habeat, & de sua proprietate aliquid donet.*

XL. *Præstaria de re Ecclesiæ ab Episcopis facta.*

XLI. *Precaria.*

XLII. *Indiculus, cum Episcopus ad alium in resurrectione Domini eulogias dirigit.*

XLIII. *Rescriptum ad Episcopum de visitatione.*

XLIV. *Quomodo ad Regem, Reginam, vel Episcopum pro natiuitate Domini, visitatione directa scribatur.*

XLV. *Item alia de Natiuitate Domini.*

XLVI. *Commendatitiæ litteræ, ad Episcopum iam cognitum.*

XLVII. *Item commendatitiæ litteræ ad Abatem notum.*

XLVIII. *Suplicaturiũ pro eo qui de monasterio regreditur, aut illo, qui ingredi*

voluerit.

XLIX. *Indiculus generalis ad omnes homines.*

L. *Indiculus commendatarius ad viros illuſtres laicos.*

LI. *Indiculus ad omnes potentes palatinos, maximè ad cognitos ſibi.*

LII. *Qualiter pro natiuitate filij Regis, ex ordinatione dominica, Domeſticus de villis regiis, ingenuitates facere debeat.*

MARCVLFI MONACHI FORMVLARVM LIBER II.

Seu de chartis pagensibus.

I. DE MAGNA RE QVI VVLT Xenodochium aut monasterium construere.

DOMINO verè sancto, atque sedula ostensione, patentibus virtutum miraculis, Christi remuneratione, fulgenti, oratorio, ac cellulæ, in honore sanctæ, ac semper virginis,

genitricis Domini nostri Iesu Christi, aut in alterius sancti constructæ, Ille, seu quidam, meritis flagitiis, quoque sceleribus, præ lasciuis actibus, ac nimia fœditate pollutus, vel opere omnium bonorum Christianorum longè satis extremus optat, penè sanctarum scripturarũ series, Christianis fidelibus pia exhortatione pronunciat, hoc etiam tonitrualis illa Euangelistarum vox, suggerente spiritu, sua potestate concelebrat, vt faciat in pauperes eleemosynam, qui vult tardari euadere supplicia: vnde & Dominus in Euangelio dicit, Vende omnia quæ habes, da pauperibus & habebis thesaurum in cœlum. Pensemus ergo omnes Christiani quanta sit pietas, & largitio redemptoris, vt eleemosynis pauperum promittantur nobis thesauri regni cœlorum. Procuremus igitur, sicut Dominus & sal-

uator noſter præcepit, & ac ſi non quantum habemus ſaltem in quantum poſſumus, eleemoſynam faciamus. Nemo itaque dubitet, nemo tardet, quia ſi nos facimus quæ Dominus & ſaluator noſter præcepit, ille ſine dubio facturus eſt quæ promiſit. Ait enim ſcriptura, abſcondite eleemoſynam in corde pauperis, & ipſe pro te deprecabitur Domino. Abſcondamus ergo eleemoſynam in corde pauperis, vt proueniat nobis deprecatio pauperum in remiſſionem peccatorum. Multa quidem & alia pro eleemoſynis faciendis teſtimonia, in ſcripturis ſanctis reperimus. In quibus vel ex quibus illam ego exiſtimo portionem, quę ait, ſicut aqua extinguit ignem, &c. Quid ergo verius poteſt credi, quid cõfidentius quidue expreſſius, quia ſicut aqua extinguit ignem, ſic eleemoſyna extinguit peccatum.

Iustè ergo extinguitur, qui peccatorum incendia eleemosynis, iuxta pollicitationem diuinam, extinguere non festinat. Faciant quippe cæteri quod voluerint, agant quod ipsi maluerint, idcirco quoniam omnis homo suo sensu ducitur: ego tamen eius rei exemplum secutus, elegi ad præfatum oratorium, vel cellulam, iuxta Apostolorum numerũ, duodecim, ad præsens pauperum, pro remissione peccatorum meorum, vel pro diluenda meorum mole peccaminum, Christo præsule conlocare; vbi etiam per præsentem epistolam donationis meæ, dono ad præsentem diem quod in luminaribus ipsius oratorij, vel in alimonia & substãtiali victu, vestitu quoque & sustentatione ipsorum pauperum, vel clericorum ibidem seruientium, Deo gubernante & opitulante, proficiat, donatumq. in perpetuum esse volo, atq; de meo iure

in eorum dominationem, & potestatem trado, lego, transmitto, atq; transfundo; hoc est agros, quorum vocabula sunt illa, & illa, quæ ponuntur in territorio illo: pari modo, & quicquid in illo territorio ponitur, in omni soliditate portionem meam, vna cum mancipiis, ædificiis, vineis, terris, pratis, syluis, omniq; iure eorum, vna cum colonicis adiũctis, adiacentiis eorum, in omni soliditate earũ, sicut à me noscitur fuisse possessum, aut mihi ex legitima successione, aut vndecũq; aliquid mihi ibidem euenit, cũ omni soliditate, vel oportunitate earũ, ad integrum; Ea scilicet ratione atque prætextu, vt remota Pontificũ, simulque Ecclesiasticorum officialium, seu publicorum omnium potestate, nullas functiones, vel exactiones, neque exquisita & lauta conuiuia, neq. gratiosa, vel insidiosa munuscula, neq; etiam caballorum

prestus, paravereda, vel cæteras angarias, aut quocumque functionis titulo dici potest, de ipsa facultate penitus non requiratur, sed sub integra emunitate facultaticula ipsa, sicut à me huc vsque possessa est, in iure oratorij sanctæ Mariæ & prædictorum pauperum debeant Deo protegente & opitulante persistere: Nisi tantum sancti & Apostolici illius vrbis Episcopi, in cuius oppido Xenodochium ipsum ponitur, pro tradendis benedictionibus, vel substituendis Abatibus, Presbyteris quoque & diaconibus, absque vlla pecuniarũ adeptione: amplius verò donandi, exigendi, vel minuẽdi causam, nullam habeat potestatem. Sed nec per commutationis locum, quicquam ex hoc auferendi, nullo tempore occasio, vel aditus tribuatur, sed perpetualiter in potestate præfati oratorij illius, ipsorum

pauperum, Christo fauente permaneat. Hoc etiam ipsis Pontificibus obsecro, vel committo, vt illos, per succedentes temporibus, cum casus mortis extiterit, Abates aut clericos, & clericorum gradus, in eodem loco dignentur, vel debeant instituere, quos sapientia & eruditio scripturarum clarificat, vel quos vita sancta, & actio bona, aut conuersatio honesta commendat. Vnde obsecro clemētissimis regibus tam præsentibus quam futuris, & omnibus in Deo Episcopis, omnibusque potestatib. & primatibus, omnib. etiam senioribus, quoscumque iudices esse constiterit, per ineffabilem Dei omnipotentiam, per inseparabilem patri & filio & spiritui sancto trinitatem, vt hāc voluntatē meā pro nullis occasionibus, sicut existente sine Deo cupiditate res exigi solet, nulla ratione nulloque

tempore conuellere permittatis, sed per sollicitudinem & curam Episcopi constare potius, pro reuerentia Trinitatis immensæ, vestro tẽpore, & studio, vel opere iubeatis. Quatenus, vt ille vobis mercedẽ restituat in futuro, qui scit me eleemosynas ipsas sancti Dei pauperib. per amorem Domini nostri Iesu Christi ardenti desiderio tribuisse. Si quis hác voluntatem meam pro quibuslibet adinuẽtionibus, seu propositionib. sicut mũdus cottidie * & iniuriis expolio obuius, vel repetitor, conuulsor etiã, aut tergiuersator extiterit, anathema sit, & tã qui fecerit quàm qui faciendo consenserit, anathema sit: & sicut Datan & Abiron hiatu terræ absorpti sunt, viuẽs in infernũ descendat, & Zeziæ fraudis mercatorẽ, & in præsenti, & in futuro sæculo partem damnationis excipiat: & tunc veniam consequatur, quando cõsecuturus est, & diabolus, qui

se fallendo ætheria sede deiectus, cruenta adinuentione, bonis operibus semper vigilari peruigilat: Insuper etiam inferat societati quoque & fisco, vel sanctis Episcopis Ecclesiæ illius, auri libras C. Nihilominus præsés epistola, quæ à me pro timore Dei, & amore pauperum, conscripta est, firma, incorrupta, intemerata, inuiolataque permaneat. Ego namque de conlatis ac superius prę notatis rebus, omnia ad curam, & sollicitudinẽ, aut defensionem eorum, vel gubernationem ipsorum pauperũ, sancto ac prænotato domni illius, Episcopo, vel successoribus suis, Deo sibi teste committo: & instrumenta per quæ res ipsæ auxiliãte Deo per eorum sollicitudinẽ defensentur super scripto Domino lui Episcopo præ manib. tradidi, & qualiter ibidẽ prouidè, piè, rectè ne an secꝰ ageret Christo Dño in se iudicio recognoscat. Mihi autẽ nihil exinde

proprietatis titulo penitus non reseruari, quia facile contemnit omnia, qui cupit ab inferni faucibus erui, vel ille qui peccatorum remissionem Deo remunerante desiderat, aut ille, qui semper cogitat, cum velit nolit esse moriturum: stipulatione, &c.

II. *PROLOGVS, QVI DE grandi causa facit donationem.*

QVantum intellectus, sensusque humanus potest mente sagaci pensare, atque solerti indagatione perpendere, nihil amplius valet in huius sæculi luce gaudia fugitiua lucrari, quàm quod de rebus suis, locis venerabilibus, in alimoniis pauperum curetur impendere: Quatenus fragilitatem naturæ quâ omnes generaliter patiuntur, priusquam subitanea transpositio eueniat, oportet pro salute animæ vigilare,

lare, vt non inuenirat quemquam imparatum, & sine aliquo respectu discedat à sæculo. Quin potius dum proprio libertatis iure subsistit, ex caducis substantiis in æterna tabernacula vitam quærat mercari æternam: Vt inter iustorum consortium desiderabilẽ valeat adipisci locum, & retributorem sibi præparet Deũ, vt de fructu indeficienti paradisi mereatur foueri. De cuius viuo fonte, perfecta fide poscente, nec subtrahitur poculum, nec minuitur alueus, sed potius vti quisque hauserit, inrigatus dulcedine cælitùs, atque suauis ei flagratur odor balsami paradisi.

ITEM ALIVS PROLOGVS.

IN nomine sanctæ Trinitatis. Prosperum ac salubre consilium immoque satis iocundum esse dinoscitur, vt homo de mundanis re-

bus comparet paradiſum, & de terrenis trásferatur in cœleſtia. Sic Dominus in ſancto Euangelio præclaram intonat vocem dicés, Theſaurizate vobis theſauros in cœlo, vbi nec fur effodit, nec tinea ſulcat.

PROLOGVS DE CLERICO qui in monaſterio tonſoratur, & ſuam rem ad ipſum locum donat.

DEbet vnuſquiſque largiente Domino, dum verſatur in corpore futura tractare, & de caducis rebus mercari æterna, vt quando quidem iubente Deo, de corpore egredi contigerit, de mammona iniquitatis manſionem ſibi reperiat comparatam in cœlis. Idcirco ego ille cedo ad monaſterium illum, vbi Aba ille cuſtos præeſſe videtur, & comam capitis mei ibidem depoſui, & in ipſo monaſterio ſub nor-

ma sanctorum viuere cupio, cessumque in perpetuum esse volo.

ITEM PROLOGVS.

OPortunum est vnumquemq; dum terrena munera possidet pro anima sua frequentius cogitare, vt terrenam beatitudinem possidere mereatur. Ego inluster vir ille, sentio me infra corpus meum infirmum esse, & infra animam meam nimis esse peccatorem. Admonet me diuina potentia, vel compunctio cordis mei mihi obuenit, vt pro peccatorum meorum remedio, aliquid de rebus meis locis sanctorum delegare debeam. Ideo cedo, &c.

ITEM PROLOGVS.

IN nomine sanctę Trinitatis. Prosperum, salubre & satis iocúdum cēsuimus, vt homo de caduca qua-

piam re sæculi ad peccata sua redimendum valeat offerre, aut quid promptiore consilio, vt homo de mundanis rebus sæculi comparet paradisum, & de terrena substantia se transferat in cœlestia: Itaque ego ille pro diuino intuitu, & mei mercede compendij, vt mihi Dominus in futurum veniam concedere dignetur, vel vt nomen meum in libro vitæ adscribatur, dono ad iam dictum monasterium, in luminaribus Ecclesiæ, vel in stipendiis pauperum, aut monachorum, donatumque iure legitimo esse volo, &c.

ITEM PROLOGVS.

DVm huius exempli in quodam noscitur cecidisse, patimur ærumnã, & diem mortis quotidiè ante oculos suspicamur esse propinquam: oportet vnumquemque ob amorẽ cœlestis patriæ deuo-

tionis lucra complecti, & res sibi datas, sanctorum vel etiam indigétium vsibus alegatas relinquere, vt peccatorum pondera, quæ pontificium pœnitendi non valent laxare, eorum intercessione plenius ad veniam debeant peruenire. Idcirco ego ille,&c.

III. *ITEM ALIVS PROLOgus cum ipsa donatione ad hoc opus.*

MVndi terminum ruinis crebrescentibus adpropinquãtem indicia certa manifestant, experimenta liquida declarare noscũtur, & ad discutiendas infidelium mentes illa dudum in Euangeliis à Domino dicta oracula incumbere noscuntur: Operæpretium arbitror futurum, tempus vicissitudine præoccupans anticipare, & incertum humanæ conditionis euentum, sagaci mẽtis intuitu prouidere. Qua-

tenus ex hoc inflictis facinorum vulneribus, indulta pietate, remedia merear adipisci. Ergo ego in Dei nomine ille, & coniux mea illa, considerantes, qua grauamur sarcina peccatorum, & reminiscentes bonitatem Dei dicentis, Date eleemosynam, & omnia munda fiunt vobis; De tanta igitur miseratione & pietate Domini confisi, idcirco per hanc epistolam donationis, donamus, donatumque in perpetuum esse volumus, atq; de iure nostro in potestatem, & dominationē monasterij illius, in honore illius, Abatis illius, in pago illo cōstructi, vbi præest venerabilis ille Aba, vel turma plurima monachorū adunata, trāsmittimus atque transfundimus villas nuncupantes illas, sitas in pago illo, cum terris, domibus, ædificiis, accolabus, mancipiis, vineis, syluis, campis, pratis, pascuis, aquis, aqua-

rumue decursibus, adiunctis, adiacentiis, appenditiis, peculio vtriusq; sexus, mobilibus & immobilibus, sicut à nobis moderno tempore possidetur, vel si inanteà ibi vndecumque aliquid augmentare, vel meliorare poterimus, ad præfatum monasterium in alimoniis, vel substantiis monachorum, ibidem habitantium, Christo protegente proficiat. Ea scilicet ratione, vt dum pariter aduiuimus, antedictas villas sub vestro beneficio tantummodo, absque vllo præiudicio, vel diminutione aliqua ipsius monasterij possideamus. Nisi tantum, si aliquem ex seruientibus nostris à iugo seruitutis pro communi mercede relaxare voluerimus; Post obitum vero, quandoquidem Deus voluerit, nostrum, absque vllius iudicis, vel heredum nostrorum expectata traditione, cum omni re emeliorata,

quicquid in ſupra ſcriptis villis in quibuſlibet rebus, vel corporibus augmentatum, vel melioratum fuerit, de præſenti hoc pars antedicti monaſterij, vel memoratus Abas, ſuique ſucceſſores in Dei nomine perpetualiter recipiant poſſidendũ: Tanquam ſi ad præſens abſque vſu noſtro eorum fuiſſet ſubſecuta poſſeſſio. Ita vt, quicquid de prædictis villis propter opportunitatem ipſius monaſterij facere decreuerint, libero in omnibus potiantur arbitrio. Præſentem vero donationem, ne quicquam *auri talium vilitate, geſtis municipalibus alligari curauimus, & omnino decernimus, ne aliquando in eam ob hoc cauſam quiſquam valeat reperire. Quod ſi inſtrumenta de ipſis villis de nomine noſtro in aduerſitate prædicti monaſterij, quolibet ordine comprehenſa, aut anterius, aut poſterius

prænotata, quod nos nec fecimus, nec facere rogauimus, à quocumq; præter istú quem firmissimum volumus esse quoque tempore ostensum, nullũ sortiatur effectum, nisi vacuum & inane apareat: auctorem vero criminis, vel falsarium, nec inultum tunc temporis patiatur iudiciaria abire potestas. Si quis vero quod futurum esse non credimus, huic voluntati nostræ pro quibuslibet adinuentionibus, aliquis de heredibus nostris, aut iudicum sæua cupiditas, vel quælibet persona, obuius repetitor extiterit à conuentu omnium Christianorum, vel limitibus Ecclesiarum, extraneus habeatur, & Iudæ traditoris Domini nostri Iesu Christi perfruatur cósortio: insuper etiam inferat partibus ipsius monasterij, vel fratrum ibidem consistentium, socio quoque, tam in actibus, quam in prose-

cutione, ſacratiſſimo fiſco, auri libras tantas, argenti pondo tan. & ne id quoque quod repetit valeat vindicare, nihilominus præſens donatio, quæ à nobis pro timore Dei & amore pauperum Chriſti conſcripta eſt, firma & inlibata omni tempore debeat permanere, ſtipulatione ſubnixa. Actum ibi, ſub die illo.

IV. *CESSIO A DIE PRAEſente ad Eccleſiam.*

DVm fragilitatem humani generis pertimeſcit, vltimum vitæ temporis ſubitanea tranſpoſitione ventura, oportet vt non inueniat vnumquemque imparatum, ne ſine aliquo boni operis reſpectu migret de ſæculo: niſi dum ſuo iure & poteſtate cóſiſtit, præparet viam ſalutis, per quam ad æternam valeat beatitudinem peruenire. Ideoque

ego in Dei nomine ille, & coniux mea illa, pro remedio animæ nostræ, & remissione peccatorum nostrorum, vt veniam in futurum consequi mereamur, cedimus à præsente die cessumque in perpetuum esse volumus, atque de iure nostro in iure & dominatione sanctæ Ecclesiæ illius, in honore illius constructæ, villam nuncupatam illam, sitam in pago illo, quæ ex alode parentum, aut vndecumque ad nostram peruenit dominationem, & ad præsens possidere videmur, cum omni merito & termino suo, cum adiacentiis, adiunctis, appenditiis, cum terris, domibus, ædificiis, accolabus, mancipiis, vineis, syluis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumue decursibus, farinariis, cum pastoribus gregis, peculio vtriusque sexus maiore, vel minore, mobilibus, & immobilibus, vel quicquid dici aut nomi-

nari poteſt,& tempore præſenti noſtra videtur eſſe poſſeſſio, ad præſens Eccleſiæ volumus eſſe conceſſum. Ita vt ab hac die, memoratam villam pars antedictæ Eccleſiæ, vel Pontifex ciuitatis illius, aut actores Eccleſiarum, eam habẽdi, tenendi, poſſidẽdi, vel quicquid exinde pro oportunitate ipſius elegerint faciendi, libero in omnibus perfruantur arbitrio. Ita vt nomen noſtrum in libro vitæ conſcribatur, vel pro nobis vtrumq; ſacrificium poſt obitum noſtrum pio Domino offeratur. Licet in ceſſionibus pœnam adnecti nõ ſit neceſſe, ſed nobis pro omni firmitate placuit inſerendum. Si quis vero, quod futurũ eſſe non credimus, nos ipſe, quod abſit, aut aliquis de heredibus, vel pro heredibus noſtris, vel quælibet perſona, calliditate commotus, aut cupiditate præuentus, vllo vnquam

tempore contra præsentem epistolam cessionis nostræ, quam propter nomen Domini, & venerationem sancti ipsius loci, spontanea voluntate fieri decreuimus, venire aut aliquid agere voluerit, aut tergiuersator extiterit, anathema sit, & cum supra scripto Domino illo, ante tribunal Christi, deducat rationes: insuper inferat iuxta pœnam sæculi, cum cogente fisco, partibus ipsius Ecclesiæ, aut auri lib. tantas, aut argenti pondo tan. & quod repetit nullatenus valeat vindicare, sed præsens cessio omni tempore inlibata permaneat, cum stipulatione subnixa.

V. *PRECARIA DE IPSA VILla, dum viuit.*

DOmino sancto, & Apostolica sede colendo, domno & in Christo patri, illi Episcopo, ille &

coniux mea illa. Pluribus non est incognitum, qualiter propter nomen Domini ad Ecclesiam illam, in honore sancti illius, villam nostram nuncupatam illam, sitam in pago illo, quicquid ibidem vndecumque nostra possessio in integritate, per epistolam cessionis nostræ visi fuimus concessisse, & eam vos ad partem subscriptæ Ecclesiæ recepistis; sed dum postea nostra fuit petitio, & vestra beneuolentia, & pietas habuit, vt ipsam villam dum aduiuimus, aut qui pari suo ex nobis subperstes fuerit, dum aduiuit, nobis ad beneficium vsufructuario ordine excolendum tenere permisistis. Ea scilicet ratione, vt nihil exinde penitus de qualibet re alienandi, aut minuendi pontificium non habeamus, sed absque vllo præiudicio, suprascriptæ Ecclesiæ, vel vestro, eam tantummodo excolere

debeamus. Ideo hanc precariam vobis emittimus, vt nullo vnquam tempore noſtra poſſeſſio etiamſi ſpatium vitæ nobis Dominus prolongauerit, nullum præiudicium aut deminutionem aliquam de ipſa villa vobis generare non debeat, niſi vſu tantum dum aduiuimus habere debeamus, & poſt noſtrum ambobus diſceſſum, cũ omni re meliorata, quicquid ibidem vndique adtrahere aut meliorare poterimus, per hanc precaturiam, ac ſi ſemper per quinquennium renouata fuiſſet, abſque vllius iudicis, aut heredum noſtrorum expectata traditione, vos vel ſucceſſores veſtri, aut agentes Eccleſiæ, in veſtram eam faciatis dominationem reuocare perpetualiter poſſidẽdum, vel quicquid exinde facere legeritis, ſicut noſtra continet epiſtola, ad profectum præfatæ Eccleſiæ Domini

illius liberum habeatis arbitrium. Facta precaria ibi.

VI. *DONATIO DE PARVA re ad Ecclesiam.*

SI aliquid de rebus nostris, locis sanctorum, vel in substantia pauperum, conferimus, hoc nobis proculdubio in æterna beatitudine retribuere confidimus. Ergo ego in Dei nomine ille, in amore Domini nostri Iesu Christi, & remissione peccatorum meorum, vt veniam delictis meis consequi merear, in futurum dono donatumque in perpetuum esse volo, ad basilicam illã in honore sancti illius cõstructam, portionem meam in villa nuncupante illa, in pago illo, quicquid ibidem ad præsens tam de alode parentum, vel de quolibet adtractu, possidere videor, totum & ad integrum, ad præfatam basilicam volo esse

esse donatum. Ea videlicet ratione, vt dum aduixero sub vsu beneficij tantum eam, absque vllo præiudicio, vel diminutione aliqua de qualibet re antedictæ basilicæ, excolere debeam. Post meum quoque, quādoquidem Deus de hac luce voluerit, discessum, de præsenti, absque cuiuslibet iudicum, aut heredum meorum expectata traditione, aut contrarietate cum terris, domibus, ædificiis, accolabus, mancipiis, campis, vineis, syluis, pratis, pascuis, aquis, aquarumue decursibus, vel reliquis quibuscumque beneficiis, Aba de ipsa basilica, vel agentes eius, in eorum debeant dominationem reuocare perpetualiter possidendum: habendi, tenendi, vel quicquid exinde pro opportunitate antedictæ Ecclesiæ elegerint faciendi, liberam in omnibus habeāt potestatem. Si quis vero quod futu-

rum esse non credimus, nos ipse, quod absit, aut aliquis de heredibus nostris, seu quælibet opposita persona, calliditate commotus, aut cupiditate præuentus contra hanc Epistolam donationis nostræ, quã spontanea voluntate propter nomen Dei, fieri decreuimus, venire aut eam infrangere conatus fuerit, iram trinæ maiestatis incurrat, & cum superscripto sancto illo ante tribunal Christi deducat rationes: Insuper inferat partibus ipsius basilicæ, cum cogente fisco auri tan. argenti tan. & quod repetit vindicare non valeat; sed præsens epistola omni tempore firma & inuiolata permaneat, stipulatione subnixa.

VII. *CHARTA DONATIONIS inter virum & fœminam de eorum rebus.*

QVicquid enim inter coniugatos, de propria facultate, manente caritate, pro amore dilectionis, in inuicem condonare placuerit, scripturarum necesse est titulis alligare, ne in posterum ab heredibus eorum, vel à quocumq. possit conuelli. Igitur ego in Dei nomine ille, & tu dulcissima coniux mea illa, dum & inter nos procreatio filiorum minimè esse videtur, ideo conuenit nobis, vt omne corpus facultatis nostræ, inuicem vsufructuario ordine condonare debeamus, quod ita & fecimus. Proinde dono tibi dulcissima coniux mea, si mihi in hoc sæculo superstes fueris, omne corpus facultatis meæ, tã de alode, aut de comparato, vel de

quolibet adtractu, vbicumque habere videor, & quod pariter in coniugio positi laborauimus, tam terris, villabus, domibus cum omni præsidio, accolabus, mancipiis, vineis, campis, pratis, aquis, aquarumue decursibus, auro, argento, vestimentis, peculio vtriusque sexus, maiore vel minore; ita vt dum vixeris vsufructuario ordine valeas possidere, vel dominare; excepto quod pro animæ remedio ad loca sanctorum cõdonauimus, vt inspecta nostra delegatione in omnibus conseruetur, & quantumcumque de alode nostra post meum discessum, pro communi mercede, ad loca sanctorum legaliter condonare, & delegare volueris, hoc licentiam habeas faciendi, & inspecta delegatione inconuulsum permaneat; in reliquum verò omnes res ipsæ, quãtum post tuum discessum intesta-

tum remanserit, ad nostros legitimos reuertatur heredes. Similiter & ego illa, dulcissime iugalis meus ille, commonet me dulcitudo tua, in compensationem rerum tuarum quas in me visus es contulisse, si mihi in hunc sæculum superstes fueris, dono tibi omne corpus facultatis meæ, vbicumque, vndecũque, tam de hereditate parentum, quam de comparato, vel quòd pariter laborauimus, totum & ad integrũ, tam in villabus, domibus, &c. excepto quod pro animæ remedio ad loca sanctorum delegauimus, vt inspectis ipsis instrumentis, in omnibus conseruetur, & quod de ipsa alode mea, post meum discessum, pro cómuni mercede ad loca sanctorum relinquere, vel ingenuos relaxare volueris, licentiam habeas, & inspectis ipsis instrumentis, in omnibus conseruetur; Post tuum quoque

discessum, quicquid intestatum remanserit, ad nostros heredes, qui tunc propinquiores fuerint, reuertatur. Si vero quod futurum esse nó credimus, aliqui de heredibus nostris, vel quicumque contra hanc interdonationem, vnde inter nos chartas vno tenore conscriptas firmauimus, venire aut infrangere voluerit, nullatenus valeat vindicare, sed inferat partibus vestris cum cogente fisco, auri lib. tan. argenti tan. præsens vero epistola, in nullo possit conuelli, sed firma & inlibata permaneat.

VIII. *ITEM ALIA SINE ALIqua minuatione.*

ISta alia à capite instar prioris vsque dum aduixeris vsufructuario ordine debeas possidere, post tuum quoque discessum ad legitimos nostros reuertatur heredes, & nullum

pontificium quicquam exinde alienandi, aut minuendi habere non debeas. Similiter & ego illa; dulcissime iugalis meus ille: commonet me dulcitudo tua, in compensationem rerum tuarum, quas in me visus es contulisse, si mihi in hoc sæculum superstes fueris, omnes res meas quascumque, aut vbicumque, tam in terris, *& reliqua* sub vsu beneficij debeas possidere, & nullum pontificium quicquam exinde alienandi, aut minuendi, præter vsum tantum non habeas, & post tuum discessum ad legitimos nostros reuertatur heredes.

IX. *CHARTA OBNOXIationis à patre in filiis facta.*

DVlcissimis filiis meis illis. Omnibus non habetur incognitum qualiter ante hos annos villas aliquas nuncupatas illas, sitas ibi ge-

nitrix vestra antequam meo sociassem coniugio, per epistolam cessionis, aut libellum dotis visus sum condonare. Sed dum & ipsa, peccatis meis facientibus, ab hac luce discessit, & vos omnem alodem ipsius genitricis vestræ illius iuxta quod & ratio præstitit, mecum exinde in præsentia bonorum hominum, aut Regis, altercatis, per ipsam epistolam, quam in eam fecerimus, contra nos euindicastis, & in vestram potestatem omnem alodem ipsius recepistis. Sed dum & nostra fuit petitio, & vos vt condecet bonis filiis, voluntati nostræ obtemperantes, ipsas villas, vel res quę fuerunt genitricis vestræ, quas ego ei dedi vel condonaueram, mihi ad vsum beneficij tenere & excolere, absque vllo vestro præiudicio, permisistis. Ideo nobis cõplacuit, alias villas nostras illas, pro beneuolen-

tia vestra,& supra scripto vsu,de villis vestris per hanc epistolam obnoxiationis vobis obnoxiasse. Ita vt deinceps tam suprascriptas villas, quam etiam & illas quas supra-scriptæ genitrici vestræ, per meam epistolam contuleram, per vestrum beneficium excolere debeamus, & nullum pontificium de omnibus suprascriptis nec vendere, nec alienare,nec concamiare, nec pro quolibet ingenio minuere, habere non debeam,nisi tantum vsum, sed per hãc epistolam obnoxiationis meæ, in vestro sint arbitrio & potestate, & quandocumque volueritis, & vobis placuerit,absque vlla mea cõtrarietate,aut repetitione omnia superius prænotata, tam quod vestrũ anteà,de parte genitricis vestræ fuit alode, quam & illas alias nũcupatas sic, quas vobis pro ipso vsu visus sum obnoxiasse, in vestram debea-

tis reuocare dominationem perpetualiter possidendum, vel quicquid exinde facere volueritis, liberam inde habeatis potestatem, absque alia aliqua intercedente precaria, sed per hanc obnoxiationem, ac si semper per quinquennium renouata fuisset, perpetim valeat obtinere vigorem, stipulatione subnexa.

X. *EPISTOLA CVM IN LOCO filiorum nepotes instituuntur ab auo.*

DVlcissimis nepotibus meis illis ille. Dum & peccatis meis facientibus genitrix vestra filia mea illa quod non optaueram tempore naturæ suæ complente ab hac luce discessit. Ego vero pensans consanguinitatis casum dum & per legem cum cæteris filiis meis auunculis vestris in alode meo accedere minimè potueratis, ideo per hãc epistolam,

vos dulciſſimi nepotes mei, volo vt in omni alode mea, poſt meum diſceſſum, ſi mihi ſuperſtites fueritis, hoc eſt tam terris, domibus, accolabus, mancipiis, vineis, ſyluis, campis, pratis, paſcuis, aquis, aquarumue decurſibus, mobilibus immobilibus, peculio vtriuſque ſexus maiore, vel minore, omnique ſupellectile domus, & quodcumque dici poteſt, quicquid ſupradicta genitrix veſtra, ſi mihi ſuperſtes fuiſſet, de alode mea recipere potuerat, vos cõtra auũculos veſtros filios meos, præfatã portionem recipere faciatis, & dum ipſi filiæ meæ genitrici veſtræ quando eam nuptam tradidi in aliquid de reb. meis, mobilibus, drappis, fabricaturis, vel aliqua mãcipia in ſol. tan. dedi, vobis hoc in parte veſtra ſupputare, contrà filiis meis faciatis: & ſi amplius vobis inſuper de præſidio noſtro obuene-

rit, tunc cum filiis meis auunculis veſtris, portionem vobis ex hoc debitam recipiatis, & quicquid exinde de omnibus ſuperius cõſcriptis, facere volueritis, liberam in omnibus habeatis poteſtatem. Si quis vero quod futurum eſſe non credimus, aliquis de heredibus, vel pro heredibus meis, vel quælibet perſona, contra hanc Epiſtolam venire tentauerit, aut eam infrangere voluerit, inferat vobis tan. & quod repetit nullatenus vindicare valeat, ſed præſens epiſtola omni tempore firma permaneat, cum ſtipulatione ſubnexa. Actum illo, &c.

XI. *CHARTA QVI SVO NEpote aliquid meliorare voluerit.*

DVlciſſimo nepoti meo illi ille. Dum & iã ſenectus adgrauat, & neceſſitates meas, vt oportet procurare non valeam, & tu mihi

in neceſſitatibus meis ſolatium prębere non deſiiſti,& die noctuq; deſeruire non ceſſas. Ideo pro bonitate, & pro reſpectu ſeruitutis tuæ, qua circa me deſudas, cedo tibi ceſſumque in perpetuum eſſe volo, & de meo iure in tuã transfundo dominationem & poteſtatem,abſque conſortio fratrum tuorum,vel filiis meis locum nuncupantẽ illũ, quicquid ibidem nunc tam de alode parentum, quàm de reliquo adtractu, viſus ſum tenuiſſe, vna cum terris, domibus,ædificiis,accolabus,mancipiis, vineis, ſyluis, campis, pratis, paſcuis, aquis, aquarumue decurſibus,vel reliquis quibuſcumque beneficiis,tibi vt diximus à die pręſente volo eſſe conceſſum. Ita vt ab hac die, ſicut ſuperius diximus, eum cũ omni integritate ſua habeas, teneas,poſſideas,vel quicquid exinde facere volueris, abſque conſortio

fratrum tuorum, vel filiorum meorum, liberam in omnibus habeas potestatem. Si quis vero, quod futurum esse non credo, aliquis de heredibus, vel proheredibus meis, seu quælibet persona, contra hanc cessionem meam quoque tempore venire, aut eam infringere voluerit, inferat tibi cum cogente fisco auri tantum, & quod repetit vindicare non valeat; sed præsens epistola firma permaneat stipulatione subnexa. Actum, &c.

XII. *VT FILIA CVM FRATRIBVS in paterna succedat alode.*

DVlcissimæ filiæ meæ illi, illc. Diuturna, sed impia, inter nos consuetudo tenetur, vt de terra paterna sorores cum fratribus portionem non habeant, sed ego perpendens hanc impietatem, sicut mihi à Domino æqualiter donati estis filij,

ita & à me ſitis æqualiter diligendi, & de rebus meis poſt meum diſceſſum æqualiter gratulemini ; ideoque per hanc epiſtolam te, dulciſſima filia mea, cõtra germanos tuos, filios meos illos, in omni hereditate mea, æqualem & legitimam eſſe conſtituo heredem, vt tam de alode paterna, quam de comparato, vel mancipiis, aut præſidio noſtro, vel quodcúmque morientes reliquerimus æqua lance cum filiis meis, germanis tuis, diuidere, vel exæquare debeas, & in nullo penitus portionem minorem quam ipſi, non accipies, ſed omnia inter vos diuidere, vel exæquare æqualiter debeatis. Si quis vero, *& quod ſequitur.*

XIII. *SI QVIS EXTRANEVM hominem in loco filiorum adoptauerit.*

DOmino fratri illi, ille. Dum peccatis meis facientibus, diu orbatus à filiis, & me paupertas, & infirmitas afficere videtur, & te, iuxta quod inter nos bonæ pacis placuit atque conuenit, in loco filiorum meorum visus sum adoptasse. Ita vt dum aduixero, victum & vestitum, tam in dorso, quam in lecto, seu calciamento mihi in omnibus sufficienter impertias, & procures, & omnes res meas, quascumque habere videor, tam manso, vinea, prato, peculio, seu reliqua supellectile domus meæ, saluo iure illo, me viuente in tua potestate recipere debeat. Propterea tibi hanc epistolam fieri decreui, vt neque ego, nec nullus de heredibus meis, aut quicumque

cumq; hanc conuenientiam, inter nos factam emutare non possit, sed sicut superius continetur, meas necessitates dū aduixero debeas procurare; & omnes res meæ, & ad præsens, & post meum discessum, in tua potestate permaneant; & quod tibi exinde placuerit, faciendi, liberam habeas potestatem. Quod si aliquis, hoc, quoque tempore emutare voluerit, inferat tibi tantum, & quod repetit vindicare non valeat; sed præsens epistola omni tempore firma permaneat.

XIII. *PACTVM INTER PArentes de eorum hereditate.*

QVicquid enim inter propinquos, de alode parentum, nō à iudiciaria potestate coacti, sed sponte manente charitate iuste debita vnicuique portio terminatur, non de rebus detrimentum, sed

augmentum potius poteſt eſſe cenſendum. Et ideo neceſſe eſt inter ſe eorum facta ſcripturarum ſerie alligari, ne ab aliquibus in poſterum valeat refragari. Ideo dum inter illum & germanum ſuum illum de alode genitorum eorum illius & illius, bonæ pacis placuit, atque conuenit, vt eam inter ſe manẽte charitate diuidere, vel exęquare deberẽt, quod ita & fecerunt. Accepit itaque ille villas nuncupatas illas, ſitas ibi, cum mancipiis tantis illis ſimiliter. De præſidio vero, drappis, fabricaturis, vel omni ſupellectile domus, quicquid dici aut nominari poteſt æqua lance inter ſe viſi ſunt diuiſiſſe, vel exæquaſſe, & hoc inuicem pars parti tradidiſſe, & per fiſtucam omnia partitum eſſe dixiſſe. Propterea præſentes epiſtolas duas, vno tenore conſcriptas loco pactionis inter ſe viſi ſunt conſcripſiſſe: vt

nullus deinceps cõtra parem ſuum, niſi quod ad præſens accepit, de ipſa alode genitoris eorum amplius requirẽdi pontificium habere non debeat. Quod ſi aliquando aliquis ex ipſis, aut heredes eorum hoc mutare voluerint, aut amplius requirere quam accepit, voluerit, aut adſumere, inferat pari ſuo (iſta tuta ſeruata) auri lib. tan. argenti pondo tan. & quod repetit vindicare non valeat; ſed præſens pactio, omni tempore firma permaneat, ſtipulatione ſubnixa. Actum, &c.

XV. *LIBELLVS DOTIS.*

QVod bonum, fauſtum, felix proſperumue eueniat. De diſponſandis maritandiſque ordinibus, ac procreationi liberorum, cauſis quæ ſunt neceſſariæ, vt omnis etiam donatio, per ſcripturarum ſeriem, pleniorem obtineat

firmitatem. Donat igitur ille honestæ, puellæ, nurui suæ illi sponsæ filij sui illius, ante diem nuptiarum, donationisque animo transfert, aut transcribit, hoc est in tanto, dono villam nuncupatam illam, sitam ibi, cum domo condigna ad habitandum, vel omnem integritatem ibidem aspicientem; Similiter & in dotis titulum alias villas nuncupatas illas, sitas ibi, mancipia tanta illa & illa, inter aurum & argentum, fabricaturas in solidos tantos, caballos tantos, boues tantos, gregem equorum, gregem armentorum, gregem porcorum, gregem ouium; ita vt hæc omnia per manum suam ad suprascriptam puellam nurum suam illam ante diem nuptiarum debeat peruenire, & in sua dominatione reuocare, vel quicquid exinde facere voluerit liberam habeat potestatem. Quod si quis contra

hunc libellum dotis venire, & eum infringere conauerit, inferat partibus illorum tantum, *& reliqua.*

XVI. *SI ALIQVIS PVELLAM inuitam traxerit.*

DVlcissimæ coniugi meæ illi, ille. Dum & te sine voluntate parentum tuorum, habui desponsatam, & absque tua, vel parentum tuorum voluntate, rapto scelere meo coniugio sociaui : id est, dum & te * faciente conturno, contra voluntatem parentum tuorum, rapto scelere, in coniugio sociaui, vnde vitæ periculum incurrere debui, sed interuenientibus sacerdotibus, vel bonis hominibus vitam obtinui; Sic tamen, vt quod tibi in tanto dono, vel in dotis titulum, ante diem nuptiarum si te desponsatam habuissem, conferre debueram, per hanc epistolam com-

positionalem, aut si conuenit cessionem, firmare deberem, quod ita & feci. Ideoque dono tibi locellum nuncupantem illum, situm in pago illo, cum domibus ad manendum condignis, vel omnibus intrinsecus vtensilibus necessariis, cum terris, accolabus, mancipiis tantis illis, vineis, syluis, pratis, pascuis, vel reliquis quibuscumque beneficiis, caballos tãtos, boues tantos, gregem equorum, gregem armentorum, gregẽ porcorum, gregem ouium, inter aurum & argentum, fabricaturas in solidis tantis, drappos, hæc omnia superius comprehensa, à die præsente in tua tradidi potestate & dominatione possidendum, habendi, tenendi, vel quicquid exinde elegeris faciendi, liberam habeas potestatem. Si quis vero, &c.

XVII. *QVALITER IN VNO volumine testamentum duarum personarum condatur.*

REgnante in perpetuũ Domino nostro Iesu Christo, anno illo, regnante illo Rege, sub die illo, Ego ille & coniux mea illa, sana mente, integroque consilio, metuentes casus humanæ fragilitatis, testamentum nostrum cõdidimus, quod illi notario scribendum commisimus, vt quo modo dies legitimus post transitum nostrum aduenerit, recognitis sigillis, inciso lino, vt Romanæ legis decreuit auctoritas, per inlustres viros illos, quos in hac pagina testamenti nostri legatarios instituemus, gestis Reipublicæ municipalibus, titulisque, eorum prosecutione, ab ipsis muniatur. Igitur, cum iubente Domino de istius vitę cursu migrauerimus, tunc

quicquid in omnibus pridie quam moriamur tenere videmur, quicquid & proprietate parentum, vel proprio labore, seu ex munificentia à piis principibus percipere meruimus, vel de quibuslibet titulis atque contractibus venditionis, cessionis, donationis, vel vndique Domino adiuuante ad nostram peruenit dominationem, tu tunc dulcissima coniux mea illa, & quos heredes meos vos esse volo, hereditatem meam habitote. Reliqui vero heredes, exheredes sint. Ergo excepto quod vnicuique per hoc testamentum dedero, darique iussero, id vt fiat, detur, præstetur, impleatur, te omnipotens Deus, testem committo, villas vero illas, & illas, sitas in pago illo, filius noster ille recipiat. Similiter villas illas, filius meus, vel filia illa, sitas in pago illo recipiat; Villas illas basilica illa,

vel monasterium sita ibi recipiat. Id vt fiat, detur, præstetur, impleatur, te omnipotens Deus ad defensandum committo: Licet de omnibus dum aduiuimus nostrum reseruauimus vsum. Sed dum in villis quibusdam, quas superius memorauimus, quas ad loca sanctorum, & heredib. nostris deputauimus, quas pariter stante coniugio adquisiuimus prædicta coniux tertiam habere potuerat, propter ipsam tertiá villas nuncupatas illas, sitas in pagis illis, in integritate, si nobis superstes fuerit in compensationem recipiat. Et quicquid exinde pro communi mercede, vel in pauperibus, aut benemeritis nostris, facere decreuerit, licentiam habeat: Et post eius discessum si aliquid intestatum remáserit, heredes nostri recipiant. Liberos, liberas, quos quasque pro animæ remedio fecimus, aut inantea

facere voluerimus, & eis epistolas manu nostra firmatas dederimus, obsequium filiorum nostrorum habere cognoscant, & oblata, vel luminaria, iuxta quod ipsæ epistolæ continent, ad sepulchra nostra, tam ipsi quam proles eorum implere studeant. Et quibus aliquid de facultate nostra contulimus, singulariter in hoc testamentum nostrum inserere curauimus. In reliquo vero, qualescumque à quocumque epistolæ, de nomine nostro, manu nostra firmatæ ostensæ fuerint, & ante hoc testamentum prænotatæ, quas hic non commemorauimus, excepto de ingenuitatibus, quas pro animæ nostræ remedio fecimus, aut adhuc facere voluerimus, vacuæ permaneant: Et qui ex nobis pari suo superstes fuerit, & per qualecumque instrumentum de suprascripta facultate, in cuiuslibet per-

sona, vel bene meritis, nostri muneris aliquid contulerimus, in quãtum lex permittit, firma stabilitate debeat perdurare. Reliquæ vero epistolæ vacuæ & inaneis permaneant: & sic nobis pariter conuenit. Si tu mihi dulcissima coniux superstes fueris, & ad alium maritũ, quod tibi Deus non permittat, transire volueris, omnem facultatem meam quam ad vsumfructũ possidere tibi concessimus, vel quam à die præsenti deputauimus, & habere potueras, hoc præsentialiter heredes nostri recipiant inter se diuidédum. Itemque ego illa ancilla tua, Domine & iugalis meus ille, in hoc testamentum promtissima voluntate scribere, atque perpetua conseruatione rogaui, vt si tu domne & iugalis meus, mihi superstes fueris, omne corpus facultatis meæ, quantumcumque ex successione paren-

tum habere videor, vel in tuo seruitio pariter laborauimus, & quod in tertia mea accepi, in integrũ, quicquid exinde facere elegeris, aut pro animæ remedio in pauperes dispensare, aut ad vassos nostros, vel benemeritis nostris, absque repetitione heredum meorum, quod tua decreuit voluntas, faciendi liberam habeas potestatem. Et post discessum vestrum, quod non fuerit dispensatum, ad legitimos nostros reuertatur heredes. Hanc paginam testamenti, & manus nostræ propriis subscriptionibus, quod ex consuetudine habuimus subscripsimus, & per personas reliquas studuimus subscriptionibus roborari. Et vt hæc pagina huius testamenti in disceptationem venire non possit, si quæ lituræ, caraxaturæ, adiectiones, superdictione sue factæ sunt, nos eas fecimus, vel facere iussimus, dum

testamentum nostrum sæpius recurrimus, vel emendauimus. Si quis nostræ voluntati resistere, aut testamento nostro cuiuslibet calliditas conatus fuerit casu aliquo refragari, id implorantes diuini nominis maiestatem, obtestamur, vt pro nostrorum omnium criminum peccatis obnoxius, in die iudicij expers Ecclesiæ Catholicæ communionis & pacis, ante tribunal Christi pro violata defuncti voluntate compellatur subire negotium: atque eum Dominus sua vltione, quam promisit iniustis, cum venerit sæculum iudicare per ignem, feriat, & accipiat in conspectu eius damnationem perpetuam, quam suscepit Iudas traditor Domini. Illud namque intimare volumus, vt si aliquis de heredibus, vel proheredibus nostris, seu quælibet persona contra hanc testamenti paginam, quam plena &

integra voluntate fieri rogauimus, venire aut aliquid pulsare voluerit, inferat contra quem repetit tãtum, & aliud tantum quantum in hoc testamento continetur scriptum,& insuper faciat fisco auri lib.tan. argenti tan.& quod repetit vindicare non valeat.

XVIII. *SECVRITAS PRO homicidio facto.*

DOmino fratri illi, ille.DVm & instigante aduersario, quod non debueras,germanum nostrum illum visus es interfecisse, & ob hoc vitæ periculum incurrere potueras. Sed interuenientes sacerdotes ; & magnifici viri , quorum nomina subtus tenentur adnexa, nos ad pacis concordiam ob hoc visi fuerunt reuocasse. Ita vt pro ipsa causa solidos tantos, quos in præsentia mihi dare deberes, quos & in præsenti

per vuadium tuum visus es transsoluisse,& nos ipse causa persistata,cõtra te visus sum vuerpisse. Propterea iuxta quod conuenit, hanc epistolam securitatis, in te nobis conscribere complacuit, vt de ipsa morte germani nostri, nec à me,nec ab heredibus meis, aut suis, nec de iudiciaria potestate,nec à quolibet,nullo casu, nec refragationem aliquã, aut damnietatem amplius habere non pertimescas, sed in omnibus exinde ductus & absolutus appareas. Et si fortasse ego ipse, aut aliquis de heredibus meis,vel quicunque te ob hoc inquietare voluerit, & à me defensatum non fuerit, inferamus tibi cum cogente fisco,duplum, quod nobis dedisti; & quod repetit quis vindicare non valeat, sed præsens epistola securitatis à me facta firma permaneat.

XIX. *VENDITIO DE VILLA.*

DOmino fratri illi, ille. Licet empti venditíque contractus sola pretij adnumeratione, & rei ipsius traditione consistat, vt tabularum aliorumque documentorum ad hoc tantum interponatur instructio, vt fide rei, facti & iuris ratio comprobetur. Idcirco vendidisse me tibi constat, & ita vendidi villam iuris mei nuncupantem illam, sitam in pago illo, quam ex legitima successione parentum, *vel de quolibet modo ad eum peruenit*, habere videor, in integritate, cum terris, domibus, ædificiis, accolabus, mancipiis, vineis, siluis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumue decursibus, adiacentiis, appēditiis, vel omni merito & termino ibidem aspiciente. Et accepi vobis in pretio, iuxta quod mihi complacuit tantum,

tum, & memoratam villam vobis præsentialiter tradidi ad possidendum. Ita vt ab hac die habendi, tenendi, vel quicquid exinde elegeris, faciendi, liberam in omnibus habeas potestatem. Si quis verò, quod futurum esse non credo, si ego ipse, aut aliquis de heredibus, vel proheredibus, seu quælibet opposita persona, cõtra venditionem venire tentauerit, aut me malè vendidisse conuicerit, & à me vel heredibus meis defensatum non fuerit, tunc inferamus vobis heredibusq; vestris duplam pecuniam, quantum à vobis accepi, & quod ipsa villa meliorata valuerit; & quod repetit vindicare non valeat; sed præsens venditio omni tempore firma permaneat, stipulatione subnixa.
Actum, &c.

XX. *VENDITIO DE AREA infra ciuitatem.*

DOmino ſancto & Apoſtolico, domno & patri illi Epiſcopo ille. Conſtat me nulli coactum imperio, neque imaginario iure, ſed proprio voluntatis arbitrio, vobis vendidiſſe, & ita vendidi, aream iuris mei, infra muros ciuitatis illius, habentem per longum pedes tan. & in lato pedes tantos: quæ ſubiungit ad vnum latus terræ illi, ab alio latere terræ illi, à fronte vno terræ illi, & ab alio fronte terræ illi: & accepi à vobis in pretio, iuxta quod mihi complacuit, auri ſolidos tan. & præfatam aream vobis præſentialiter tradidi poſſidendam, ac habendi, tenendi, vel quicquid exinde elegeritis faciendi, libero perfruamini arbitrio. Si quis vero, quod futurum eſſe non cre-

do, si ego ipse, aut aliquis de heredibus meis, seu quælibet persona, cõtra hanc venditionem venire tentauerit, aut eam infrangere conatus fuerit, inferat vobis, aut auctoribus vestris, duplam pecuniæ, vel quantum area ipsa eo tempore meliorata valuerit, &c.

XXI. *VENDITIO DE campo.*

DOmino fratri illi, ille. Constat me tibi vendidisse, & ita vendidi campum iuris mei, situm in territorio illo, habentem plus minus tantum, qui subiungit à latere vno lui, ab alio latere lui, à fronte vno lui ab alio vero fronte illius, & accepi à vobis in pretium iuxta quod mihi complacuit auri solidos tantos, & ipsum campũ vobis præsentialiter tradidi possidendum, habendi vel quicquid exinde volueris faciendi

liberam habeas potestatem. Si quis vero,&c.

XXII. *VENDITIO DE SERVO aut ancilla.*

DOmino fratri illi,ille. Constat me vobis vendidisse, & ita vendidi,seruum iuris mei,aut ancillam nomine illam,non furem, non fugitiuum, neque cadiuum, sed mente & omni corpore sanum. Pro quo accepi à vobis in pretio, iuxta quod mihi complacuit auri solidos,probos atque præsentes,numero tantos, & ipsum seruum vobis presentialiter tradidi possidendum. Ita vt ab hac die habendi, tenendi, vel quicquid exinde decreueris faciendi, libero potiaris arbitrio. Si quis verò, quod futurum esse non credimus, si ego ipse,aut aliquis de heredibus meis, seu quælibet persona,contra hanc venditionem ve-

nire tentauerit, aut eam infringere voluerit, inferat tibi cum cogente fisco auri tantum, vel quantum seruus ipse eo tempore melioratus valuerit; & hæc venditio omni tempore firma permaneat, stipulatione subnixa. Actum illo, sub die illo, anno illo.

XXIII. *CONCAMBIVM de villis.*

INter quos charitas inlibata permanserit pars parti, beneficia oportuna præstantur. Quia nihil sibi de rebus propriis censet minui, quod écontra recipit in augmentum. Ideo placuit atque conuenit inter venerabilem virum illum ex permissu Apostolici viri illius, & inlustrem virum illum, vt locellos aliquos inter se cõcambiare deberẽt, quod & ita fecerunt. Dedit igitur ille venerabilis vir lui, locellum

nuncupatum illum, ſitum ibi, de parte baſilicæ ſanctæ, illi memorato lui, quicquid ibidem ad præſens, de quolibet adtractu, tenere videbatur, cum terris, domibus, ædificiis, accolabus, mancipiis, vineis, ſyluis, campis, pratis, paſcuis, aquis, aquarumue decurſibus, vel omnibus ibidem aſpicientibus. Similiter in compenſationem huius meriti, dedit ſupraſcriptus ille, ad partem memorati Abatis illius, vel prædictæ baſilicæ alium locellum nuncupatum illum, ſitum ibi, quicquid ibidem ad præſens, de quocumque adtractu, ibidem habere videbatur, cum terris, domibus, ædificiis, accolabus, mancipiis, vineis, ſyluis, campis, pratis, paſcuis, aquis, aquarumue decurſibus, vel omnibus ibidem aſpicientibus. Ita vt ab hac die vnuſquiſq; memoratos locos quos acceperunt, habendi, tenendi, vel quic-

quid exinde pro eorum oportunitate & compédio facere elegerint, libero perfruantur arbitrio. Illud vero addi conuenit, vt si aliqua pars ex ipsis aut heredes, vel successores eorum, hoc emutare, vel refragare voluerit, rem quam accepit amittat, & insuper inferat pari suo, cui hoc facere præsumpserit, auri libras tan. argenti pondo tan. & quod repetit vindicare non valeat; sed præsens, vnde duas inter se vno tenore conscripserunt, firma & inuiolata permaneat, stipulatione subnixa. Actum illo.

XXIV. *CONCAMBIVM DE terra, aut vinea.*

IDeoque placuit inter illum & illum, vt terram aliquam, aut pratū, aut vineam, seu quodlibet inter se commutare deberent, quod ita & fecerunt. Dedit igitur ille illi, il-

lum campum in loco nuncupante illo, habentem tantum, qui subiungit à latere vno illi, ab alio latere, aut fronte illi. Simili modo è contra incompenso dedit ille illi aliũ campum ibi, aut in alio loco, habentem tantum, qui subiungit de lateribus, à frontibus illis. Ita vt ab hac die vnusquisque ex ipsis, quod accepit habendi, tenendi, vel quicquid exinde elegerint faciendi, liberam habeant potestatem. Si quis vero aliquis ex ipsis, aut heredes eorum, vel quicumque hoc emutare voluerit, quam acceperit pari suo amittat, & insuper inferat cum cogente fisco auri tan. & quod repetit vindicare non valeat; sed præsens commutatio, vnde inter se pro firmitatis studio duas vno tenore conscripserunt, omni tempore firma permaneat; stipulatione subnixa. Actum illo.

XXV. *CAVTIONES DIVERSO modo factæ.*

DOmino mihi propitio illi, ille. Dum & ad meam petitionē, & necessitatem supplendo, vestra bonitas habuit, vt libram de argento, de rebus vestris nobis ad beneficium præstitistis. Ideo per hoc vinculum cautionis, spondeo me KL. illis proximis ipsum argentum vestris partib. esse redditurū. Quod si non fecero, & dies placitus mihi præfinitus transierit, pro duplo in crastinum me, aut heredes meos, vos aut heredes vestri, aut cui hanc cautionem dederitis exigendam, teneatis obnoxium. Facta cautione ibi, sub die illo, Anno illo.

XXVI. *ITEM ALIA.*

DOmino suo illi, ille. Constat me à vobis accepisse, & acci-

pere debere, & debeo, hoc est solidos tantos, pro quibus solidis quos post me retinuero, annis singulis, per singulos solidos, singulos trientes vestris partibus esse redditurum. Et si hoc facere contempsero, aut exinde negligens apparuero, ad duplum ipso loco vobis reddere spondeo. Et quomodo de mea proprietate ipsos solidos vestros reddere potuero, hanc cautionem à vobis recipiam.

XXVII. *ITEM ALIA.*

DOmino fratri illi, ille. Quatenus necessitati meæ supplendo, solidos vestros numero tãtum, mihi ad beneficium pręstitisti. Ideo iuxta quod mihi aptificauit, taliter inter nos conuenit, vt dum ipsos solidos de meo proprio reddere potuero, dies tantos in vnaquaque hebdomada seruitio vestro, quale

mihi vos, aut agentes vestri iniunxeritis, facere debeam. Quod si exinde negligens, aut tardus apparuero, licentiam habeatis, sicut & cæteris seruientibus vestris disciplinam corporalem imponere: & quomodo solidos vestros, reddere potuero, meam cautionem absque vllo euacuario intercedente recipiamus.

XXVIII. *QVI SE IN SERVItio alterius obnoxiat.*

DOmino mihi proprio illi. Dũ & instigante aduersario, fragilitatem meam præualente, in casus graues cecidi, vnde mortis periculum incurrere potueramus. Sed dum vestra pietas me iam morti adiudicatum, de pecunia vestra redemistis, vel pro meo scelere res vestras quamplures dedistis: Et ego de rebus meis, vnde vestra beneficia rependere debuissem, non habeo:

Ideo pro hoc ſtatum ingenuitatis meæ vobis viſus ſum obnoxiaſſe. Ita vt ab hac die de veſtro ſeruitio penitus non diſcedam. Sed quicquid reliqui faciunt, pro veſtro, aut agétium veſtrorũ imperio facere ſpondeo. Quod ſi non fecero, aut me per quodlibet ingenium de ſeruitio veſtro abſtrahere voluero, vel dominium alterius expetere, aut res ſuſcipere voluero, licentiam habeatis mihi qualemcumque volueritis diſciplinã ponere, vel venundare, aut quod vobis placuerit de me facere. Facta obnoxiatione tũc, ſub die illo.

XXIX. *CHARTA DE AGNAtione, ſi ſeruus ingenuam trahit.*

IGitur ego in Dei nomine ille, illi fœminæ. Illud non habetur incognitum, qualiter ſeruus meus nomine ille, te abſque parentum vel tua voluntate, rapto ſcelere in con-

iugium sociauit,& ob hoc vitæ periculum incurrere potuerat. Sed venientibus & mediantibus amicis, vel bonis hominibus conuenit inter nos, vt si aliqua procreatio filiorum orta fuerit inter vos, in integra ingenuitate permaneant. *Et si voluntaria seruum accipit dicis.* Omnibus non habetur incognitum, qualiter seruum meum nomine illum volũtaria secuta es,& accepisti maritum. Sed dum te ipsam & agnationem tuam, in meo inclinare potueram seruitio: Sed propter nomen Domini, & remissionem peccatorum meorum,propterea præsentem epistolam in te mihi complacuit conscribendam, vt si aliqua procreatio filiorum, aut filiarum inter vos orta fuerit,penitus nec nos, nec heredes nostri, nec quislibet, vllo vnquam tempore in seruitio inclinare non debeamus. Sed integræ ingenuita-

tis, tanquam si ab vtrisque parentibus ingenuis fuisset procreati, omni vita sua permaneant. Peculiari concesso, quocumque labore potuerint, & sub integra ingenuitate, super terrā nostram, aut filiorū nostrorum, absque vllo præiudicio de statu ingenuitatis eorum commanere debeant: & reditus terræ, vt mos est, pro ingenuitate annis singulis desoluant, & semper in integra ingenuitate permaneant, tam ipsi quam & posteritas illorum. Si quis vero, quod futurum esse non credimus, nos ipsi, aut aliquis de heredibus, vel quicumque contra hác chartulam venire tentauerit, aut eam infrangere voluerit, inferat tibi, aut heredibus tuis, auri libras tantas, argenti pondo tan. & quod repetit vindicare non valeat; sed præsens chartula omni tempore firma permaneat, stipulatione subnixa. Actum illo.

XXX. *LIBELLVS REPVDII.*

DVm & inter illum & coniugem suam illam, non charitas secundum Deum, sed discordia regnat, & ob hoc pariter conuersare minimè possunt: Placuit vtriusque voluntate, vt se à consortio separare deberent, quod ita & fecerunt. Propterea has epistolas inter se vno tenore conscriptas fieri, & adfirmare decreuerunt: vt vnusquisque ex ipsis, siue ad seruitium Dei in monasterio, aut copulæ matrimonij sociare se voluerit licétiam habeat, & nullam requisitionem ex hoc de parte proximi sui habere non debeat. Si quis vero, aut aliqua pars ex ipsis hoc emutare, aut contra parem suum repetere voluerit, inferat pari suo auri lib. 1. & vt decreuerunt à proprio consortio sequestrati, in ea quam elegerint parte permaneant.

Facta epistola, sub die illo. Anno illo, regnante illo Rege.

XXXI. *MANDATVM.*

DOmino fratri illi, ille. Precor & supplico dominationi vestræ, dum & causam pro alode, aut qualicumque, cum homine nomine illo, in palatio, aut vbilibet, habere videor, & ipsam causam suscipere admallandam, vel prosequendam in vice mea debeas, & cum suprascripto illo ex hoc rationare, vel quicquid exinde cum eo de ipsa causa egeris, gesserisue, ratum & definitum apud me esse cognoscas. Factum mandatum sub die illo.

XXXII. *IN-*

XXXII. *INCIPIVNT INGENVITATES diuerso modo factæ.*

INGENVITAS A DIE præsente.

QVi debitum sibi nexum relaxat seruitium, mercedem in futurum apud Dominum sibi retribuere confidat. Igitur ego in Dei nomine ille, & coniux mea illa, pro remedio animæ nostræ, vel retributione æterna, te illum, aut illum, ex familia nostra, à præsente die, ab omni vinculo seruitutis absoluimus. Ita vt deinceps, tanquam si ab ingenuis parentibus fuisses procreatus, vitam ducas ingenuam, & nulli heredum ac proheredum nostrorum, vel cuicumque seruitium, nec libertinitatis obsequium debeas, nisi soli Deo, cui omnia subiecta sunt: peculiari concesso, quod ha-

bes, aut deinceps elaborare potueris. Si tibi neceſſitas, ad tuã ingenuitatem tuendam, contigerit, abſque vllo prejudicio ingenuitatis tuæ, defenſionem Eccleſiæ, aut cuiuſcumque te eligere placuerit, licentiam habeas, & vitam ſemper benè & integrè ducas ingenuam. Si quis vero, quod futurum eſſe non credimus, nos ipſi, quod abſit, aut aliquis de heredibus noſtris, vel quælibet oppoſita perſona, contra hanc ingenuitatem tuam venire, aut eam infrangere conauerit, aut te in ſeruitio inclinare voluerit, diuina illũ vltio ſubſequatur, & à liminibus Eccleſiarum, vel à communione extraneus efficiatur. Et inſuper inferat tibi cum cogente fiſco auri lib. 1. & quod repetit vindicare non valeat, ſed præſens ingenuitas omni tempore firma permaneat, ſtipulatione ſubnixa.

XXXIII. *ITEM INGENVITAS alio modo post discessum.*

DIlecto suo illi, aut illi. Pro respectu fidei ac seruitutis quâ mihi famularis, pro remissione peccatorum meorum, te ab omni vinculo seruitutis absoluo. Ea tamen conditione, vt dum aduixero, mihi deseruias: post obitum vero meum si mihi superstes fueris, sis ingenuus, tanquam si ab ingenuis parentibus fuisses procreatus, & nulli heredum ac proheredum meorum, vel cuicumque seruitium impendas. Peculiare concessum quod habes, aut elaborare potueris, &c.

XXXIV. *ITEM ALIA adhuc alio modo.*

SI aliquos ex seruientibus nostris à iugo seruitutis absoluimus, mercedem in futurum nobis

ab hoc retribuere confidimus. Igitur ego ille, propter nomen Domini, & retributionem æternam te illum ab omni vinculo seruitutis absoluimus. Ita vt ab hac die vitam ducas ingenuam, tanquam si ab ingenuis parentibus fuisses procreatus, & nulli heredum ac proheredum meorum, vel cuicumque seruitium impendas: nisi sub integra ingenuitate defensionem eius qué ex meis heredibus elegeris habere debeas, & oblata mea vbi meum requiescit corpusculum, vel luminaria annis singulis debeas procurare. Peculiari concesso, quod habes, aut elaborare potueris, aut si conuenit defensionem Ecclesiæ illius, & vitam semper ducas ingenuam. Si quis vero, &c.

XXXV. *EVACVATORIA.*

DOmino fratri illi, ille. Omnibus nó habetur incognitum qualiter ante hos annos, aut ante annum, solidos nostros, numero tantos ad beneficium accepisti, & cautionem nobis pro hoc emisisti, vt ipsos solidos tunc nobis reddere deberes, quod & ita fecisti. Sed dum illam cautionem, quam nobis emiseras ad præsens non inuenimus, ideo tibi hanc epistolam euacuatoriam fecimus, vt de ipsis solidis tant. omni tempore ductus & absolutus resideas: & si ipsa cautio apparuerit, vel á nobis, aut heredibus nostris, quoque tempore ostensa fuerit, nullum sortiatur effectum; sed vacua & inanis permaneat.

XXXVI. *SI ALIQVIS SERVO suo gaſindo ſuo aliquid concedere voluerit,*

IVſtiſſimè noſtris ſubleuátur muneribus, qui nobis fideliter & inſtanti famulantur officio. Ego in Dei nomine, nomine illo, fideli noſtro illi. pro reſpectu fidei & ſeruitutis quam circa nos impendere non deſiſtis, promtiſſima voluntate cedimus tibi à die præſente locellum nuncupantem illum, aut manſum illum infra terminum villæ noſtræ illius cum omni adiacentia ad ipſum locellum, aut manſellum aſpicientem, terris, domibus, mãcipiis, vineis, pratellis, ſyluula, vel reliquis beneficiis, ibidem aſpicientibus. Ita vt ab hac die ipſo iure proprietario, ſi ita conuenit, aut reditus terræ in tuam reuoces poteſtatem, & nullam functionem, aut reditus terræ,

vel pascuarium, aut agrarium, aut quodcumque dici potest, exinde soluere nec tu, nec tua posteritas, nobis, nec heredibus nostris, nec cuicumque post nos ipsam villam possederit, non debeatis, nisi tantum si ita vult riga. Sed ipsum omnibus diebus vitæ tuæ, aut heredis tui emuniter debeatis possidere, vel quicquid exinde facere volueris liberam habeatis potestatem. Si quis verò, quod futurum esse non credimus, aliquis de heredibus nostris, vel quicumque contra hanc cessionem nostram agere, aut ipsam rem tibi auferre conauerit, inferat tibi cum cogente fisco auri tan. & hæc epistola firma permaneat, stipulatione subnixa.

XXXVII. *GESTA IVXTA consuetudinem Romanorum, qualiter donationes vel testamenta legantur.*

ANno illo, regnante Rege illo, sub die illo, in ciuitate illa, adstante viro illo laudabili defensore, & omni curia illius ciuitatis, vir magnificus ille prosecutor dixit, Peto optime defensor, vosque laudabiles curiales atque municipes, vt mihi codices publicos patere iubeatis: quædam enim in manibus habeo, quæ gestorum cupio alligatione roborari. Defensor & curiales dixerunt, prosequere quæ optas, dicere ne moreris: vir magnificus prosecutor ille dixit; Venerabilis vir, aut inlustèr vir ille, per chartam mádata sua iniunxit, vt illam donationem testamenti, aut cessioné, quam ad basilicam ad locum sanctum il-

lum,aut inluſtri viro illi,ad præſens, aut poſt diſceſſum delegauit,in vice ſua,vt mos eſt geſtis municipalibus ipſam donationem debeam alligare: vir honeſtus defenſor dixit illi, Mandatum quod in te cõſcriptum habere dicis nobis oſtende, vel in præſenti recitetur.

XXXVIII. *TEXTVS mandati.*

DOmino magnifico fratri illi, ille. Peto & ſuplico charitati tuæ, vt in vicem meam epiſtolam donationis,aut teſtamenti,ſeu ceſſionis, quam de rebus meis illis, ad baſilicam illam pro animæ meæ remedio,aut inluſtri viro illi, poſt diſceſſum meum,vel ad præſens delegaui, in ciuitate illa publicè proſequere, & geſtis municipalibus, vt mos eſt, eam debeas alligare. Propterea tibi hoc mãdatum cõſcripſi,

vt ſicut ſuperius continetur, taliter proſequere & firmare debeas; & quicquid exinde egeris, geſſeriſue, ratũ & definitum apud nos eſſe cognoſcas. Factũ mandatũ tunc, ibi, anno illo. Poſt recitationem mandati, vir honeſtus ille defenſor dixit, Mandatum quidem recitatum eſt, ſed ſupraſcripta donatio, teſtamentum, aut ceſſio quam præ manibus habere dicis, nobis præſentibus recitetur, & vt poſtulas geſtis publicis firmetur. Quam vero donationem ille profeſſor recitauit. Poſt recitationem verò, vir laudabilis ille defenſor & curiales dixerunt: epiſtola quæ recitata eſt, geſtis publicis inſeratur, & quod ille proſecutor vult & petit, geſta ei publicè dẽtur: Ille proſecutor dixit, ſufficit mihi bone defenſor, & donatio quæ recitata eſt, ſi mihi geſta tradere iubeatis: ille defenſor dixit, Et quia

epistola donationis, aut cessionis, seu testamenti, & mandatum in te conscriptum per ordinem condita, & bonorum hominum manibus roborata, atque signata, manifesta esse cognouimus, dignum est vt gesta ex hoc conscripta, atque subscripta tibi tradantur, & vt in arcipibus publicis memorãda seruentur: Edatur super ordine, & mandatum suum in loco, & totus textus, & manumissoris epistolæ scribantur: & postea defensor, & curiales ciuium, & reliqui eam subscribant, atque signent.

XXXIX. *EPISTOLA, SI ALIqui rem Ecclesiæ ad vsum habeant, & eorum proprietatem pro hoc donent.*

DOmino sancto & Apostolico, Domino & in Christo patri illi Episcopo, ille & coniux mea

illa. Quatenus ad noſtram petitionem veſtra habuit pietas & beneuolentia, vt locellum aliquem Eccleſiæ veſtræ, nuncupantem illum, ſitum ibi, quem ille pro animæ ſuæ remedio ad Eccleſiam veſtram illam, in honore ſancti illius, delegauit, nobis ad beneficium dum pariter aduiuimus, aut qui ex nobis pari ſuo ſuperſtes fuerit, dum aduixerit excolere permiſiſtis. Et nos pariter, iuxta quod conuenit, tam pro ipſo vſu, quam pro animæ remedio, aliũ locellum nuncupantem ſic, ſitum ibi, poſt noſtrum ambobus diſceſſum, vobis vel ſucceſſoribus veſtris, ad memoratam Eccleſiam viſi fuimus condonaſſe. Ea tamen conditione, vt dum aduiuimus, ſupraſcripti loci, tam illi quos nobis præſtitiſtis, quam eos, quos pro animæ noſtræ remedio ad ipſam Eccleſiã delegauimus, abſque vllo præiudi-

cio Eccleſiæ veſtræ, ſine vlla diminutione, de qualibet re vſufructuario ordine poſſidere debeam. Et poſt noſtrum, vt diximus, ambobus diſceſſum, præfatos locos, abſque vlla alia renouata, (vt mos eſt in cæteris) precaria, per hanc epiſtolam abſque vllius heredum noſtrorum, aut cuiuſcumque contrarietate, vel expectata traditione, vos vel ſucceſſores aut agentes veſtri, in veſtram faciatis reuocare dominationem perpetualiter dominandum: & noſtra poſſeſſio nullo vnquam tempore nullum preiudicium vobis ex hoc generare non debeat. Si quis vero, quod futurum eſſe non credimus, nos ipſi, aut aliquis de heredibus noſtris, vel quælibet perſona, contra hanc epiſtolam venire, aut aliquid de ipſis locellis vobis minuere, aut auferre voluerit, cum ſupraſcripto domno illo, ante tri-

bunal Christi deducat rationes: & insuper inferat partibus Ecclesię vestræ tantum, & quod repetit vindicare non valeat; sed præsens epistola firma permaneat, stipulatione subnixa. Actum illo.

XL. *PRESTARIA DE RE Ecclesiæ ab Episcopo facta.*

IN Christo sanctæ Ecclesiæ filiis, *aut si tales fuerint*, inlustribus viris illis, ille gratia Dei Episcopus. Dū ad petitionem vestram alium locellum nuncupantem sic, situm ibi, de proprietate vestra, tam pro ipso vsu quàm pro animæ vestræ remedio, post amborum discessum ad ipsam Ecclesiam sancti illius, per vestram epistolam delegastis: ideo nobis, cū consensu fratrum nostrorum, conuenit, hanc epistolam prestariam in vobis pariter conscribere, vt dum pariter aduixeritis, aut qui ex vobis

pari suo superstes fuerit, & aduixerit, nec nos nec successores nostri, nec quislibet de parte Ecclesiæ nostræ ipsos locellos de vestra potestate pontificium auferendi non habeamus, sed per nostrum beneficium, aut successorum nostrorum, dum aduixeritis, absque vllo preiudicio Ecclesiæ nostræ, vel minuatione aliqua, de qualibet re, in integritate ambos locellos excolere debeatis: Et post vestrum ambobus discessum, sicut & vestra continet epistola, loco precariæ facta, absque vllius expectata traditione, eas nos, aut successores nostri, ad partem Ecclesiæ nostræ reuocare debeamus. Facta epistola, &c.

XLI. *SI ALIQVIS REM ALterius quam excolit ad proprietatem habere vult, & non potest, & postea eam precauerit.*

DOmno inlustri illi, & mihi proprio domno illi. Dum per malorum hominum consilium, quod non debueram de terra vestra in loco nuncupante illo, quam excolere video, amaui, & ipsam terram ad proprietatem facere, & non potui: quod nec ratio præstitit, & vos vel agentes vestri eam ad partem vestram reuocastis, vel nos exinde eiecistis: Sed postea ad petitionem bonorum hominum, nobis eam ad excolendum reddidistis: Propterea hanc precariam dominationi vestræ emittimus, vt quamdiu vobis placuerit, vt eam teneamus, absque vllo vestro præiudicio, quicquid reliqui accolaui vestri faciunt, nos reddere

reddere spondimus. Quod si non fecerimus, & ob hoc negligentes, tardi aut contumaces fuerimus, publicè per hanc precariam, ac si semper per quinquennium renouata fuisset, condemnati, vt lex præstat tardis aut negligentibus, & de ipsa terra nos pontificium habeatis eiiciendi. Facta precaria ibi, sub die illo, anno illo, illo rege.

XLII. *INDICVLVS EPISCOPI qui ad alium in resurrectione Domini eulogias dirigit.*

DOmino sancto, & Apostolica veneratione colédo, domno & in Christo fratri, illi Episcopo, ille gratia Dei, ac si peccator Episcopus. Dominicæ festiuitatis resurrectionisque mysteriis, in qua idem Deus Christus tartarũ per semetipsũ decreuit absoluere, nudus victorq; de exsuperato hoste trium-

phans captiuitatem, dedit dona hominibus, propterea remeauit ad cælos, anni circulo reuoluéte, quæ fœlicitas, vel prosperitas vestram constitit industriam, aut sanctitatem excepisse, ipsoque Deo præsule peregisse, cum eulogiis peculiaris patris vestri sancti illius, & salutationis officia veneratione præcipua mittentes, quæsumus vt nostram extremitatem affatu dignabili iubeatis specialibus informare.

XLIII. *RESCRIPTIO AD Episcopum.*

DOmino sancto, meritis Apostolico, in Christo desiderabili, Domino & fratri illi Papæ, ille peccator Episcopus; Vestras sacras almitatis vestræ deferente venerabili filio communi illo, vt celitus donatum, nos accepisse prænoscite, & comperite. De edulio depasti

recreatique sancto hoc de munere vestro trepudiantes, gratias multas agimus, &c.

XLIV. *QVOMODO EPISCOPUS in natiuitate Domini, ad Regem, Reginam, vel ad Episcopum visitationis dirigit scriptum.*

GLorioso atque præcelso, & vniuersalis Catholicæ sanctæ Ecclesiæ filio illi Regi, ille Episcopus: Glorioſæ atq; præcelsæ, & vniuersalis Catholicæ, sanctæ Ecclesiæ, filiæ illi Reginæ, ille misericordia Dei Episcopus: Domino inclitoq; cultori, atque Apostolico, Domino & in Christo fratri illi Episcopo, ille peccator Episcopus. Dum generaliter dominicæ natiuitatis exultamus aduentum, cēsum debitæ subiectionis desoluere perurgemus: atque ideo salutationum munia cum eulogiis peculiaris patroni vestri

sancti illius, *si ad Regem* clementiæ vestræ, *si ad Episcopum* sanctitati vestræ direximus, cum omni humilitatis genere clementissimè dependétes, suggerimus, vt iugi nos præmunientes oratione de vestræ sospitatis integritate trepudiare faciatis, dignabili protinus rescripto.

XLV. *ITEM ALIA DE NAtiuitate Domini.*

IOcunditatis mutuæ gratiam cognoscere cupientes, diuinitus vniuersitate conlata, non desistimus epistolis, prę ferendam vestram præuenire clementiam, *aut* sanctitatem, cum eulogiis peculiaris patroni vestri illius, honorabili ac deuoto cultu poscentes, vt qua alacritate festiua natiuitatis dominicæ peregistis insignia, nos doceant vestræ sanctitatis exempla. Erunt enim nobis prouectuum vestræ incre-

menta salutis, locupletes thesauri facultatis.

XLVI. *COMMENDATITIAE litteræ ad Episcopum notum.*

DOmino reuerétissimo illi Papæ, ille. Reminiscétes vestram affectuosam beatitudinis charitatem, qua tunc ob retributionem æternam, nostræ extremitatis personolam, in intimis visceribus, ac si vnicæ dilectionis vinculo amplectabamini sedulè; Qua fiducia prouocatus, hos apices vilitatis nostræ, fidenter ad dignationem vestram, per fratres nostros, filios vestros, gerulos præsentes destinare præsumpsi, per quos vestræ almitati, si præsumptio nó offendit, salutationum munia, vt decet, non arroganter, sed humiliter destinare præsumo, quos vt commendentur in omnibus recipere dignetis, quæsumus oportu-

nè. Etenim in tam longinquis regionibus, propter neceſſitates fratrum comparandas euntes, veſtris Chriſto præſule adminiculis fulciatur, pro quibus beneficiis centuplicato fœnore, à Domino retributore bonorum omnium refertã mercedis ſommulam in eum recipiatis digniſſimam. Dominus Deus noſter piam coronam veſtram memorem mei, & præſentibus repleat bonis, & dignam reddat æternis. Domne ſemper meus.

XLVII. *ITEM COMMENDATITIÆ litteræ ad Abatem notum.*

DOmino beatiſſimo, & meritis venerando, patri illi Abati, Ille in Domino perpetuam mittit ſalutem. Multimoda nobis, beniuolo veſtro, generare comperite gaudia, quotiens aditus dederit oportunos, vt ad indagandam ſo-

spitatem vestram, nostras dirigere debeamus litterulas: idcirco cum salutationum officiis, humili prece almitati vestræ quæsumus, vt pro nobis misericordiarum Dominum, vbi dignas sedulasque funditis præces, exorare non dedignemini, quatenus vestris fulti precibus, olim optatam adire mereamur patriam; Paritérque latores præsentes, famulos vestros, fratres in Christo nostros, quos ob necessaria monasterij nostri, illuc vsque destinauimus, vestræ beatitudini plurimum commendare præsumimus, vt eis quod necessarium duxerint solatium præbere, pro diuino intuitu non dedignetis. Vale pro nobis orans, domne & sancte, ac beatissime pater.

XLVIII. *SVPPLICATVRIO pro eo qui in monasterio conuersare desiderat.*

DOmino sancto, Deiq; cultori, & mihi in Christo honorabili fratri, illi Abati, ille salutem optans mitti in Christo. Primum illud tanquam præsens sanctis vestris suggero prouolutus pedibus, vt meæ extremitatis litterulæ, cum vestris fuerint sacris manibus traditæ, pro me meisque, quos mihi in Christo cohærere fecit amor, fratribus, precibus Domino commendetis. Deinde subiectus vestri frater in Christo noster ille, superno inspiratus munere, vestræ sanctitati obedientiæ nostris se petiit litteris almitati vestræ commẽdari, per quas supliciter postulamus, vt ouis fauce lupi, boni pastoris Christi manu erepta, ad caulas Christi gregis,

tua sit diligentia reducta, ac vice patris ac medici pia circa hunc sit vigilantia ægrum. Quem si pristinæ redditum sanitati pastori omniũ cum cæteris præsentaueris inlæsum, quæ sequatur tui merces laboris, optimè diuinis nosti instructus oraculis. Vale memor mei venerabilis in Christo frater.

XLIX. *INDICVLVS GENERALIS ad omnes homines.*

DOmno nostro, orthodoxo Romanæ sedis Apostolicæ, à Deo instituto, illi Papæ: vel omnibus Apostolicis domnis, & patribus, seu Abatibus; vel Deo dicatis in cœnobiis degentibus: nec non & inlustribus viris, Patriciis, Ducibus, Comitibus, vel omnibus Christiani cultus diuinam religionem sectantibus, ille peccator vilissimus omnibus in Domino præsumo

mittere ſalutem. Quatenus præſens portitor ille, radio inflammante diuino, non (vt pleriſque mos eſt) vacandi cauſa, ſed propter nomen Domini, itinera ardua & laborioſa paruipendens, ob lucrandam orationem, limina ſanctorum Apoſtolorum domni Petri & Pauli, adire cupiens, meæ paruitatis ſe petiit veſtræ commendari almitati ac induſtriæ litterulis. Per quas viliſſimus omnium, tanquam veſtris prouolutus veſtigiis ſingulorum, ſupplicare præſumo, vt pro minimo exorari iubeatis, & eundem euntem vel redeuntem, ſi Dominus permiſerit, propter nomen Domini, ſolida pietate commendatum recipiatis, & quod neceſſe habuerit impertire tanti habeatis; quatenus ab ipſo mercamini mercedem recipere cómodam, qui ſibi dixit impleri, quantum quis in ſuis pauperibus viſus fuerit erogare.

L. INDICVLVS COMMENDATITIUS *ad viros inlustres laicos.*

DOmino inluſtri, & prę cũctis magnificentiſſimo, ac nobilitate proſapiæ decorato, atque ſublimato, illi, ille peccator in Domino præſumit mittere ſalutem. Quamquã veſtræ excellentiæ mea paruitas minimè ſit cognita, tamen multorum relatione didici veſtram in Domino maximam deuotionem, & in ſeruos Dei, vel paũperes eius, ob æternam retributionem ſollicitudinem non pigram. Qua fiducia prouocatus, hos apices vilitatis meæ, per latores præſentes, famulos veſtros, fratres in Chriſto noſtros, ad dominationem veſtram direximus: per quos veſtram induſtriam, ſi prę-ſumptio non offendit, plurimum ſalutare præſumo: & peto vt eis euntibus vel redeuntibus, in quo

necessarium duxerint, propter nomen Domini solita pietate consolari iubeatis.

LI. *INDICVLVS AD HOMINES potentes palatinos, maxime ad cognitos sibi.*

DOmino inlustri, & præ cunctis magnificentissimo viro illi, ille peccator perennem in Domino mittit salutem. Vberem strenuitatis vestræ agapem erga nos potissimo iure flagrantem, litterarum serie non omittimus excitare, quò, auidi facilitatis vestræ quæstus præstolantes, vberes in Domino à vobis fructus semper suscipiamus: & dum præsenti in vita tibi rerum arbiter locum dedit, quo & Ecclesiarum, & amicorum feras suffragia, non pigeat subire laborem, qui in posterum mercedis conferat lucra, & nunc multiplicia ex

numero amicorum ferant ſuffragia & vnde tibi præſentium portitores, ſodales mei, famuli veſtri ſuggeſſerint, piè ob audientes effectui mancipetis. Vale vigor atque tuorum decus amicorum; omnipotens Dominus pietatis, ad Eccleſiarum profectum per multa ſpatia temporum, vos conſeruare & cuſtodire dignetur.

LII. *QVALITER EX ORDINATIONE Regis, pro natiuitate filij ſui, Domeſticus de villa Regis per ſuam epiſtolam relaxat ingenuos.*

EGo in Dei nomine ille Domeſticus, ac ſi indignus glorioſiſſimi Domini illius Regis ſuper villas ipſius illas, illi ex familia dominica de villa illa. Dum generaliter ad omnes domeſticos Regis ordinatio proceſſit, pro natiuitate dom-

nicelli noſtri illius, vt à Domino melius conſeruetur, de vnaquaque villa fiſcali tres homines ex ſeruientibus, ex vtroque ſexu, à ſeruitio laxarentur, & nos ita faciendum ob hoc ordinationem recipimus. Propterea te per hanc epiſtolam, ſicut mihi iuſſum eſt, ab omni vinculo ſeruitutis abſoluo. Ita vt deinceps tanquam ſi ab ingenuis parentibus fuiſſes procreatus vitam ducas ingenuam: & in nullo ſeruitio, nec à nobis, nec à ſucceſſoribus Domeſticis, nec à quocumque de parte fiſci penitus in ſeruitio inclinari nó poſſis: ſed per hanc epiſtolam ingenuitatis, ſicut nobis iuſſum eſt fieri, benè & integrè ingenuus cunctis diebus vitæ tuæ debeas permanere. Si quis verò te de ſtatu ingenuitatis tuæ impulſare voluerit, inferat tibi cum cogente fiſco auri libram 1. & quod repetit vindicare non valeat;

sed præsens epistola firma permaneat; stipulatione subnixa. Actum ibi, sub die illo, anno illo, Rege illo, suprascripto illo domno nostro Rege.

Marculfi formularum finis.

FORMVLAE VETERES INCERTI AVCTORIS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

FORMVLAE
VETERES
INCERTI
AVCTORIS

M

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

FORMVLAE VETERES INCERTI AVCTORIS.

I. *NOTITIA DE COLONO euindicato.*

NOTITIA qualiter, vel quibus præsentibus, veniens homo aliquis, nomine ille, aduocatus sancti illius de monasterio illo, & illius Abatis, in ciuitate illa, viro illo Comite vel aliis quáplurib̃us personis ibidem residentibus, interpellabat hominem aliquem nomine illum, repetebat ei, dum diceret eò quod ante hos dies, ipse homo sacramen-

tum intra ipsam casam Dei, vel ipsius Abatis, habuisset adhramitum, ad suam ingenuitatem tensandum, in ipso mallo in basilica sancti illius ob hoc iurare debuisset; & ipse homo de ipso sacramento jectiuus remansit, & ipse homo nullatenus rationes potuit tradere, per quod ingenuus esse deberet, vel ipsum sacramétum iurare potuisset. Et dum hæc causa apud ipsum Comité, vel ipsos racimburgios diligenter fuit inuéta, vel inquisita, & legibus fuit definita: & ipse homo in præsenti pro colono ad casam sancti illius, vel ipsius Abatis, recognouit vel recredidit; ipse vicarius per iussionem ipsius comitis ipsum hominem per manus, pro colono ipsius, aduocato illius Abatis, visus est reddidisse. Propterea taliter ei fuit iudicatum, de hac causa notitiam bonorum hominũ manibus roboratam eum

accipere debere; quod ita & fecit, vt ipsum hominem ipsa casa Dei, vel ipse Aba, seu rectores eorum pro colono habeant euindicatum, ne sit inter ipsos postmodum ex hac re subita causatio. His præsentibus qui subter firmauerunt.

II. *CHARTA SACRAmentalis.*

VEniens aduocatus sancti illius, de monasterio illo, seu & illius Abatis de prædicto monasterio illo, castro illo, in mallo publico, ante illustrem virum illum Comitem, vel alios quamplures, qui ibidem aderant, interpellabat hominem aliquem, nomine illum, repetebat ei dum diceret, eò quod genitor suus, nomine ille colonus sancti illius de villa illa fuisset, & ipsum colonitium de capite suo ad ipsam casam Dei redebeat, & exinde ne-

gligens aderat; & ipse in præsenti hoc fortiter denegabat, & taliter dedit in suo responso quod de patre Franco fuisset generatus, & de matre Franca fuisset natus: vnde tale sacramentum per suam fistucam visus fuit adrhamire, & taliter ei fuit iudicatum, vt hac causa apud proximiores parentes suos, octo de parte genitoris sui, & octo de parte genitricis suæ, si forte mortui non sunt, & si forte mortui sunt, apud XII. Frācos, tales qualem se esse dixit, in illo castro, in basilica sancti illius, vbi reliqua sacramenta percurrunt, in L. noctes, in proximo mallo, hoc debeat eiurare.

III. *NOTITIA DE SERVO.*

NOtitia qualiter, vel quibus præsentibus, veniens ille in causa monasterij sancti illius, ciuitatis illius pontifici, ad vicem vene-

rabilis viri illius Abatis de prædicto monasterio, die illo, illa ciuitate, in mallo publico, ante inlustrem virum illum Comitem, & ante illum Episcopum, vel alios plures magnificos viros, qui ibidem residebant, hominem aliquem nomine illum ibidé interpellabat dicens, eò quod seruus monasterij sancti illius, de capite suo aderat, & colonus ipsius sancti ille nomine, illum, de Franco homine comparasset, & malo ordine ipse seruitium partibus monasterij sancti illius effugiebat, vel intendebat. Interrogatum fuit ipsi seruo, si ipsa causa vera erat aut non; sed ipse seruus in omnibus hoc fortiter denegauit, & ipse Aba vel suus aduocatus contra prædictum seruũ intendebant, & taliter dixerunt, quod testimonia hominum Francorum præsentare poterant, qui hic adstabãt, quod ipse colonus ipsum

comparauerat,& in ſuum ſeruitium eum viderant deſeruire, & per legem ſeruus ſancti illius eſſe debet. Et ipſa hora ipſe Aba, vel pro ſe aduocatus,ſua teſtimonia homines ſeptem,his nominibus ille & ille, adrhamiuit vt in craſtinum die illo ibidem præſentare deberent, quod ita & fecerunt. Et ipſi homines ſic teſtimoniauerunt, quod per legem ſeruus ſancti illius aderat debitus,& quomodo hoc teſtimoniauerunt tam ſuper altarium ſancti illius, in illa capella, quàm in curte fiſci, vbi reliqua ſacraméta ſoluta ſunt, iurati dixerunt. Denuo ipſe ſeruus fuit interrogatus ſi ipſam cauſam recognoſcebat,ſi ſic erat veritas:ſed ipſe ſeruus in omnibus hanc cauſam recognouit, & ad ſeruitium reuerſus fuit: & ipſe Aba per iudicium ipſarum perſonarum, per iuſſionem illius Comitis de manu illius vicarij

exceptum, ibidem pro seruo sancti illius euindicabat, his præsentibus.

IV. *IVDICIVM EVINDICATUM de colono.*

CVm resedissent venerabilis ille Aba, & inlustris vir ille in villa illa in pago illo, vbi ille Comes esse videtur per iussionem domni, & glorioſi illius Regis ad vniuersorum causas audiendum, vel recta iudicia in Dei nomine terminandum, ibique veniens ille aduocatus monasterij illius, vel illius Abatis, hominem aliquem nomine illum interpellabat, repetebat ei, dum diceret eò quod legitimum colonitiũ partibus monasterij sancti illius, vel illius Abatis ad villam illam de parte genitricis suæ redeberet, & negligens & jectiuus exinde adesset, sed ipse homo de præsenti adstabat, & ipsam causam nullatenus potuit de-

negare, & ad ipsum colonitium se recognouit, & per manus ipsum hominem ipsius Abatis reddidit. Proinde taliter ab ipsis missis dominicis, vel illo Comite, seu & ab ipsis rachimburgiis, ipsius aduocato in causa sancti illius vel ipsius Abatis, pro firmitatis studio fuit iudicatũ, vt dum ipsa causa taliter fuit inuenta & legibus definita, vt tale iudicium euindicatum exinde accipere deberet. Quod ita & fecit: vt omni tempore ad ipsum colonitium sancti illius, ad villam illam illum habeat euindicatum, ne sit in postmodum inter eos ex hac re subita causatio. Datum in mense illo, in anno illo.

V. *NOTITIA DE COLONA euindicata.*

VEniens homo aliquis nomine ille, aduocatus sancti illius

de monasterio sancti illius, vel illius Abatis de ipso monasterio, die illo, in mallo publico, ante inlustrem virum illũ Comitem, vel ante plures personas, quæ ibidem aderant, ad vniuersorum causas audiendum, vel recta iudicia in Dei nomine terminandum, qui subter firmauerũt, fœminã aliquã, nomine illam, ibidem interpellabat, repetebat ei dũ diceret eo quod auus suus nomine ille quondam, vel genitor suus ille, quõdam coloni sancti illius de villa illa fuissent, & ipsa fœmina colona esse debebat, & ipsum colonitium malo ordine de ipsa causa Dei effugeret: sic ipsa fœmina in præsenti adstitit, & ab ipsis personis interrogata fuit, si ipsa causa esset veritas, aut non. Sed ipsa in omnib. fortiter denegauit, & taliter dixit quod auus suus ille quondam, nec genitor suus ille quondam, coloni sancti illius de

villa illa nunquam fuissent, nec ipsa colonitiũ de capite suo ad ipsam casam Dei, sancti illius, nunquã reddebat, sed de patre & de matre bene ingenua nata vel procreata fuisset. Sic ab ipsis personis taliter ei fuit iudicatum, vt apud XII. homines parentes suos, octo de patre & quatuor de matre, si forte mortui non sint, & si forte mortui sunt, apud XII. homines bene Francos Salicos, in ipso mallo super altario sancti illius, in proximo mallo quod ipse Comes ibidem tenebit, hoc coniurare debeat, quod auus suus ille quondam, nec genitor suus ille quondam coloni sancti illius de monasterio illo, de villa illa nunquam fuissent, nec ipsa colonitium de capite suo ad ipsam casam Dei redebeat. Et si hoc in eo placito sicut superius insertum est, coniurare potuerit, de hac causa ducta & secu-

ra resideat; sin autem non potuerit ad ipsam casam Dei se recognoscere faciat. Datum ibi.

VI. *NOTITIA DE SERVO quem colonus comparat.*

NOtitia qualiter vel quib. præsentibus, veniens magnificus vir ille in illa ciuitate, in mallo publico ante inlustrem virum illum Comitem, & ante Apostolicum virum illum, vel præsentibus quampluribus viris venerabilib. rachimburgis, qui ibidem ad vniuersorum causas audiendum, vel recta in Dei nomine iudicia terminádum, dum residebant vel adstabant, quorum nomina subtus tenentur adnexa, hominem aliquem nomine illum interpellabat, dicés eò quod seruus ad colonum suum nomine illum de capite suo aderat, & venditionem habebat, quomodo ipse colonus

ipsum comparauerat,& ipsam venditionem ibidem ostendebat ad relegendum. Relecta epistola sic ipsi viri ipsum interrogauerunt, si aliquid contra ipsam chartam dicere volebat, vel si eam agnoscebat, aut non. Sed ipse seruus ipsam chartam veram & legitimam recognouit:sic ipsi viri tale decreuerunt iudicium,vt ipse ille ipsum ad seruitium recipere deberet, quod ita & fecit, & per manus vicarij per iussionem inlustris viri illius Comitis, & per iudicium ad ipsas personas,præsentialiter recepit: his præsentibus. Datum ibi,sub die illo.

VII. *NOTITIA DE TERRA euindicata.*

NOtitia qualiter vel quib. præsentibus,veniens venerabilis vir ille Abas de monasterio illo,die illo in illo loco ante inlustres viros

magnificos illos & illos missos dóni & glorioſissimi illius Regis, vel alios quamplureis qui ſubter firmauerunt, quorum nomina ſubtus tenentur inſerta, hominem aliquem nomine illum interpellabat, repetebat ei, eò quod illam terram quam apud hominem illum concambiauit, quæ eſt in pago illo, in grafia illa, in loco qui vocatur ille, poſt ſe malo ordine retineret iniuſtè, & ipſe homo in præſenti adſtabat, & hanc cauſam nullatenus potuit denegare, nec tradere rationes, per quas ipſam terram habere debeat. Sic ipſi homini fuit iudicatum, vt ipſam terram ante ipſos miſſos dominicos, ſecundum ſuam legem ipſi venerabili viro illi Abati, reddere vel reueſtire deberet; quod ita in præſente & fecit. Propterea iubemus vt dum hanc cauſam ſic actam vel perpetratam eſſe cognouimus,

vt ipsam terram ipse Abas habeat euindicatam, atque elidiata sit postmodum ex hac re, omnique tempore subita causatio. Datum ibi sub die illo, anno illo, regnante domno nostro illo glorioſissimo Rege.

VIII. *INGENVITAS.*

QVoniam sanctissimi HLudouici Imperatoris pietas, quã habet in Deum, ea quærere & indagare non cessat, quæ Domini potissimum congruant voluntati. Quibus quoque religionis honor & deuotio, magis ac magis de die in dies crescat, atque proficiat: & ea quæ ad diuinum cultum & officiũ sanctum pertinent, decoris & honestatis amplius in dieb. eius quàm prius habuerunt accipiant, & cunctis in futurum temporibus quæ secundum Deum ab eodem inuenta procu-

procuratáque sunt proficiant, & perenni stabilitate à successoribus eius, & fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ inuiolabiliter in perpetuum conseruentur, memor semper eius quod dicitur, *Misericordia & veritas custodiunt Regem, & iustitia firmatur thronus eius*, adeò vt verissimè & propemodum specialiter de eo dictum videbatur; *Beata terra cuius Rex sapiens est.* Cui etiam illud nõ inconuenienter potest aptari, quod Dominus de Dauid perhibuit, dicens, *Inueni Dauid secundum cor meũ, qui faciat omnes voluntates meas.* Huiusmodi itaque studiis Rex iste sapiens & beatus, indesinenter intentus, & Domini semper adhærens voluntati, cupiens, vt præmissum est, diuinum officium modis omnibus honestare, & eos qui Domino Deo sacrificium super altare sanctum offerre debent, & corpus &

sanguinem dominicum precum mediatione consecrare, honori habere, & ampliore gratia circumdare: Statuit vt Episcopi & Abates, & quicumque Ecclesiasticis possessionibus iure prælati sunt, si aliquos ex familia ad presbyteratus ordinem promouere velint, prius eos, permissu ipsius, libertate donent; & sic tandem ad sacerdotij gradum dignissimè subuehant.

Igitur ego ille minimus seruorum Dei famulus Ecclesiæ Senonicæ Archiepiscopus, tanta sereniſſimi HLudouici Augusti auctoritate, quæ Senonis in arcibo Ecclesiæ Episcopij seruatur, fultus, per hunc libellum manumissionis, te fratrem nostrum, quem seruilis cõditio hactenus addictum tenuit, inter huius Ecclesiæ familiam, quia fratrum testimonio, inter quos enutritus es, dignus ad sacerdotalem honorem

ſuſcipiendum prædicaris, cenſeo te atque ſtatuo, ante ſacri altaris cornu, in conſpectu ſacerdotum & cleri & populi adſtantis, à præſenti die & deinceps, ab omni iugo ſeruitutis humanæ abſolutum fore, ciuemque Romanum appellari. Ita vt nulli hominum pro ſeruili conditione, quicquam debeas ſeruitij nec obſequij, nec etiam libertinitatis munus impendere, non mihi, nec ſucceſſoribus, aut actoribus, quicumq; præfuerint huic Eccleſiæ, non iudiciaria præditis poteſtate; ſed ſoli Domino licentiam & facultatem habeas liberè famulandi, dieſq; tuos, vitamque ipſi dicandi: vt in ipſius Eccleſia proficias ad honorem, & profectum plebis, pretioſo ſanguine Chriſti redemptæ; quatenus hāc pro modulo tuo, monitis inſtruas, orationibus iuues, exemplis informes, corporis & ſanguinis domini-

ci consecratione, propter cuius honorem hanc consecutus es dignitatem, reficias, vt sicut ab humana seruitute liberatus per hanc manumissionem esse cognoscaris, ita per diuinam doceas diabolicæ dominationis iugum euadere plebem, quæ tibi à proprio pontifice fuerit commissa. His quoque subnectere placuit, canonicis admoniti constitutionibus, vt si qua deinceps prædia, vel mancipia tui nominis titulo cóparaueris, hoc obseruari studeas, quod in eisdem decretum esse cognoscitur. Et si forte, quod absit, à tuo proposito exorbitaueris, presbyteratus gradum canonico iudicio amittere cogaris. Hanc ingenuitatem manu propria subscripsi, & qui subscriberent rogaui.

IX. *MANDATVM.*

LEgibus institutum est,& consuetudine per tempora confirmatum, vt quicumque aduocatum instruere velit, mãdato legaliter dato, atq; solenniter confirmato,eum instruere debeat, vt omnes causas quas adgredi vel repellere debet, prosequi & defendere inoffensè valeat. Igitur ego ille sanctæ illius Ecclesiæ vocatus Episcopus, iniungo, mãdo,& per has litteras delego tibi illi fideli meo, de rebus sancti illius, sitis in pago illo,in locis nuncupatis sic,cũ adiacentiis, vel aspicientibus ad eas, locis aliis, per omne ius inuestigare,inquirere,prosequi,& admallare debeas per mallos , vicos, castella,oppida, & ciuitates, nec nõ etiam si necessitas incubuerit , in palatio,ante vicarios,Comites,missos dominicos , Comites palatij ,

siue ante omnes iudices quibus hoc officium delegatum est, vt causationes & lites definire & terminare iustè & rationabiliter debeant, & quicquid legibus cum iustitia, vnde prosecutus fueris & definieris, scito apud me ratum & acceptum, atq; inconuulsum mansurũ. Quod mandatum in te conlatum, vt firmum fixumque permaneat, manu propria subterfirmaui, & qui adfirmare deberent rogaui.

X. *TRACTVRIA PRO ITINERE peragendo.*

DOminis sanctis & Apostolicis sedibus, allocatis, Episcopis, Abatibus, vel Abatissis, & omnibus in Christo patribus: Ducibus, Comitibus, Vigariis, Centenariis, & Decanis, vel omnibus in Christo credentibus, & Deum timentibus, Ego in Dei nomine ille, ac si indi-

gnus peccator, vltimus omnium ſeruorum Dei ſeruus, Epiſcopus videlicet, ſiue Abas de ciuitate illa, vel de monaſterio illo, vbi pretioſus ille martyr ſeu confeſſor Chriſti humatus in corpore requieſcit, Salutem vobis perennem in Domino deſtinare curauimus. Cognoſcatis ſiquidem domni & ſancti patres, ſeu & ſorores in Chriſto, quia innoteſcimus vobis eò quod peregrinus iſte, nomen ille, ex genere illo, ad nos venit, & nobis innotuit, atque conſilium quæſiuit, de hoc videlicet facto quod inſtigante aduerſario, peccatis facientibus, proprium filium ſuum, ſiue nepotem nomine illum interfecit: Et nos pro hac cauſa ſecundum conſuetudinem, vel canonicam inſtitutionem diiudicauimus, vt in lege peregrinorum ipſe præfatus vir annis tot in peregrinatione *permanere* deberet. Propterea

cognoscatis, sanctissimi patres, has litteras, vt quando ad sanctitatem vestrã venerint, melius ei credatis: Et quod nullatenus pro alia causa ambulare dinoscitur, nisi sicut superius diximus, pro peccatis suis redimendis, vt vos eum nullo modo teneatis, nisi tãtum quando ad vos venerit, mansionem ei & focum, panem & aquam, largire dignemini. Et postea sine detentione liceat ei ad loca sanctorum festinare. Sic exinde agite pro amore Dei & reuerentia sancti Petri, sanctissimi patres, vt vos pius Dominus in illa beata seu immortali vita remunerare dignetur, quia in ipso peregrino Christum pauistis seu susscepistis, considerantes videlicet quod ipse Dominus dixit, *hospes fui, & susscepistis me, Quod vni ex minimis istis fecistis, mihi fecistis.* Quid plura ad sapientes: sufficit semel loqui. Commen-

damus nos obnixè in vestris sacris precibus, vt nobis commendari dignemini in Christo feliciter, sanctissimi patres, vt ad æternam angelorum digni habeamini mansionem perpetuam.

XI. *CESSIO AD ECCLESIAM à nouo ædificatam.*

REgnante Domino Iesu Christo in perpetuum, ego ille Episcopus. Omnibus non habetur incognitum, qualiter ego auxiliante Domino, in pago, in villa cuius vocabulum est, ibi basilicam sancti .... atque sancti Stephani, vel in honore cæterorum sanctorum, quorum ibidem reliquiæ quiescunt construxi, atque KL. Iunij dedicari curaui, consentientibus etiam cófratribus, tam canonicis, quàm & monachis, vel cæteris hominibus, qui præsentes fuerunt, vt villæ quarum voca-

bula sunt, Cadiliaco, Tanculfouilla, Fagido & Barbitione villare, vt ibidem aspicere deberent, ad missas venire, & ad baptismum, vel prædicationem, & vt decimas suas ad memoratam basilicam dare deberent. Propterea pro firmitatis studio hác consensionem scribere rogauimus, vt temporibus nostris atque successorum nostrorum hæc nostra consensio firma & stabilis valeat permanere: & sciant omnes tam præsentes quam & absentes seu successores nostri, quia dedimus in memoratam illam Cadiliacum duos mansos ad ipsa luminaria prouidéda, vel vnde presbyter, qui ibidem officio fungi videtur, viuere debeat: & addimus ad hoc insuper de terra arabili ..... & de vinea aripennem vnum, & dimidium: vt æuo tempore in eleimosynam nostram, seu successorum nostrorum ita valeat

perdurare. Actum fuit hoc sub die memorato KL. Iunij, in anno VIII. Christo propitio Imperij Domni Karoli serenissimi Augusti, & anno XLIII. regni eius in Frācia, atq; XXXV. in Italia, Indictione prima in Dei nomine feliciter, Amen. His præsentibus qui adfuerunt.

XII. *LITTERAE COMmendatitiæ.*

SAncto & Deo amabili Magnoni dono Dei Archiepiscopo ex Senonica vrbe. Ego enim in Dei nomine Ebroinus dono Dei Archiepiscopus ex Biturige vrbe, in Domino Iesu salutes optamus vobis in perpetuum. De cætero notum facimus sanctitati vestræ, quia iste præsens presbyter, nomen Dodobertus parrochianus noster, in nostra diœcesi natus, & sacras litteras edoctus sit, cumque ad ordinem sacrum

promoueri iussimus. Postea vero petiit nobis licentiam, vt in vestra parochia apud hominem aliquem, nomen Hercambaldum manere voluisset. Nos vero petitionẽ illius non denegauimus, nisi licentiam illi dedissemus, quia scimus quod de bene liberis ortus sit. Vnde has litteras cõmendatitias more Ecclesiastico factas ad sanctitatem vestrã misimus, vt scire valeat Deo digna charitas vestra, eũ nec fuga lapsum, nec sua malitia à nobis eiectum, sed nostra voluntate destinatum. Et vt certius credatis Græca eleméta quæ octogenarium quadringẽtesimum & primum numerum exprimũt inprimitus adneximus. Π. Petri quoque nominis primam litterã sumptam in medio adscribere rogauimus. Nihilominus etiam paruitatis nostræ nominis primam litteram HE. magnitudinis vestræ secũdam

litteram A. istius fratris nominis tertiam litteram Δ. ciuitatis nostræ quartam ϒ. & indictione quarta adiunximus. Addidimus nonagenarium & nonum numerum, id est Φ. & Θ. & insequenter impressione sigilli nostri subter confirmauimus, & manu propria eã roborauimus, & clericis nostris roborari iussimus. Actum in anno x. Imperij domni nostri Caroli, & anno XLIII. regni eius in Dei nomine feliciter. Amen.

In nomine Π & ϒ & A. Reuerentissimo sancto & Deo amabili illi Archiepiscopo Senonicæ vrbis. Ego enim in Dei nomine ille Cenomanicæ ciuitatis Episcopus in Domino Iesu Christo opto vobis salutem in perpetuum. De cætero notum facimus sanctitati vestræ, quia istum præsentem presbyterum &c. *quæ ad verbum eadem sunt cum superiori, ideoque hic repetita noluimus.*

In Dei nomine sanctissimo ac reuerentissimo fratri illi Episcopo, ille illius vrbis Episcopus, in Domino sempiternam salutem. Cognoscat fraternitas, seu charitas vestra, quia iste præsens presbyter nomine ille, in parochia, & in Ecclesia nostra sacris litteris educatus fuit, & ab infantia fuit apud nos seu prędecessores nostros bonum habens testimonium bonamque continentiam, & innocentem vitam deducens. Vnde placuit illi modò, vt ad aliam Ecclesiam se conuerteret, volens sibi quærere seniorem, qui se de rebus temporalibus adiuuet, & cui ille secundum ministerium, quod sibi iniunctum est, obsequium præbeat. Vnde vestram fraternitatem compertam facimus, vt cuicumque placuerit eum suscipere, absque vlla ambiguitate hoc faciat: Sciens illum & boni esse testimonij, & à no-

bis sibi ab Ecclesia, quæ nobis ad regendum concessa est, migrandi licentiam accepisse: Et vt hæ litteræ firmiorem obtineant dignitatem, meliusque eis fides adhibeatur, manu nostra eas subter firmauimus.

XIII. *INGENVITAS.*

DVm omnipotens Deus nos præcepit in hoc sæculo sanú corpus habere: Oportet nobis pro salute animæ nostræ frequentius cogitare debere, vt aliquantulum de peccatis nostris minuere mereamur. Itaque ego ille in Dei nomine pro animæ nostræ remedio, vel pro meis peccatis minuendis, vt in futurum Dominus veniam mihi præstare dignetur, seruum iuris mei nomine illum, relaxaui ingenuum. Ea vero ratione, vt à die præsente sis bene ingenuus, tanquam si ab ingenuis

parentibus fuisses procreatus, vel natus. Peculiare verò si quid habes, aut inantea Christo propitio laborare potueris, cessum habeas. Et nulli heredum, ac proheredū meorum nullum impendas seruitium, nisi soli Deo, cui omnia subiecta sunt. Testamentum etiam faciendi, defensionem, vel mundeburdem Ecclesiarum, aut bōnorum hominum, vbicumque eligere volueris licentiam habeas ad conquirendū. Si quis verò, quod nec fieri credimus, si ego ipse, aut vllus de heredibus meis, vel quælibet opposita persona, quæ contra hanc ingenuitatem, quam ego plenissima voluntate mea, pro amore Domini nostri Iesu Christi, & pro meis peccatis fieri, & adfirmare rogaui, venire conauerit, inferat tibi, vna cum socio fisco auri vncias tantas, & præsens ingenuitas omni tempore firma perma-

permaneat, ſtipulatione ſubnixa. Actum illo.

XIV. *VENDITIO.*

DOmino inluſtri illi, ille. Ratio & conſuetudo expoſcit, vt inter emptorem & venditorem ſcriptura confirmet. Ita vt nec diſtrahendi, ſeu vlla repetitio, nec comparandi quælibet videatur eſſe formido. Idcirco nulli cogentis imperio, nec à iudiciaria poteſtate coactus, ſed mea propria & ſpontanea voluntate, & arbitrio, accepto vero pretio, conſtat me vendidiſſe, vel tradidiſſe & ita vendidi, vel de præſente tradidi, hoc eſt res proprietatis meæ in pago illo, quæ dicuntur illæ. Id eſt tam manſis, domibus, ædificiis, totum & ad integrum re inexquiſita. Et accepi à te pretium pro hoc, quod mihi bene cóplacuit, hoc eſt tam in argéto quam

in fabricato valente solidos tantos. Et superscriptas res per hanc venditionem publicè tibi à die præsente tradidi ad possidendum, vt quicquid exinde à die præsente facere volueris, liberam & firmissimam in omnibus habeas potestatem faciẽdi. Si quis verò, quod futurum esse non credo, si ego ipse, aut vllus de meis heredibus, vel quælibet vlla opposita persona, quæ cõtra venditionem istam venire conauerit, & à me vel heredibus meis non fuerit defensatum, tunc inferat tibi, vna cum socio fisco, duplum tantum, quantum à te accepi, & quantum ipsæ res immelioratæ valuerint; & præsens venditio omni tempore firma permaneat.

XV. *CAVTIO.*

DOmino fratri illi, ille. Ad petitionem meam mihi non de-

negasti, nisi vt in summa necessitate mea argenti, vel ..... tuum valentem solidos tantos in manu mea ad præstitum beneficium mihi præstitisti. Et ego pro hoc talem cautionem in te fieri, & adfirmare rogaui, vt vsque ad annos tantos, in quaq; hebdomada diebus tantis, opera tua, qualia mihi iniunxeris, & ratio præstat, facere debeam. Quod si minimè fecero, aut negligens, aut tardus exinde apparuero, aut antè ipsum placitum me immutare præsumpsero: tunc spondeo me per huius vinculum cautionis, vbi & vbi me inuenire potueris, sine vlla iudicis interpellatione pro dupli satisfactione me retineri debitorem. Sic quomodo ipsi anni transacti fuerint, debito tuo tibi reddito, cautionem meam per manus recipiam, stipulatione, &c.

XVI. *OBNOXIATIO.*

DOmino fratri illi, ille. Omnibus nó habetur incognitum, qualiter grauis neceſſitas & infirmitas peſſima me oppreſſerunt, & minimè habeo vnde viuere, vel veſtiri debeam. Propterea ad petitionem meam mihi non denegaſti, niſi vt in ſumma neceſſitate mea argẽtum vel .... acto tuum valens ſolidos tot, in manu mea mihi dediſti, & ego minimè habeo vnde ipſos ſolidos tuos tibi reddere debeam. Propterea obnoxiationem de capite ingenuitatis meæ in te fieri, & adfirmare rogaui: vt quicquid de mancipio tuo, originali veſtro, facitis, tam vẽdendi, commutandi & diſciplinam imponendi, ita & de me ab hodierna die liberam, & firmiſſimam in omnibus poteſtatem faciendi habeas. Si quis verò, quod nec fieri

credo, si ego ipse, aut vllus de heredibus meis, vel quælibet opposita persona, quæ contra obnoxiationem istam venire conauerit, inferat tibi, vna cum socio fisco auri vncias tantas, & præsens obnoxiatio firma permaneat, cum stipulatione subnixa. Actum illo.

XVII. *COMMVTATIO de terris.*

INter quos charitas inlibata permanserit, pars pari suo oportuna & congrua beneficia non denegat. Ideo auxiliáte Domino nostro placuit, atque conuenit inter illum, & illum, de commutandis terris eorum, vt pro communi oportunitate inter se commutare deberent, quod ita & fecerunt. Dedit ille de parte sua ad partem ipsius illius, terram proprietatis suæ, in pago illo, in loco qui dicitur ille, habet in longo

..... tantos,& in lato ..... tantos,subiungit de vno latere terræ lui, de vno fronte terræ illius, ex alio vero fronte terræ illius, infra ipsam terminationem,& mensuram ad integrum. Econtra ad vicem dedit ille de parte sua ad partem ipsius lui terram proprietatis suæ, in pago illo, in loco qui dicitur ille,habet in longo ..... tantos,& in lato ..... tantos, subiungit de vno latere terræ lui,de alio latere terræ illius, infra ipsam terminationem, & mensuram ad integrum. Ita vt ab hodierna die vnusquisque contra parem suum quod accepit habeat, teneat, atque possideat,vel quicquid exinde à die præsente facere voluerit,liberam & firmissimam in omnib. habeat potestatem faciẽdi.Si quis vero, quod nec fieri credo, si ego ipse, aut aliquis de heredibus meis, vel quælibet vlla opposita persona quæ con-

tra hanc commutationem pars cō-
tra parem ſuum venire conauerit,
inferat pars pari ſuo, iſta tota ſeruata, vna cum ſocio fiſco, auri vncias tantas, & preſentes commutationes duæ vno tenore conſcriptæ, omni tempore firmæ & inuiolatæ permaneant.

XVIII. *CHARTA AGNAtionis.*

FOeminę illi, ille. Omnibus non habetur incognitum qualiter te per voluntatem tuam ſeruus iuris mei, nomine ille, ad coniugium ſociauit vxorem: vnde te vel procreationem tuam in ſeruitio inclinare potueram. Sed mihi præpatuit voluntas pleniſſima, vt talem epiſtolam donationis in te fieri & adfirmare rogarem: vt ſi aliqua procreatio filiorum, aut filiarum ex te nata, vel procreata fuerit, ſub integra in-

genuitate, cum omni peculiari eorum valeant Christo propitio laborare; cessum habeat, & nulli heredũ ac proheredum meorum nullũ impẽdat seruitium, nec hominium, vel patronatus obsequium, nisi soli Deo cui omnia subiecta sunt. Testamentum etiam faciendi, defensionem verò vel mundeburdem, Ecclesiarum aut bonorum hominum vbicumque eligere voluerit, licentiam habeat ad conquirendum. Si quis vero, quod nec fieri credo, si ego ipse, aut vllus de heredibus meis vel quælibet vlla opposita persona, quæ contra hanc epistolam agnationis venire conauerit, inferat ei cui litem intulerit, ista tota seruata, vna cum socio fisco, auri vncias tantas, & præsens agnatio omni tempore firma permaneat.

XIX. *TRADITORIA DE terra.*

VEniens homo aliquis, nomine ille, in pago illo, in loco qui dicitur ille, ante bonos homines, qui subterfirmauerunt, terram illam, id est tam mansis, &c. totum & ad integrum, quam ante hos dies homo aliquis nomine ille, per venditionis titulum, accepto vero pretio visus fuit vendidisse: sed ante ipsos bonos homines, ad integrum, vt quicquid prædicta venditione ei vendidit, per manus, partibus ipsius lui, vel herbam, vel terram visus fuit tradidisse, & per suam fistucam contra ipsum illum exinde exitum fecisse, vt quicquid ipse ille de ipsa terra à die præsente facere voluerit, liberam & firmissimam in omnibus habeat potestatem faciendi.

XX. *TRADITORIA DE Manso vel terra.*

NOtitia, qualiter & quib. præsentibus, veniens homo aliquis, nomine ille missus inluſtris viri illius, ſuper fluuium illum, in loco qui dicitur ille, ad illum manſum, vel terram, quam ille homo ante hos dies, ad caſam ſancti illius pagenſis, per chartam ceſſionis partibus ipſius illius, per illud oſtium de ipſa caſa, per herbam vel terram, ipſum manſum, vel quicquid ad ipſum manſum aſpicit, ſicut in ipſa ceſſione eſt inſertum, ad partem ipſius Eccleſiæ viſus fuit tradidiſſe, vel conſignaſſe. His præſentibus.

XXI. *NOTITIA DE SERVO.*

NOtitia qualiter & quib. præsentibus, veniens homo aliquis nomine ille, in pago illo, in lo-

co qui dicitur ille, vel in quocumque loco ante bonos homines, qui subterfirmauerunt, dato suo pretio ad hominem negotiantem, solidos tantos, seruum suum nomine illum visus est comparasse. Et ipse negotians ipsum seruum superius nominatum, per manus partibus ipsius lui visus est tradidisse, nec fraude, sed in publico: Vt quicquid exinde à die præsente facere voluerit, liberam & firmissimam in omnibus habeat potestatem faciendi.

XXII. *NOTITIA DE iactiuis.*

NOtitia qualiter & quib. præsentibus, veniens homo aliquis, nomine ille, in pago illo, in loco qui dicitur ille, in mallo publico, ante virum illum Comitem, vel reliquos quamplures bonos homines qui subterfirmauerunt, repete-

bat ei, dum diceret, eò quod hominem aliquem nomine illum, ante ipsum Comitem adrhamitum habuisset: ad placitum venit, ipse ille placitum suum custodiebat, & nec ipse ille ad id placitum venit, nec missum in vicem suam direxit, qui vllam soniam nuntiaret: & placitum suum neglexit, & jactiuus exinde remansit. His præsentibus.

XXIII. *SECVRITAS.*

NOn minima, sed maxima vertitur discordia inter illos & illos. Venientes ante illum & illum, repetiuit ipse ille aduersus ipsum lui, eò quod genitorem suum, aut germanum suum illum malo ordine interfeciſſet. Interrogatum fuit ab ipsis viris ipsi lui, si hęc causa acta vel perpetrata fuisset aut non, sed ipse in præsenti dicere deberet. Sed ipse ille minimè hãc causam potuit

denegare. Sic ab ipsis viris fuit iudicatum, vt illam leudem, vt lex erat, soluere deberet: quod ita in præsenti & fecit. Et ego hanc securitatem in ipso illo fieri & adfirmare rogaui, vt nullo vnquam tempore, de iam dicta morte, nec de ipsa leude, nec ego ipse, nec vllus de heredibus meis, nec quislibet vllas calumnias, nec repetitiones agere, nec repetere non debeamus. Quod quando attentauerimus, nullum obtineat effectum, & insuper inferamus tibi, vna cum socio fisco, auri vncias tantas, & præsens securitas omni tempore firma permaneat.

XXIV. *CHARTA DENARIALIS ante Regem.*

ILle Rex Francorum vir inluster. Et quia veniens ille ante nos vel procerum nostrorũ præsentiã, &c. *iisdẽ planè verbis cum Marculfi c. 22. li. 1.*

XXV. *MANDATVM.*

DOmino magnifico fratri illi, ille. Omnibus non habetur incognitum, qualiter me senectus adgrauat, & infirmitas domat, & causas meas minimè valeo prosequere, vel admallare: Ideo precor & suplico charitati tuæ, vt in vicem meam omnes causas meas, tam in pago, quam & in palatio, vel in quibuscumq; pagis vel territoriis, vbicumque mihi oportet, apud quemlibet hominem, tam ad admallandum, quam ad responsum dandum prosequere facias. Et quicquid exinde egeris, gesserisue, apud me in omnibus, & ex omnibus ratum, & aptum, atque transactum, in omnibus definitum esse cognoscas. Quia plus amo te quam me, plus te quam heredes meos. Et vt hoc mandatum post te firmius retineas, & taliter

obtineat firmitatem, quasi gestibus fuisset obligatum, manu propria subter decreui adfirmare, & qui subscriberent in præsenti rogaui.

XXVI. *CESSIO AD Ecclesiam.*

DOminæ, sanctæ ac reuerentissimæ Ecclesiæ sancti illius, quæ est constructa in pago illo, in loco qui dicitur ille, Ego in Dei nomine ille, pro meis peccatis minuédis, vt in futurum Dominus veniam mihi præstare dignetur cedo ad lumen, vel sacrificium ad ipsam casam Dei, vel ipsam domum Dei, cessumque in perpetuum esse volo, & de iure meo in ius, & dominationé ipsius Ecclesiæ transcribo, atque transfundo, hoc est res proprietatis meæ in pago illo, in loco qui dicitur ille, id est tam mansis, domibus, ędificiis totum & ad integrum re in ex-

quisita. Ita vt ab hodierna die, ipsa casa Dei ad altare Domini proferendo, vel ad ipsam domum Dei condirigendo, ipsas res habere debeat. Etsi mihi placuit inserendum, vt nullus pontifex, aut quislibet rector, si de ipsa casa Dei, de ipso lumine vel sacrificio ipsas res abstrahere conauerit, aut in beneficium dare præsumpserit, tunc ipsæ res ad me, vel heredes meos perueniát. Si quis vero, quod nec fieri credo, si ego ipse, aut vllus de heredibus meis, vel quælibet opposita persona, quæ cótra hác cessionem istam, quam ego pleniſſima voluntate mea pro amore Domini nostri Iesu Christi, fieri & adfirmare rogaui, venire conauerit, inferat tibi, ista tota seruata, vna cum socio fisco, auri vncias tantas & præsens cessio omni tempore firma permaneat.

XXVII. *PRE-*

XXVII. *PRECARIA.*

DOminæ ſanctæ ac reuerentiſſimæ Eccleſiæ pagenſi, his nominibus, quæ eſt conſtructa in pago illo, in loco qui dicitur ille, ego in Dei nomine ille. Omnibus non habetur incognitum, qualiter res proprietatis meæ in pago illo, quib. vocabula ſunt illa & illa, in iá dictis locis, id eſt tam manſis, &c. omnia & ex omnibus per meam ceſſionem, ad lumen vel ſacrificium ad ipſam caſam Dei, à die præſente delegaui, poſtea ad petitionem meá mihi non denegaſti, niſi vt ipſas res quamdiu aduiuo, mihi ad vſandum vel condirigendum pręſtare debeatis. Quod taliter feciſtis; ſic taliter vt tempore vitæ meæ ipſas res habere & vſare vel condirigere debeam. Et poſt meum quoque diſceſſum, cum omni re immeliorata, agentes

ipſius Eccleſiæ, abſque expectata traditione in eorum reuocent dominationem, vel poteſtatem. Propterea talem precariam ad ipſam caſam Dei fieri, & adfirmare rogaui, vt ipſas res nec vendere, nec donare, nec commutare, nec vllis modis, vlliſq; ingeniis de ipſa caſa Dei abſtrahere, nec minuere pótificium non habeam: nec mea poſſeſſio vllum præiudicium vobis, nec ad ipſam caſam Dei agere, nec generare non debeat, nec ego ipſe, nec vllus de heredibus meis, nec quælibet oppoſita perſona. Quod ſi attentauerimus, nullum obtineat effectum, & inſuper inferamus partibus ipſius Eccleſiæ, vel ſuis rectoribus, vna cum ſocio fiſco auri vncias tantas, & vt aliæ precariæ, ac ſi per quinquennium fuerit renouata iſta, per ſe obtineat firmitátem.

XXVIII. *PRESTARIA.*

IN Christo filio illi, ille dono Dei rector & custos Ecclesiæ illius, quæ est constructa in pago illo, in loco qui dicitur ille. Omnibus non habetur incognitum, qualiter tu res proprietatis tuæ, tam infra ciuitatem, quàm & foras in ipso pago, in loco cuius vocabulum est ille, & ille, in iam dictis locis omnem rem tuam per tuam cessionem ad ipsam casam vel domum Dei, à die præsente delegasti. Posteà ad petitionem tuam tibi non denegauimus, nisi vt ipsas res ad præstitum beneficiū tibi præstare deberemus. Quod ita & fecimus: sic taliter, vt tempore vitæ tuæ ipsas res per nostrum beneficium habere, vel condirigere, siue vsare debeas: & annis singulis in festiuitate sancti illius, censum ad lumen vel sacrificium solidos tan-

tos per temetipsum soluere facias: & nec nos ipsi, nec vllus de successoribus nostris, nec quislibet de parte nostra, ipsas res tempore vitę tuæ, tibi abstrahere, nec minuere non debeamus. Et vt has litteras firmius post te retineas, manu propria subter decreuimus adfirmare.

XXIX. *NOTITIA DE homine forbatudo.*

NOtitia qualiter vel quib. præsentibus, veniens homo aliquis, nomine ille, in pago illo, in loco qui dicitur ille, in mallo publico, ante ipsum Comitem illũ, vel alios bonos homines qui subterfirmauerunt posita manu sua super sacrum altarium sancti illius sic iuratus dixit: Hic iuro per hunc locum sanctum, & Deum altissimũ, & virtutes sancti illius, quod homo aliquis nomine ille, ita factus, cũ armis suis su-

per me venit, & colpus ſuper me miſit, & ſic mihi Dominus directum dedit, ego ipſum de armis meis percuſſi,& tales colpus ei dedi pro quib. ipſe mortuus eſt, & quod feci ſuper me fecit, & ego hodie ipſum facio infra damnum & forbatudũ infra noctes XLII. ſicut lex eſt & noſtra cõſuetudo,apud tres aloarius,& XII. conlaudantes iurauerũt, & linguas eorum legibus direxerunt.

XXX. *INDICVLVS REGALIS.*

ILle Rex Francorum vir inluſter, magnifico fratri illi Comiti. Cognoſcas quod iſte præſens ille miſſa petitione ſuggeſſit, eo quod homo aliquis nomine ille, res ſuas in veſtro miniſterio ad ſanctum illum delegaſſet,& dicit quod ille, vel alij homines ipſas res contendunt malo ordine. Propterea omnino te ro-

gamus, vt si veritas est, integram iustitiam, sine vlla moratione ei facias exinde. Et si ante te minimè definitum fuerit, tunc ipsos homines, qui hoc contendunt malo ordine, per fideiussores positos, super noctes tantas, postquam has litteras recipis, ante nos facias aduenire. Taliter ages, si gratiam nostram velis habere.

XXXI. *ITEM ALIVS indiculus.*

ILle Rex Francorum vir inluster illi Comiti, seu iunioribus atque successoribus vestris, seu missis nostris discurrentibus. Cognoscatis qualiter in nostra eleemosyna tali isti præsenti, dum & ipse senex esse videtur, taliter ei concessimus, vt de omni hoste vel omni banno, seu & arribanno sit conseruatus, vt neque vos, neque iuniores atque succes-

sores vestri ipsum pro hoc inquietare, nec dismanare non præsumatis, nec facere dimittatis. Sed liceat ei cum Dei & nostra gratia, quieto ordine ad propria viuere, vel residere. Et vt certius credatis manu nostra subterfirmauimus, & de anulo nostro sigillauimus.

XXXII. *NOTITIA DE colonitio.*

NOtitia qualiter vel quib. præsentibus, veniens homo aliquis nomine illo, in pago illo, in mallo publico ante virum inlustré Comitem, vel reliquos quamplures bonos homines qui subterfirmauerunt, hominem aliquem nomine illum interpellabat, repetebat ei eò quod genitor suus, aut genitrix sua illa coloni sui fuissent, & ipse ille suus colonus esse debebat, & malo ordine de ipso colonatico se abstra-

hebat,& negligens erat. Interrogatum fuit ab ipsis viris ipsi, si ipse ille colonus ipsius lui esse debebat aut non, & in præsenti ei dicere deberet. Et ipse ille nullatenus potuit dicere nec adponere, nec vllam rationem tradere, per quam ipse de ipso colonatico se abstrahere potuisset: & in præsenti pro colono ipsius lui se recredidit, vel recognouit. Sic ab ipsis viris fuit iudicatum, vt ipse ille ipsum illum pro colono habere debeat. Et si iam dictus Comes ipsum illum per manus, partibus lui visus est reddidisse. His præsentibus.

XXXIII. *NOTITIA SACRAmentalis.*

NOtitia qualiter & quib. præsentibus, veniens homo aliquis nomine ille in pago illo, in basilica sancti illius, vbi plurima sacramenta percurrere videntur, ante vi-

rum magnificum illum, vel reliquos quamplures bonos homines, qui subterfirmauerunt, posita manu sua super sacrosanctum altare sancti illius, sic iuratus dixit: Hic iuro per hunc locum sanctum, & Deum altissimum, & virtutem sancti illius, vnde me homo ille in mallo publico mallabat, quod ego terram suam, aut ad coniugem suam illam, in pago illo, in loco qui dicitur ille, de eorum potestate per fortiam nunquam prisi, aut peruasi, sed de ista parte triginta & vno anno ferè amplius semper exinde fui vestitus, & post me diuisi, & per legem, & iustitiam plus obtineat me habere, quàm ipsi lui, aut coniugi suæ reddere, & quod mihi iudicatum fuit in nullo me debere, nisi istud & vnicum sacramentum, per hunc locum sanctum, & Deum altissimum & virtutes sancti illius. Insequenter

vero post ipsum tres aloariæ & XII. conlaudantes iurauerunt, & de linguis eorum legibus dixerunt.

XXXIV. *NOTITIA DE HERbis maleficis.*

NOtitia qualiter & quib. præsentibus, veniens fœmina aliqua, nomine illa, in pago illo, in mallo publico, in basilica sancti illius, ante illos & illos, & alios quamplures bonos homines, qui subterfirmauerunt, posita manu sua super sacrosanctum altare sancti illius, sic iurata dixit: Hic iuro per hunc locum sanctum, & Deum altissimum, & virtutes sancti illius, vnde me ille ante virum magnificum illum, vel alios bonos homines mallauit, quod ego herbas maleficas temperassem, vel bibere ei dedissem, per quod ipse infirmasset, aut vitā suam perdere debuisset, ego herbas male-

ficas, nec potiones malas nunquam téperaui, nec bibere dedi, per quod ipse infirmus, vel insanus fuisset, aut vitam suam perdere debuisset, & aliud de ista causa in nullo debeo, nisi istud vnicum & idoneum sacramentum, per hunc locum sanctum, & Deum altissimum & virtutes sancti illius. Insequenter vero post ipsam tantæ iurauerunt, & de linguis eorum legibus dixerunt.

XXXV. *CESSIO.*

DVlcissimo atque in omnibus amantissimo filio meo illi, ille. Ammonuit me amor & dulcitudo tua, & ex alia parte mihi non cessas deseruire, & in bonum impendis effectum. Propterea mihi præpatuit plenissima voluntas, vt aliquid de rebus propriis meis, extra consortium germanorum tuorum, tibi concedere deberem. Quod ita

& feci: propterea cedo tibi post meum quoque discessum de hac luce, à die præsente, cessumque in perpetuum esse volo, & de iure meo in ius & dominationem tuam transcribo atque transfundo: hoc est seruum iuris mei, nomine illum, vel aliam rem, terris, &c. Ita vt ab hodierno die habeas, teneas atq; possideas, vel quicquid à die præsente facere volueris, liberam & firmissimam in omnibus habeas potestatem faciendi. Si ego ipse, aut vllus de heredibus meis, vel quælibet opposita persona, quæ contra hanc cessionem venire conauerit, inferat tibi vna cum socio fisco auri vncias tantas, & præsens cessio omni tempore firma permaneat, stipulatione subnixa. Actum.

XXVI. EVACVATORIA.

FRatri illi, ille. Omnibus non habetur incognitum, quia ego ad petitionem tuam solidos tantos ad præstitum beneficium in manu tua tibi præstiti, & tu pro hoc talem epistolam cautionis in me adfirmasti, vt vsque ad annos tantos, in quaque hebdomada diebus tantis opera mea facere deberes, quod ita & feciſti, ad placitum ipsum debitum mihi reddere deberes; quod ita & feciſti, & ego ipsam cautionem minimè inuenire possum. Propterea talem epistolam euacuatoriam in te fieri & adfirmare rogaui, vt si ipsa cautio vllo vnquam tempore inuéta, aut reperta fuerit, nullum obtineat effectum, sed euacuata & inanis permaneat. Et nec ego ipse, nec vllus de heredibus meis, vel quislibet de parte mea ipsum debitum

ſuperius nominatum, nec per ipſam cautionem, nec nullis modis vllo vnquam tempore tibi ex hoc nullas calumnias, nec repetitiones agere, nec repetere non debeamus. Quod ſi attentauerimus, iſta tota ſeruata, vna cum ſocio fiſco, auri vnciis tãtis ſimus multandi; & præſens euacuatoria omni tempore firma permaneat.

XXXVII. *LIBELLVS DOTIS.*

DVm omnipotens Dominus conceſſit iugale conſortium, vt vnuſquiſque nubat iuxta cõſuetudinem anteriorum Chriſtianorũ: & iterum legimus, quod ipſe Dominus noſter cum diſcipulis ſuis ad nuptias inuitatus fuiſſet, & quos Deus coniunxit homo non ſeparet: Quod bonum felix, fauſtumq; ſit. Donat itaque ille honeſtæ puellæ ſponſæ ſuæ, nomine illo, quam ſi

Christo placuerit, in coniugium sociare vxorem cupio, donatumque in perpetuum esse volo, & de iure meo in ius & dominationem ipsius puellæ transcribo atque transfundo, hoc est res proprietatis meæ in pago illo, in loco qui dicitur ille, tam mansis, domibus, ædificiis, totum & ad integrum re inexquisita, seu mancipia stantia, his nominibus ille & ille, seu caballos tantos, boues tantos, vaccas cum vitulis tantas, oues, capita tanta ..... tantas, lectarias condignas ad lectos, fabricaturia, aurum, argentum in solidos tantos, vtensilia vero tam ærea quàm ferrea, seu & linea, quicquid domo rationabiliter cõtinetur, omnia superius nominata, cũ dies fœliciſſimus nuptiarũ aduenerit, dulciſſima sponsa mea illa, à die præsente habeas, teneas atque possideas, vel quicquid exinde à die præsente

facere volueris, liberam & firmissimam in omnibus habeas potestatem faciendi. Si quis vero, quod nec fieri credo, si ego ipse aut vllus de heredibus meis, vel quælibet vlla opposita persona, quæ contra hunc libellum dotis venire conauerit, inferat tibi, vna cum socio fisco, auri vncias tantas, & præsens libellus dotis firmus permaneat.

XXXVIII. *INDICVLVS Regalis.*

ILle Rex Francorum vir inluster. Cum nos in Dei nomine, palatio nostro, ad vniuersorum causas audiendas, vel recta iudicia terminanda, vna cum proceribus nostris resideremus, ibique veniens homo aliquis nomine ille, suggessit eo quod apud nostrum signaculum, hominem aliquem, nomine illum, mannitú habuisset, & super noctes

tantas

tantas ante nos debuisset venire in rationes, pro eo quod dixit, quod res suas post se malo ordine tenebat iniustè. Ad quod placitum veniens ipse ille per triduum, seu amplius placitum suum custodiuit; & nec ipse ille ad id placitum venit, nec missum in vicem suam direxerit, qui vllam soniam nuntiaret. Proinde nos taliter vna cum fidelibus nostris, vel Comite palatij nostri illo, visi fuimus iudicasse, vt dum ipse ille per triduum, seu amplius placitum suum legitimè custodiuit, & nec ipse ille ad illud placitum venit, nec missum in vice sua direxit, qui vllam soniam nuntiaret, & placitum suum neglexit, & jectiuus exinde remansit. Propterea iubemus, vt quicquid lex loci vestri de tali causa debuerit, vobis distringentibus, ipse ille partibus ipsius lui hominis componere atq; emendare studeat.

XXXIX. *AEQVALENTIA vel pactum.*

AVxiliante Domino noſtro Ieſu Chriſto, placuit atque conuenit inter illum & germanú ſuum illum de alode quæ fuit genitoris ſui, vt inter ſe æqualentia diuidere, vel exæquare deberent; quod ita & fecerunt. Accepit ille de parte ſua manſum in pago illo, in loco qui dicitur ille, cum omni deſuper poſito, ſeu vineis, oleis, campis, totum & ad integrum re inexquiſita. Ecótra ad vicem accepit ille de parte ſua manſum in pago illo, in loco qui dicitur ille, manſum illum vbi accola commanet, id eſt tam máſis, vineis, oleis, totum & ad integrum re inexquiſita, etiam aurum, argentum, drapalia, æramen, peculium, præſidium vtriuſq; ſexus, mobile & immobile inter ſe æqualentia viſi fue-

runt diuisisse: & pars contra parem suum inuicem tradidit, & per eorum fistucam pars contra parem suum se exinde exutos fecerunt. Ita vt ab hodierna die vnusquisque quod accepit habeat, teneat, atque possideat, vel quicquid exinde facere voluerit, liberam & firmissimam in omnibus habeat potestatem faciendi. Si quis vero, &c.

XL. *DONATIO AD CASAM DEI.*

DOmino vere sancto, ac reuerentissimo monasterio illi, quod est constructum in honore sanctæ Mariæ semper virginis, genitricis Dei & Domini nostri Iesu Christi, vel cęterorum dominorum suorum, quorum reliquiæ ibi conditæ sunt: & inlustri Deo sacratæ Abatissæ illi, vna cum turba plurima ancillarú Dei, ad laudem Chri-

sto canendam, cui custos præesse videtur, ego in Dei nomine fœmina aliqua, nomine illa, dono ad præfatum monasterium à die præsente, donatumque in perpetuum esse volo, & de iure meo in ius & dominationem ipsius monasterij, vel suis rectoribus, trado atque transfundo ad possidendum, pro eo quod in ipso monasterio sub religione, & sancta cõuersatione habitare debeam, hoc est res meas in pago illo in loco nuncupante sic, & in pago illo, in grafia illa, super fluuium illum, quãtumcumque à die præsente in iam dictis locis visa sum tenere, vel possidere, quod manente coniugio apud iugalem meum illum visa sum cõquisisse, vel in meam portionem recepi, vel quantumcumque de filij mei illius luctuosa hereditate mihi obuenit, sicut dixi quantumcumq; in his locis à die præsente meæ pos-

sessionis & dominationis est, totum & ad integrum ad ipsum monasterium, à die præsente de iure meo in ius ipsius monasterij, & suis rectoribus trado, atq; transfundo ad possidendum, hoc est tam terris, mansis, vna cum superpositis, domi bus, ædificiis, vineis, syluis, campis, pratis, pascuis, cultis & incultis, adiacentiisque, hominibus, aquis, aquarumue decursibus, vna cum mancipiis tantis, his nominibus, sicut dixi re inexquisita portionem meam ad integrum publicè trado atq; transfundo ad possidendum: Vt quicquid ab hac die Abates vel rectores ipsius monasterij ad profectum ipsius exinde facere voluerint, liberam & firmissimam in omnibus habeant potestatem faciendi. Si quis vero, &c.

XLI. *PRECARIA.*

DOmini virtute, atque ostensione crucis patibuli miraculorum remuneratione fulgẽti basilicæ, quæ in honore sanctæ Mariæ, & sancti Petri, & sancti Pauli principis Apostolorum, Gaico monasterio constructo in pago Vvastinensi, & inlustri Abatissæ illi, quæ inibi custos præesse videtur, vna cũ turba plurima ancillarum Dei ibidem consistentium, ego illa fœmina. Dum non habetur incognitum sed pluribus est manifestum, quod ego res proprietatis meæ, in loco qui dicitur ille, per epistolam donationis ad ipsum monasterium vestrum delegaui. Propterea expetiui à vobis, & petitionem meam non denegasti, vt ipsas res quamdiu aduiuo, sub vsu beneficij vestri tenere, & vsare debeam, & alicubi ipsas res

alienandi pontificium nó habeam, & post meum quoque discessum, cum re immeliorata ad ipsum monasterium, absque vlla expectata traditione, vos vel rectores ipsius monasterij in eorum faciant reuocare potestatem & dominationem: vt in postmodum mea possessio aliquod præiudicium ex hoc generare non debeat. Propterea hanc precariam vobis, vel ipsi monasterio vestro emittendam decreui, vt neque ego, neq; vllus de heredibus meis, quamuis per longinqua spatia ipsas res ad vsandum habuerim, agere & repetere non debeamus. Quod si quis fecerit, inferat vobis, & partibus ipsius monasterij suisque rectoribus, auri libram vnam, argenti pondo duo, & præsens precaria firma permaneat, & vt aliæ precariæ de quinquennio in quinquennium renouantur, istam vero non sit ne-

ceſſe renouãdi, ſed per ſemetipſam, omnique tempore obtineat firmitatem, cum ſtipulatione ſubnixa. Actum illo.

XLII. *PRÆESTARIA.*

DVlciſſimæ fœminæ illi, ego illa Abatiſſa. Dum non eſt incognitum, qualiter tu ante hos dies rem proprietatis tuæ, in pago illo, in loco qui dicitur ille, ad monaſteriũ ſanctæ Mariæ adfirmaſti, vnde precariam à nobis, vel ab ipſo monaſterio adpetiſti. Propterea has litteras in te adfirmauimus, vt dum aduiuis vſualiter ipſam rem tenere, & dominare debeas: & alicubi ipſam alienandi pontificium non habeas. Et ſi hoc conaueris facere, ipſam ré à die præſente perdas. Et vt has litteras firmius obtineas, manu noſtra ſubterfirmauimus, cum ſtipulatione ſubnixa. Actum illo.

XLIII. *TRADITORIA DE terra.*

NOtitia qualiter & quib. præsentibus, veniens homo aliquis aduocatus sancti illius de monasterio illo, ad res illas, in pago illo, in loco cui vocabulum est ille, quas ante hos dies fœmina aliqua, nomine illa, per sua instrumenta ad ipsum monasterium visa fuit delegare cum omni integritate, sicut ex ipsa donatione constat, quæ portio sua est, ad integrum à die præsente: missus ipsius fœminæ ille ipsi misso monasterij, nomine illi per ipsum hostium de ipsa casa per terram vel herbam, sicut lex est, ad partem sancti illius, visus est tradidisse, & per suam fistucam ipsum missum, vel ipsam fœminam de ipsis rebus se exutos ex omnibus esse dixisse.

XLIV. *EMVNITAS SANctorum.*

ILle Rex Francorum, vir inluſter. Quotieſcumque petitiones ſacerdotum aut ancillarum Dei ad effectum perducimus, regiam conſuetudinem exercemus, & nobis ad mercedem, vel ad ſtabilitatem regni noſtri in Dei nomine permanere confidimus. Ideoque dominis, viris ſanctis ac venerabilibus Apoſtolicis in Chriſto patribus, omnibus Epiſcopis, vel omnibus Abatibus, ſeu inluſtribus, atque magnificis viris, Ducibus, Comitibus, Vigariis, Centenariis, ſeu hominibus vaſſis noſtris, vel omnibus miſſis noſtris diſcurrentibus. Cognoſcatis quod inluſtris Abatiſſa illa de monaſterio illo, in pago illo, in loco qui dicitur ille, in honore ſancti illius cõſtructo, vna cum monachis,

vel Dei ancillis, quæ ad laudē Christo canendam sub religionis norma conuersari videntur, clementiæ regni nostri suggestionem intulit, eò quod glorioſus domnus & genitor noſter ille quondam Rex, per ſuam præceptionem ſua manu roboratam talem emunitatem, ad ipſam caſam Dei, ſeu monaſterium illud, vel ipſam Abatiſſam habuiſſet conceſſum atque indultum: Vt nullus Epiſcopus, aut Archidiaconus, eo loci niſi orationis, aut prædicationis lucrandæ gratia accedat, & vt nullus iudex publicus, vel quiſlibet iudiciaria poteſtate accinctus, in curtib. vel villis ipſius monaſterij, nullū debuiſſet habere introitū, nec ad cauſas audiendas, nec freda exigenda, nec ad fideiuſſores tollendos, nec manſiones, aut paratas requirendas, nec nullas retributiones exactandas, & quod fiſcus noſter

exinde exhibere poterat, nullatenus ex hac re requiratur. Vnde & confirmationes anteriorum Regum parentumq; nostrorum nobis in præsenti protulit relegendas, & petiit celsitudinem nostram, vt circa ipsum monasterium, nostra hoc deberet auctoritas generaliter confirmare. Cui nos hoc beneficium gratanti animo pro mercedis nostræ augmento non solum confirmasse, sed etiam in nouo sub emunitatis nomine cócessisse. Denuo per hoc præceptum, specialius decernimus ordinandum, atque omnino iubemus, quod in perpetuum absque vllis obstaculis, & refragationibus volumus esse mansurum, pręcipientes, vt sicut constat in supradictis titulis scriptum esse, vt illud monasterium maneat absque vllo introitu Episcopi, aut archidiaconi nisi orationem, aut prædicationem lucran-

do, & vt nullus iudex publicus in curtes, vel villas ipsius monasterij nullum debeat habere introitum; nec ad causas audiendas, nec freda exigenda, nec fideiussores tollẽdos, nec mansiones vel paratas, nec vllas retributiones exactandas, & quod fiscus noster exinde exhibere poterat, nullatenus ex hac re requiratur, nisi vt diximus pro mercedis nostræ augmento, sicut ab antecessoribus Regibus parentibus nostris, seu & dõno & glorioso genitore nostro illo quondam Rege, moderno tempore fuit concessum atque indultum, ita per nostra oracula plenius confirmamus, quod in perpetuum volumus esse mansurum. Et vt hæc præceptio firmior habeatur, & per tempora melius conseruetur, manu nostra signaculis subter decreuimus roborare, & de anulo nostro subtersigillauimus.

XLV. *INDICVLVS REgalis.*

KArolus Dei gratia Rex Francorum, tam præsentib. quam futuris, domnis sanctis & Apostolicis, ac venerabilibus in Christo fratribus: Ducibus, Comitibus, Domesticis, Vicariis, Centenariis, vel omnibus agentibus nostris, & iunioribus & successoribus nostris, vel omnibus amicis nostris, seu & hominibus, & missis nostris discurrentibus. Cognoscat magnitudo, seu almitas vestra, quod nos isti fideli nostro merito suo compellente concessimus, vbicumque infra regnum Deo propitio nostrum, homines sui ad negotium exigendum aduenerint, nullus quisliber de iudiciaria potestate vestra, nec missus noster nulla telonea, nec nullas véditas, nec rodaticũ, nec foraticum,

nec pontaticum, & sicut dixi nullus quælibet telonea, nec venditas eius, in nullo exactare non præsumatis; sed vt diximus, in quoscumq; portus ciuitatis, seu mercada nullo contradicente suus venditor, vel commercius quodlibet negotium potestatem habeat vendendi, quia nos taliter ei habemus concessum. In reliquo vero de parte nostra, vel vestra, ex nostra indulgentia visi fuimus concessisse, atque indulsisse, seu & in omnibus confirmasse. Et vt hæc præceptio nostra firmior appareat, & per tempora conseruetur manu propria subtus eam decreuimus adfirmare.

XLVI. *RELATVM QVOD dicitur apennis.*

MOs nobilium Romanorum adsueuit, & ratio iuris deposcit, vt si cuiuscumque domus igne

crementur, is per seriem scripturarum chartulam relationis quæ dicitur apennis recipiat. Quamobrem cum quadam die inluster ille Comes, ad multorum causas audiendum, vel recta iudicia terminãdum, vna cum pluribus personis residerent: Ibique veniens homo aliquis nomine ille suggessit & intulit, eo quod ante hos dies, casu faciente, casa sua, cum omni mobili, vel intra domum compendio, seu & instrumentis chartarum, ibidem igne cremata essent. Et quia ille iudex vel vicini pagenses ipsius ad præsens ita dixerunt, & testimoniauerũt, quod ad hoc videndum accesserant, sic vero & actum aderat: Sic supradictus ille Comes vel reliqui Franci, chartulam relationis quæ dicitur ei dare decreuerunt, vt quicquid ex cessione parentum, aut ex contractu habebat, tam per venditiones, dona-

donationes, cessiones, iudicia, obnoxiationes, commutationes, seu quod per cæteras scripturas ad eum peruenit, deinceps permaneat in suo iure & dominatione absque refragatione.

XLVI. *HEREDITORIA.*

DVlcissimæ filiæ meæ illi, ille. Dum non est incognitum, sed per populum deuulgatum, & patefactũ, quod ego in ancilla mea nomine illa te generaui, & postea ante domnum illum Regem, iactãte denario, secundum legem Salicam te ingenuam dimisi, & tu minimè in hereditate mea sociari poteras. Propterea ego hanc chartulam hereditoriam in te fieri, & adfirmare rogaui, vt si Dominus iusserit, quod mihi in hoc sæculo superstes appareas, de omnibus reb. meis, tã quod ex alode parẽtum, quam ex

meo contractu mihi obuenit, in hereditate succedas, tam terris, mansis, domibus, ædificiis, mancipiis, accolabus, vineis, syluis, campis, pratis, pascuis, aquis aquarumue decursibus, in quibuscumque pagis, aut territoriis, seu agris vel omnibus locis, vbi habere videor: etiam peculium, præsidium vtriusque generis & sexus, aurum, argentum, drapalia, mobile & immobile, quicquid dici aut nominari potest quantumcumque moriens de meo dereliquero, in omnium rerum mearum hereditate apud germanos tuos, filios meos succedas, & æqualentia inter vos exinde diuidere, vel exæquare faciatis: & quod ad partem tuam exinde recipis, quicquid exinde facere volueris, liberam & firmissimam in omnibus habeas potestatem faciendi. Si quis vero, &c.

XLVIII. *REDEMPTIONALE.*

DIlectissimo mihi, bene merito Dilli, ille. Omnibus non habetur incognitum, sed patefactum, quod tu quotidie in bonis partibus fideliter mihi deseruire non cessas, & pro respectu vel seruitio tuo, & pro fidelitate tua, quam circa partes meas impendere non desistis, mihi præpatuit plenissima & integra voluntas, propter nomen Domini, vt de seruitio tuo temetipsum, vel omne peculiare tuum redimere deberes. Quod ita & fecisti: & dedisti mihi pro hoc pretium, quod mihi bene complacuit, tam in argento, quã in amicto valente solidos tantos. Propterea hanc chartulam redemptionalem in te fieri, & adfirmare rogaui, vt taliter sis ingenuus, tanquam si ab ingenuis parentib. fuisses procreatus vel natus, cum omni

peculiari tuo, & nec mihi, nec vlli heredum meorum nullum impendas seruitium, nec hominiũ, nec libertaticum, nec vllum obsequium, nec patronaticum: sed eas, pergas partem quam volueris, liberamque & firmissimam in omnibus habeas potestatem: & neque seruitij, nec libertatici, aut vllius obsequij nomine, nec ego ipse, nec vllus de heredibus meis, nec quælibet opposita persona, tibi exinde nullas calumnias, nec fatigationes, nec repetitiones agere, nec generare, nec repetere non debeamus. Quod qui tentauerit, & à me vel heredibus meis defensatum non fuerit, inferamus tibi vna cum socio fisco, auri vncias tantas, & prẹsens redemptionale omni tempore firmum permaneat, stipulatione subnixa. Actum illo.

XLIX. *HEREDITORIA.*

DVlciſſimæ atque in omnibus amãtiſſimæ filiæ meæ illi, ego vir magnificus ille. Omnibus non habetur incognitum, quod ſicut lex Salica continet, de rebus meis, de eo quod mihi ex alode parẽtum meorum obuenit, apud germanos tuos, filios meos minimè in hereditate ſuccedere poteras. Propterea mihi præpatuit pleniſſima & integra voluntas, vt hanc epiſtolam hereditoriam in te fieri, & adfirmare rogarem, vt ſi mihi in hoc ſæculo ſuperſtes apparueris, in omnes res meas, tam quod ex alode parentum meorum, quam ex meo contractu mihi obuenit, in pago illo, in loco qui dicitur ille, & in quibuſcumque pagis, aut territoriis, vbicumq; habere videor, tam manſis, domibus, ædificiis, vineis, oleis, ſyluis, campis,

pascuis, aquis, aquarumue decursibus, quicquid dici aut nominari potest, quantumcumque de meo proprio moriens dereliquero, in omnium rerum mearum hereditate apud germanos tuos, filios meos succedas, & æqualentia inter vos exinde diuidere, vel exæquare faciatis. Et quod ad partem tuam exinde recipis, quicquid exinde facere volueris, liberam & firmissimam in omnib. habeas potestatem faciendi. Si quis vero, &c.

L. CAVTIO DE VINEA.

DOmino fratri illi, ille. Ad petitionem meam mihi non denegasti, nisi vt in summa necessitate mea argentum, vel amictum valentem solidos tantos in manu mea ad præstitum beneficium mihi præstitisti: Propterea oppignero tibi vineam proprietatis meæ in pago

illo, in loco qui dicitur ille, quæ cõtinet aripennos tantos, ſubiungit de ambobus lateribus, & ambobus frontibus terræ lui, infra ipſam terminationem, & menſuram ad integrum, & vſque ad annos tantos fructum, quem ibidem Deus dederit, ad partem tuam habere debeas, & ipſam vineam condirigere facias: & quomodo cum ipſis fructibus tantos annos tranſactos habueris, & debitum tuum tibi reddidero, cautionem meam per manus recipiam, ſtipulatione ſubnixa. Actum illo.

LI. *SECVRITAS.*

NOn minima, ſed maxima vertitur diſcordia inter illum, & illum. Venientes in loco illo, ante bonos homines, repetebat ipſe ille in cauſa ſua, vel coniugis ſuæ illius, aduerſus ipſum lui, dum diceret, eo quod ipſe genua ſua impin-

xerit, & super filiam eorum, nomine illam cessisset, & ipsam ibidem occidit, sed ipse ille hanc causam minime potuit denegare. Exinde taliter ab ipsis bonis hominibus fuit iudicatum, vt illam leudem, vt lex erat, ipsi lui soluere deberet: quod ita in præsenti fecit, & seruum suum nomine illum, vel aliam raupam ipse ille pro illa leude, ipsi lui, vel coniugi suæ illi, in quod eis bene complacuit, dedit. Propterea iam dictus ille, & coniux sua illa hanc securitatem in ipso illo fieri, & adfirmare rogauerunt, vt nullo vnquam tempore de iam dicta causa, nec de illa morte, nec de ipsa leude, nullas calumnias, nec repetitiones, nec fatigationes, nec nos, nec vllus de heredibus nostris, nec quælibet opposita persona agere, nec generare, nec repetere non debeamus. Quod qui attentauerit, & à nobis

vel heredibus noſtris defenſatum non fuerit, inferamus tibi vna cum ſocio fiſco auri vncias tantas, argenti pondo tan. & præſens ſecuritas omni tempore firma permaneat, ſtipulatione ſubnixa. Actum illo.

LII. *DONATIO AD FILIOS.*

LEx & conſuetudo expoſcit, vt quæcumque perſona naturales filios habuerit, & alios plures nō habuerit, ſi eos in ſua voluerit inſtituere hereditate, qualiter voluerit, & ſuo penitùs arbitrio faciendi hoc quod voluerit, liberā habeat poteſtatem. Ideoq. ego ille, dum non eſt incognitum, vt fœminam aliquam bene ingenuam ad coniugium ſociaui vxorem, ſed talis cauſa, vel tempora me oppreſſerunt, vt chartulam libelli dotis ad eam, ſicut lex declarat, minimè conceſſit facere, vnde ipſi filij mei ſecundum legem

naturales appellantur, & filios in ea generaui, quibus baptismo nomen imposuimus illos & illas. Propterea volo, vt prædicti filij mei omne corpus facultatis meæ, in pago illo, in locis denominatis illis, in legitimam successionem debeatis adire & adprehendere, hoc est tam mansis, &c. vna cum superpositis domibus, ædificiis, vtriusque generis & sexus peculiis, mancipiis ibidem commanentibus, tam ibidem, quam & aliunde translatis, sicut dixi, quod nostra est possessio, & quod successione parentum nobis obuenit, tam de alode, quam de cóparato vel de quolibet adtractu ad nos noscitur peruenisse, & à die præsente nostra est possessio, vel dominatio, cum omni iure & merito, omni re inexquisita quam quidem moriens dereliquero in vestram debeatis reuocare potestatem, & do-

minationem: & faciatis exinde iure proprietario quod volueritis, nullusque vos de omni hereditate mea repudiare non debeat, nec facere possit, stipulatione subnixa.

LIII. *MANDATVM.*

DVlcissimo amico meo illi, ego ille. Rogo atq; iniungo charitati tuæ, vt eas ad vicem meam ad ciuitatem illam, ad illum defensorem, & illum professorem, vel curiam publicam ipsius ciuitatis, & hanc epistolam, quam ego in filios meos illos, vt totius hereditatis meę legitimæ successioni adhæreant, & legitimi filij mei sint, sicut in ipsius epistolæ textu continetur, conscribere ea gestis municipalibus, vt mos & lex est, alligare, atq; firmare facias; ad prosecutionem celebratā, quod te rogo mihi rescribere pigrè non graueris.

LIV. *GESTA.*

IN nomine Domini, Anno illo domini nostri illius Regis, mense illo, gesta habita apud laudabilem virum illum defensorem, & illum professorem, vel curiam publicam illius ciuitatis, ille ait. Quæso vos optime defensor, vt mihi codices publicos patere iubeatis, quia habeo quædam prosequi, & quæ gestorum alligatione cupio roborari. Memorati defensor & ordo curiæ dixerunt: Patent tibi codices publici, prosequere quæ optas, ille dixit, Amicus meus ille mihi iniunxit per suum mandatum sollenniter roboratum, ad laudabilitatem vestram accedere debere, & hanc epistolam, quam ipse, sicut lex declarat, in prædictos filios suos, pro eo quod in bene ingenua fœmina illa ipsos generauit, & tamē chartulam

libelli dotis ei secundum legem nó adfirmauit, propterea iam dicti filij secundum legem naturales appellantur, ita antedicto patri eorum complacuit, vt ipsos secundum legem Romanam, in ipsa ciuitate, ante curiam publicam, debeat in legitima totius hereditatis suæ instituere hereditate, ita & fecit, dum inprolis fuerit, nec legitimos infantes habuerit, ipse in legitimam hereditatem, vt legitimos filios, eos in omnes causas recepit; vt prædicta epistola iuxta morem & consuetudinem gestis municipalibus alligari, atque firmari debeat: supra scriptus defensor, vna cum suis curialibus instituerũt, & signaculis subter firmauerunt. Et hæc gesta quomodo fuerunt conscripta, manu eorum roborata, ei visi sunt tradidisse; stipulatione subnixa. Actum.

LV. *EPISTOLA.*

MAgnifico amico meo illi, ego ille. Cognoscas iuxta iniunctionem tuam, vt per tuum mandatum rogasti, me ad illam ciuitatem, ad illum defensorem vel curiam publicam ipsius ciuitatis accessisse, & hanc chartulam, qua infantes tuos, quod naturales essent, in legitimam hereditatem secundú legem instituisti, sicut in ipsa continetur, gestis municipalibus, iuxta morem & consuetudinem alligasse atque firmasse cognoscas, & persecutione celebrata, quod me rogasti, rescribere vel prosequi pigrum non fuit.

LVI. *GESTA MANVMISSIONIS.*

QVod secundum legem Romanam actum est nullatenus reuocetur. Itaque sub die illo,

anno illo regni domini nostri illius Regis, indictione illa, ille vir venerabilis ille diaconus testatur eis qui tabulis subscriptis manumittere in Ecclesia illa, vindictaque liberare famulum illum suum bene sibi meritum cupiunt, secundum constitutionem bonæ memoriæ Constantini faciant, legisque qua dicitur, vt omnes qui sub oculis Episcoporum, presbyterorum, seu diaconorum in Ecclesia manumittuntur, ad ciuitatem pertinere Romanam, & ab Ecclesia defensatur. * *Desunt hic quædam videlicet quæ ad gesta manumissionis pertinent*, ea tamen conditione, vt eat vbique, quam voluerit partem pergat, tanquam si ab ingenuis parentib. fuisset natus, vel procreatus, & nulli heredum ac proheredum eorum minimè quicquam debeat seruitutis, nec libertinitatis gratia, nec patronatus obsequij, sed

sicut dixi, sub integra & legitima ingenuitate debeat permanere ingenus atq; securus, & semper ad ciuitate pertineat Romanam: Testamentum etiam faciendi liberam in omnibus habeat potestatem.

LVII. *TRADITORIA.*

NOtitia traditionalis, qualiter & quibus præsentibus venit homo aliquis nomine ille, ad illum mansum, quem ante hos dies per chartulam venditionis ad filium suum adfirmauit, per herbam & terram visus fuit tradidisse, vel consignasse, & exitum inde fecisse. His præsentibus.

LVIII. *OBNOXIATIO.*

DOmino meo semper, ego enim ille. Dum non est incognitum, qualiter instigante parte aduersa, mihi contigit, quod ego caballum

caballum ad hominem aliquem nomine illum subduxi, vnde & pro furto victus apparui, & vitæ periculum exinde incurrere potueram, & ego non habeo vnde ipsum facinus, vel furtum emendare, vel satisfacere debeam, propterea expetij vos, & habuit pietas & dignatio vestra, &c. *plura in MS. non erant.*

T

SVPERIORVM FORMVLARVM CAPITVLA.

I. *Notitia de colono euindicato.*
II. *Charta ſacramentalis.*
III. *Notitia de ſeruo.*
IV. *Iudicium euindicatum de colono.*
V. *Notitia de colona euindicata.*
VI. *Notitia de ſeruo quem colonus comparat.*
VII. *Notitia de terra euindicata.*
VIII. *Ingenuitas.*
IX. *Mandatum.*
X. *Tracturia pro itinere peragendo.*
XI. *Ceſſio ad Eccleſiam à nouo ædificatam.*
XII. *Littera commendatitia ſeu Formata.*
XIII. *Ingenuitas.*
XIV. *Venditio.*
XV. *Cautio.*
XVI. *Obnoxiatio.*
XVII. *Commutatio de terris.*
XVIII. *Charta agnationis.*
XIX. *Traditoria de terra.*
XX. *Traditoria de manſo, vel vinea.*
XXI. *Notitia de ſeruo.*
XXII. *Notitia de iactiuis.*
XXIII. *Securitas.*
XXIV. *Charta denarialis.*
XXV. *Mandatum.*
XXVI. *Ceſſio ad Eccleſiam.*
XXVII. *Precaria.*
XXVIII. *Preſtaria.*
XXIX. *Notitia de homine forbannito.*
XXX. *Indiculus Regalis.*
XXXI. *Item alius indiculus.*
XXXII. *Notitia de colonitio.*
XXXIII. *Notitia ſacramentalis.*
XXXIV. *Notitia de herbis maleficis.*
XXXV. *Ceſſio.*
XXXVI. *Euacuatoria.*
XXXVII. *Libellus dotis.*
XXXVIII. *Indiculus Regalis.*
XXXIX. *Æqualentia vel pactum.*
XL. *Donatio ad caſam Dei.*
XLI. *Precaria.*
XLII. *Preſtaria.*
XLIII. *Traditoria de terra.*
XLIV. *Emunitas ſanctorum.*
XLV. *Indiculus Regalis.*
XLVI. *Relatum quod.*
XLVII. *Hereditoria.*
XLVIII. *Redemptionale.*
XLIX. *Hereditoria.*
L. *Cautio de vinea.*
LI. *Securitas.*
LII. *Donatio ad filios.*
LIII. *Mandatum.*
LIV. *Geſta.*
LV. *Epiſtola.*
LVI. *Geſta manumiſſionis.*
LVII. *Traditoria.*
LVIII. *Obnoxiatio.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

FORMVLAE VETERES SECVNDVM LEGEM ROMANAM.

INCIPIVNT CAPITVLA.

I. *Donatio Eccleſiæ.*
II. *Mandatum.*
III. *Geſta.*
IV. *Ceßio.*
V. *Venditio.*
VI. *Obligatio.*
VII. *Precaria.*
VIII. *Item venditio.*
IX. *Venditio de ſeruo.*
X. *Venditio de ſemetipſo, qualiter homo liber venundetur.*
XI. *Epiſtola collectionis.*
XII. *Ingenuitas.*
XIII. *Cautio.*
XIV. *Donatio in ſponſa facta.*
XV. *Traditio.*
XVI. *Charta in puellam facta ab eo qui ipſam inuitam traxerit.*
XVII. *Donatio inter virum & vxorem.*

XVIII. *Item alio modo.*

XIX. *Libellus repudij.*

XX. *Mandatum qualiter maritus negotium vxoris prosequatur.*

XXI. *Charta qualiter pater filium, vel nepotem de rebus suis meliorare potest.*

XXII. *Epistola qualiter nepotes in loco filiorum instituuntur ab auo.*

XXIII. *Epistola qualiter extraneus homo in loco filij adoptetur.*

XXIV. *Epistola qualiter pupilli recipiantur.*

XXV. *Pactum inter parentes.*

XXVI. *Commutatio.*

XXVII. *Confirmatio legis.*

XXVIII. *Item Apennis.*

XXIX. *Editio legibus comprehensa.*

XXX. *Relatio cum iudicio.*

XXXI. *Breue sacramenti.*

XXXII. *Si quando masculus & fœmina pariter raptum consenserint, infra quinquennium litigetur.*

XXXIII. *Iudicium euindicatum.*
XXXIV. *Epistola Abatis.*
XXXV. *Donatio ad Ecclesiam post obitum.*
XXXVI. *Cessio â die præsente.*
XXXVII. *Venditio ad Ecclesiam.*
XXXVIII. *Epistola Abatis.*
XXXIX. *Securitas de homicidio.*
XL. *Iudicium, iuxta quod causa continet.*
XLI. *Breue sacramenti, secundum ipsum iudicium.*
XLII. *Notitia de alode euindicato.*
XLIII. *Venditio de casa vel area infra ciuitatem.*
XLIIII. *Qui se in alterius potestate commendat.*
XLV. *Euacuatoria.*
XLVI. *De causis commendatis.*

Expliciunt capitula.

FORMVLAE VETERES SECVNDVM LEGEM ROMANAM.

I. *DONATIO ECCLESIAE.*

MVNDI terminum adpropinquantem ruinis crebrescentibus, iam certa signa manifestant. Idcirco ego in Dei nomine ille, considerans grauitudinem peccatorum meorum, & reminiscens bonitatem Dei dicentem, Date eleemosynam & omnia munda fient vobis.

ITEM ALIO MODO.

SI aliquid de rebus nostris, locis sanctorum, vel in substãtia pau-

perum conferimus, hoc nobis procul dubio in æterna beatitudine retribui confidimus. Ego quidem de tanta misericordia, & pietate Domini confisus, per hanc epistolam donationis, dono donatumque in perpetuum esse volo ad Basilicam S. Martini, vbi ipse pretioso corpore requiescit, vel omni congregationi ibidem cósistenti, cui venerabilis vir ille Abas præesse videtur, villam iuris mei nuncupátem illam, sitam illo, in condita illa, cúm terris, ædificiis, accolabus, mancipiis, libertis, vineis, syluis, pratis, pascuis, aquis, aquarumue decursibus, mobilibus & immobilibus cum omnibus appenditiis, suisque adiacentiis, sicut à me præsenti tempore videtur esse possessum, totum & ad integrum de iure meo, in vestrum vel S. Martini, iure proprietario trado, atque transfundo. Ea vero ratione, vt

quamdiu aduixero, sub vsu beneficij vestri, absque vllo preiudicio, vel diminutione aliqua prædictas res tenere & vsurpare debeam: & post meum quoq; discessum, quicquid in iam dicta villa, vel in finibus suis additum, adtractum, emelioratum, repertumq; fuerit, & transitus meus ibidem dereliquerit, cum omni supraposito, rectores ipsius Ecclesiæ, agentésque illius, absque vllius expectata traditione, vel iudicum cósignatione, in nostra eleemosyna, vel subsstátia monachorum ibidem vitam degentium, Christo protegente, tanquam si ad presens, absque vsu nostro eorum fuisset obsecuta possessio, in eorum faciant reuocare potestatem vel dominationem. Ita vt quicquid exinde pro oportunitate monasterij facere decreuerint, liberam & firmissimam in omnibus habeant potestatem.

Et si fuerit vlla quælibet persona, quæ præter istum alterũ instrumẽtum exinde præsentauerit, aut anterius, aut posterius, quod nos nec fecimus, nec facere rogauimus, nullum sortiatur effectum, nisi vacuum & inane permaneat. Auctorem vero criminis, vel falsarium iudiciaria potestas condemnet. Et si fuerit, aut ego ipse, aut vllus de heredibus meis, vel quælibet persona, quæ cõtra hanc donationem aliquid refragare, vel calumniam generare præsumpserit, illud quod repetit non vindicet, & insuper contra cui litem intulerit sol. quingentos componat, & hæc donatio cum stipulatione subnixa inlibata permaneat.

II. *MANDATVM.*

MAgnifico fratri illi, ego ille, filius illius, rogo, supplico, atque tuæ charitati iniungo, vt ad vi-

cem meam ciuitatem illam adeas, & donationem illam, quam ego partibus illius de locis noſtris, nuncupantibus illis, ſitis in pago illo, per mea legitima inſtrumeta, geſtis municipalibus cum curia publica, & defenſore facias alligare, vel proſequere, & de ipſa proſecutione me reddas certiorem. Et quicquid exinde egeris, geſſeriſue, ratum à me in omnibus eſſe cognoſcas. Quod mãdatum, vt pleniorem obtineat vigorem, manu propria ſubter firmaui, & bonorum virorum manibus roborandum decreui.

III. *GESTA.*

CVm conuentus, Turonus ciuitate adfuiſſet, adſtante venerabili viro illo defenſore, vna cũ honoratis principalibus ſuis, venerabilis vir ille dixit, Rogo te venerabilis vir ille defenſor, vt mihi codi-

ces publicos patere iubeatis, quia inluſter vir ille per hoc mandatum ad me ſperauit, vt donationem illam, quam de rebus ſuis proprietariis, de locis nuncupantibus illis, ſitis in pago illo, partibus illius per ſua legitima inſtrumenta confirmauit, geſtis municipalibus cum curia publica, & defenſore proſequi, & alligare deberem. Ecce ipſam donationem, iubete iam recitari: Venerabilis ille defenſor, & ordo curiæ dixerunt, Codices publici te patefaciant: & ille amanuenſis hanc donationem accipiat, vel recitetur. Qui ſtatim accipiens, per ordinem eam recitauit. Iam dictus proſecutor dixit: Et quia petitiones meas laudabilitas veſtra per ordinem implere dignata eſt, rogo vt publica monumenta ſuſcipiat. Et patefactis codicib., geſta cum à vobis fuerint ſubſcripta, mihi nobilitas veſtra, vt

mos est, tradi præcipiat. Venerabilis vir ille defensor, & ordo curiæ dixerunt, Gesta cum à nobis fuerint subscripta, & á venerabili viro illo amanuense edita, tibi tradantur ex more, vt facilius quod superius insertum est diuturno tempore maneat inconuulsum.

IV. *CESSIO.*

LAtores legum sanxerunt, vt quicquid vnus quisque alteri cesserit, profiteatur se tantum rem cessisse, vel concedere, & sola voluntas illius, aut scriptura, aut testibus cóprobata pro omni firmitate sufficiat. Igitur ego in Dei nomine ille, fideli nostro illi: cedo tibi, à die præsente cessumque in perpetuo esse volo, hoc est villam iuris nostri nuncupantem illam, sitam in pago illo, in condita illa, cum terris, ædificiis, accolabus, mancipiis, libertis,

vineis, syluis, pratis, pascuis, aquis, aquarumue decursibus, mobilibus & immobilibus cum omnibus appenditiis, suisque adiacentiis, cum omni suprapositio, vel quicquid in iam dicto loco à die præsente tenere & possidere videor. Ita vt quicquid exinde facere volueris, iure proprietario, liberam & firmissimá in omnib. habeas potestatem, quia malo hoc te habere quam me, plus me quam cæteros hæredes meos. Et si fuerit, aut ego ipse, aut vllus de hæredibus meis, vel quælibet persona, quæ contra hanc cessionem aliquid refragare, vel calumniá generare præsumpserit, illud quod repetit non vindicet, & insuper contra cui litem intulerit sol. tantos cóponat. Et hæc cessio meis, vel bonorum hominum manibus roborata, cum stipulatione subnixa, diuturno tempore maneat inconuulsa.

V. *VENDITIO.*

MAgnifico fratri illi, ego ille. Constat me tibi vendidisse, & ita vēdidi, rem proprietatis meæ, sitam in pago illo, in cōdita illa, in loco nuncupante illo, cum terris, ædificiis, accolabus, mancipiis, libertis, vineis, syluis, pratis, pascuis, aquis, aquarumue decursibus, mobilibus & immobilibus, totum & ad integrum cum omnibus appenditiis suis, vel omni suprapositō, sicut à me præsenti tempore videtur essem possessum, de iure meo in tua trado potestatē, vel dominatione: vnde accepi à te pretium, in quod mihi bene complacuit, illis præsentibus qui subtus tenentur inserti, valens solidos tantos. Ita vt ab hodierna die, quicquid exinde facere volueris, liberam habeas potestatem. Et si fuerit, aut ego ipse, aut

vllus

vllus de heredibus meis, vel quælibet persona, quæ contra hanc venditionem aliquam calumniam, vel repetitionem generare præsumpserit, illud quod repetit non vindicet, & insuper contra cui litem intulerit solidos tantos componat, & hæc venditio firma permaneat.

VI. *OBLIGATIO.*

DOmino venerabili illi, Ego in Dei nomine ille. Dum & omnibus habetur percognitum, qualiter vestro accepto pretio, rem proprietatis meæ sitam in pago illo, in condita illa, in loco nuncupante illo, cum omni integritate, vel quicquid à me præsenti tempore inibi fuit possessum, vobis per venditionis titulum distraxi. Sed postea mea fuit petitio, & vestra decreuit voluntas, vt mihi ipsam rem vsufructuario ordine conseruare iubere-

tis: quod ita & feciſtis. Et ego pro huius merito beneficij, obligo vobis rem proprietatis meæ, ſitam in pago illo, in condita illa, in loco nũcupante illo, cum omni integritate, vel quicquid ibidem præſenti tempore à me videtur eſſe poſſeſſum. Ea vero ratione, vt quandiu in caput aduixero, vtriſque partibus ſub veſtro prætextu tenere & vſurpare debeam, & mihi exinde non liceat aliubi nec vendere, nec donare, nec in nullo modo diſtrahere, nec ipſos vſus in alterius manus transferre. Sed poſt meum quoque diſceſſum, abſque vllius expectata traditione, vel iudicum conſignatione, abſque diminutione rerum, vel mancipiorum, cum omni ſuprapoſito, vel quicquid ad ipſa loca aſpicere, vel pertinere videtur vos heredeſq; veſtri, vel cui à vobis permiſſum fuerit in eorum faciant reuocare poteſta-

tem vel dominationem: Et si fuerit aut ego ipse, aut vllus de heredibus meis, vel quælibet persona, quæ cõtra has obligationes aliquã calumniam, vel repetitionem, aut cõtemptum generare præsumpserit, illud quod repetit non vindicet, & insuper contra cui litem intulerit solidos CC. componat. Et hæ obligationes vno tenore conscriptæ firmæ permaneant.

VII. *PRECARIA.*

DOmino venerabili illi rectori Ecclesiæ illius, vel omni cõgregationi ibidem consistenti. Ego enim ille ad meam petitionem vestra decreuit voluntas, vt mihi villam vestram, sitam in pago illo, in condita illa, in loco nuncupante illo, cum omni merito ad se pertinente vel aspiciente, vsufructuario ordine mihi conseruare iuberetis:

quod ita & feciſtis. Ea verò ratione vt mihi exinde non liceat aliubi, nec vendere, nec donare, nec in nullo modo diſtrahere; ſed ſub veſtro prætextu, quatenus veſtrum decretum manſerit hoc tenere & vſurpare faciam. Vnde cenſui me annis ſingulis ad feſtiuitatem ipſius ſancti, partibus veſtris reddere argentum tantum. Et poſt meũ quoque diſceſſum ſupraſcriptam rem, cum omni integritate & ſoliditate ſua, quicquid ibidem aſpicere vel pertinere videtur, cum omni ſuprapoſito vel quicquid ibidem tranſitus meus dereliquerit, abſque vllius expectata traditione, vel iudicum conſignatione, aut heredum meorum repetitione, vos agenteſque ipſius Eccleſiæ in eorum faciant reuocare poteſtatem, vel dominationem. Et ſi fuerit aut ego ipſe, aut vllus de heredibus meis, vel quælibet

persona, quæ contra hanc precariam aliquam calumniam vel repetitionem, aut contemptum generare præsumpserit, illud quod repetit non vindicet, & insuper contra cui litem intulerit solidos C. componat. Et hæc precaria, quamuis per diuersorum annorum curricula à me fuisset possessa, nullum præiudicium vobis præparetur, sed ita firma permaneat, quasi per quinquennium fuerit renouata, cum stipulatione subnixa, omnique tempore inuiolata permaneat.

VIII. *ITEM VENDITIO.*

MAgnifico fratri ego ille. Constat me tibi vendidisse, & ita vendidi infra terminum sancti illius, in loco nuncupante illo, campum, vel vineam, iuris mei, habentem aripennos tantos. Est quidem de vno latere & fronte terra illius,

de alio latere & fronte terra illius: vnde accepi à te pretium, in quod mihi bene complacuit valens sol. tantos, ita vt ab hodierna die quicquid de supradicta re facere volueris liberam habeas potestatem, saluo iure ipsius sancti. Et si fuerit, aut ego ipse aut vllus de heredib. meis, vel quęlibet persona, quæ cótra hác venditionem aliquam calumniam, vel repetitionem generare præsumpserit, contra cui litem intulerit sol. xv. componat, & hæc venditio firma permaneat.

IX. *VENDITIO DE SERVO.*

MAgnifico fratri illi, ego ille. Constat me tibi vendidisse, & ita vendidi seruum iuris mei nomine illum, non furem, non fugitiuum, sed sano corpore bonisque moribus constructum. Vnde accepià te pretium, in quod mihi bene

complacuit valens sol. tantos. Ita vt ab hodierna die, quicquid de supradicto seruo facere volueris, liberam habeas potestatem. Et si fuerit, aut ego ipse, aut vllus de heredibus meis, vel quælibet persona quę contra hanc venditionem aliquam calumniam vel repetitionem generare præsumpserit, contra cui litem intulerit sol. LX. componat, & hæc venditio firma permaneat.

X. *VENDITIO DE SEMET-ipso, qualiter homo liber venundetur.*

DOmino semper meo illi, ego ille. Placuit mihi vt statum ingenuitatis meæ in vestrum deberem obnoxiare seruitium: quod ita & feci. Vnde accepi à te pretium, in quod mihi bene complacuit sol. tantos, ita vt ab hodierna die, quicquid de me seruo tuo, sicut & de re-

liquis mancipiis tuis facere voluëris, à die præsente liberam habeas potestatem. Et quod fieri non credo, si fuerit vlla quælibet persona, quæ contra hanc venditionem, quá ego mea spontanea voluntate fieri rogaui, aut qui contra eam aliquid agere, vel calumniam generare conauerit, illud quod repetit non vindicet, & contra cui litem intulerit, auri libram vnam, argenti pondo quinque coactus exsoluat, & hæc venditio firma permaneat.

XI. *EPISTOLA COLLECtionis.*

NOs quoque in Dei nomine matricularij sancti illius, dum matutinis horis ad ostia ipsius Ecclesiæ obseruanda conueniissemus, ibique infantulum sanguinolentũ, periculo mortis imminentem, pannis inuolutum inuenimus, & ipsum

per triduum, seu amplius apud plures homines inquisiuimus, quis suũ esse diceret, & non inuenimus: cui nomen ipsum imposuimus. Sed postea pietate interueniente, & Domini misericordia opitulãte ipsum infantulum homini aliquo, nomine illo ad nutriẽdum dedimus, vt si Deo præsule conualuerit, ipsum in suis seruitiis ac solatiis secundum legis ordinem retineat. Pro quo pretium accepimus, in quod nobis bene complacuit, valens sol. tantos. Et vt præsens epistola firmior sit, manibus propriis eam subterfirmauimus, & bonis hominibus roborandam decreuimus, secũdum sententiam illam, quæ data est ex corpore Theodosiani libri quinti, dicẽtem. *Si quis infantem à sanguine emerit, si nutritum dominus, vel pater eum recipere voluerit, aut eiusdem meriti mancipium, aut pretium nutritor quantum valuerit consequatur.*

XII. *INGENVITAS.*

QVi debitum ſibi nexum relaxat ſeruitium, in futuro apud Dominum ſibi retribui confidat. Igitur ego in Dei nomine ille pro remedio animæ meæ, vel æterna retributione, ſeruum iuris mei nomine illum ingenuum eſſe præcipio, & in ſacroſancta Eccleſia beatiſſimi ſancti illius, ſub præſentia ſacerdotum ibidem conſiſtentium, ante cornu altaris ab omni vinculo ſeruitutis eũ abſoluo, ita vt deinceps, tanquam ſi ab ingenuis parentibus fuiſſet natus, vel procreatus, eat, pergat partem quam maluerit, & ſicut alij ciues Romani vitam ducat ingenuam. Et ſi aliqua procreatio filiorum vel filiarum ex ipſo orta fuerit, ſimiliter viuat ingenua, & nulli heredum meorum, nec cuicumque alij perſonæ quicquam debeat ſer-

uitutis, nec libertinitatis obsequiū, nisi soli Deo cui omnia subiecta sunt, vel pro cuius amore ipsum deuotus obtuli : patrocinium & defensionem cuicumque se elegerit, in omnibus illius perfruatur arbitrio. Si quis vero quod futurum esse non credo, si fuerit aliquis ex heredibus meis, vel quælibet persona, quæ contra hanc ingenuitatem venire, aut eam refragare præsumpserit, illud quod repetit non vindicet, & insuper contra cui litem intulerit sol. LX. componat, & præsens ingenuitas meis, vel bonorum hominū manibus roborata cum stipulatione subnixa, omnique tempore maneat inconuulsa.

XIII. *CAVTIO.*

MAgnifico fratri illi, ego ille. Ad meam petitionem vestra decreuit voluntas, vt mihi benefi-

cium de rebus vestris illis inter annos tantos facere deberetis : quod ita & feciſtis. Et ego pro huius merito beneficij oppignero vobis locellum rem proprietatis meæ nuncupantem illum, ſitum in pago illo, cum omni ſua integritate vel ſoliditate. Ea vero ratione vt quomodo iam dicti anni adimpleti fuerint, & fructus ipſius terrę per quinque annos tantum exinde collegeris, ego ſupradictum debitum tum tibi deſoluam, & res meas, vna cum cautione mea manibus tuis recipiá. Et ſi negligens aut tardus exinde apparuero, ſupraſcriptum debitum tuum in duplum, partibus tuis ſim redditurus.

XIV. *DONATIO IN ſponſa facta.*

LEx & conſuetudo expoſcit, vt quicquid inter ſponſum, &

sponsam de futuris nuptiis fuerit definitum, vel largitum, aut ex consensu parentum, aut ipsorum, si sui iuris sunt, scripturarum solennitate firmetur. Idcirco ego in Dei nomine ille, dū multis habetur percognitum, quod ego te illam, vna cum consensu parentum, vel amicorum nostrorum tua spontanea voluntate sponsaui, mihi placuit, vt aliquid de rebus meis per hunc titulum libelli dotis ante dies nuptiarum tibi confirmare deberem, quod ita & feci. Ergo dono tibi donatumque esse volo, locellum, rem proprietatis meæ nuncupantem illum, situm in pago illo, cum terris, ædificiis, accolabus, mancipiis, libertis, vineis, syluis, pratis, pascuis, aquis, aquarumue decursibus, mobilibus & immobilibus, cum omni supraposito suisque adiacentiis, tam de alode quam de comparato, seu de quo-

libet ad tractu, totum & ad integrū, ſicut à me præſenti tempore videtur eſſe poſſeſſum, & in fabricaturis aurum tantum, argentum tantum, veſtimenta. Hæc omnia ſuperius iam dicta, per hunc titulum libelli dotis diebus nuptiarum, tibi ſum impleturus vel traditurus, ita vt dum aduixeris ſecundum legis ordinem teneas, atque poſſideas, noſtriſque qui ex nobis procreati fuerint filiis, vel filiabus derelinquas. Si quis verò, ſi ego ipſe aut vlla quælibet perſona fuerit, quæ contra hanc donationem aliquid agere, vel calumniam generare præſumpſerit, illud quod repetit non vindicet, & inſuper contra cui litem intulerit ſol. C. componat: Et hæc donatio meis, vel bonorum hominum manibus roborata, cum ſtipulatione ſubnixa firma permaneat.

XV. *TRADITIO.*

DVm multis habetur percognitũ, qualiter ego ille puellã aliquam, nomine illam, vna cum consensu parentum, vel amicorum nostrorum legibus sponsaui, & aliquid de rebus meis ei donare ante dies nuptiarum disposui, ideo placuit mihi, vt de ipsis rebus, misso ipsius puellæ, nomine illo, traditionem vel introductionem locorum secundum legem Romanam, facere deberem, quod ita & feci. Ergo trado ei & tradidisse me constat, locellum rem proprietatis meæ nuncupantem illum, situm in pago illo, cum terris, ædificiis, accolabus, mãcipiis, *vel cætera quæ sequuntur*, aurum, argentum, vestimenta. Hæc omnia superius iam dicta ad vicem sponsæ meæ tibi trado, ita vt tempore nuptiarum ad iam dictæ spon-

sæ deueniat poteſtatem; ita vt ſecũdum legis ordinem teneat, atque poſſideat. Et ſi contra hanc traditionem aliquid refragauero, partibus ipſius puellæ ſol. tantos componam. Et hæc traditio firma permaneat.

XVI. *CHARTA IN PVELlam facta ab eo qui illam inuitam traxerit.*

VIuentibus patrib. inter filios familias ſine voluntate eorum matrimonia non legitime copulantur, ſed contracta non ſoluũtur. Idcirco ego in Dei nomine ille, dulciſſima coniux mea illa, dum & tè ſine voluntate parẽtum tuorum rapto ſcelere in meo ſociaui coniugio, vnde vitæ periculum incurrere debui, ſed interuenientibus ſacerdotibus, vel bonis hominibus vitam obtinui. Ideo placuit mihi vt

per

per hanc epistolam compositionalem, aut si conuenit cessionem, aliquid de rebus meis tibi confirmare deberem, quod ita & feci, Hoc est locellum nuncupantem illum, situm in pago illo, cum terris, ædificiis, accolabus, mancipiis, libertis, vineis, syluis, pratis, pascuis, aquis, aquarumue decursibus, mobilibus & immobilibus, cum omni supraposito suisque adiacentiis, vel omni integritate, quicquid inibi præsenti tempore mea videtur esse possessio, de iure meo in tua trado potestate, vel dominatione. Ita vt quicquid exinde à die præsente facere volueris, liberam ac firmissimam in omnibus habeas potestatem. Et si fuerit, aut ego ipse, aut vlla quælibet persona, quæ contra hanc epistolam refragationem aliquam, aut calumniam generare præsumpserit, illud quod repetit non vindicet, &

insuper contra cui litem intulerit sol. tantos componat, & hæc epistola firma permaneat.

XVII. *DONATIO INTER VIrum & vxorem quæ gestis sit alligata.*

QVicquid enim inter coniugatos de propria facultate, ob amorem dilectionis inuicē condonare placuerit, scripturarum necesse est titulis alligari, ne in posterum ab heredibus eorum possit cōuelli, quia secundum legem, si manente coniugio vir vxori, vel vxor marito aliquid donauerit, si is cui donatum est prior mortuus fuerit, apud donatorem ea quæ donata fuerant remanebunt. Igitur ego in Dei nomine ille, dulcissima coniux mea illa, si prius mortuus fuero quā tu, dono tibi per hanc epistolam donationis, donatumque in perpe-

tuum esse volo, tres partes de omni re facultatis meę, quantumcumque in pago illo, in villis nuncupantibus illis habere visus sum. Hoc est tam terris, ædificiis, accolabus, mancipiis, libertis, vineis, syluis, pratis, pascuis, aquis, aquarumue decursibus, mobilibus & immobilibus, aurum tantum, argentum tantum, æramentum in sol. tantos; Hæc omnia cum omnibus appenditiis, suisque adiacentiis, vel cum omni suprapositio, tibi dono atque transfundo: quartam vero legitimis heredibus meis reseruo, quia malo hoc habere te quam me, plus te quã cæteros heredes meos. Similiter ego in Dei nomine illa dulcissimo iugali meo illi, si prior mortua fuero, quam tu, dono tibi per hanc epistolam donationis, *sequitur supradictus textus.* Si quis vero quod fieri non credimus, si fuerit vllus de he-

redibus noſtris, vel quælibet perſona, quæ contra has epiſtolas vno tenore conſcriptas, quas inter nos fieri rogauimus, aliquid agere, vel refragare conauerit, illud quod repetit non vindicet, Et inſuper contra cui litem intulerit ſol. tantos coactus exſoluat. Et hæ epiſtolæ contulitionis, cum ſtipulatione Aquiliana, noſtris vel bonorum hominum manibus roboratæ, firmæ permaneant.

XVIII. *ITEM ALIO MODO.*

IGitur ego in Dei nomine ille, dulciſſimæ coniugi meæ illi, dono tibi per hanc epiſtolam contulitionis, donatumque eſſe volo locellum rem proprietatis meæ nuncupantem illum, ſitum in pago illo, cum terris, ædificiis, accolabus, mancipiis, libertis, vineis, ſyluis, pratis, paſcuis, aquis, aquarumue decurſi-

bus,mobilibus & immobilibus, cū omnibus appenditiis ſuis, vel omni ſuprapoſito,quicquid inibi præſenti tempore mea videtur eſſe poſſeſſio.Ea vero ratione,vt ſi tu mihi ſuperſtes fueris,vſufructuario ordine, hæc omnia abſque repetitione heredum meorum tenere & poſſidere debeas. Et poſt tuum quoque diſceſſum, cum omni re meliorata, vel ſuprapoſito, ad legitimos filios noſtros, qui ex nobis procreati fuerint reuertantur. Similiter ego in Dei nomine illa dulciſſimo iugali meo.*Loquitur ſupradictum textum.* Et illud inter nos inſerere placuit, vt ſi fuerit vllus de heredibus noſtris, vel quælibet perſona quæ contra has duas contulitiones, vno tenore conſcriptas,aliquid agere,vel refragare præſumpſerit,illud quod repetit non vindicet, & inſuper contra cui litem intulerit, ſol. tantos com-

ponat: & hæ contulitiones noſtris, vel bonorum hominum manibus roboratæ, cum ſtipulatione ſubnixa firmæ permaneant.

XIX. *LIBELLVS REPVDII.*

CErtis rebus & probatis cauſis, inter maritum & vxorem repudiandi locus patet. Idcirco quia inter illum & coniugem ſuam illam non caritas ſecundum Deum, ſed diſcordia regnat, & illorum nulla eſt voluntas pariter conuerſandi, placuit vtriſque voluntatibus, vt ſe à conſortio coniugali ſeparare deberent: quod ita & fecerunt. Propterea has epiſtolas, vno tenore cóſcriptas, inter ſe fieri & adfirmare decreuerunt: Vt quicquid vnus quiſque ex ipſis de ſemetipſo facere voluerit, abſque repetitione ſocij ſui, liberam habeat poteſtatem, & nullam requiſitionem neque

ipsius in caput, neque vlla quælibet persona, exinde habere pertimescat. Quod qui contra parem suum, vel contra alium quemcumque hominem, vllam repetitionem exinde facere conauerit, partibus illius contra cui litem intulerit sol. tantos componat, & sua repetitio nullum obtineat effectũ; sed vnus quis ex ipsis, per hunc libellum repudij eorum manibus roboratum, omnique tempore, quieti valeant residere.

XX. *MANDATVM QVALITER maritus negotium vxoris prosequatur.*

DVm & humana prodit vtilitas, & lex Romana exposcit, vt quicumq; vxoris suæ negotium fuerit prosecutus, quamuis maritus sit, nihil aliud agat, nisi quod ei agẽdum per mandatum illa commise-

rit. Igitur ego in Dei nomine illa, filia illius, tibi dulciſſimo iugali meo illi. Dum me ſimplicitas dominatur, quod minimè res vel cauſas meas valeo exercere, te in omnibus rebus vel cauſis meis, inſtituo dominum, procuratorem & auctorem: ita vt quicquid exinde egeris, geſſeriſue ratum, vel definitũ à me in omnibus eſſe cognoſcas, quia malo hoc habere te, quam me, plus te quam cæteros heredes meos. Et adhuc mihi inſerere placuit, vt hoc mandatum ad ciuitatem illam, cum curia publica, vt mos eſt, geſtis municipalibus facias alligari. Et vt noſtra voluntas æuis temporibus firmius perduret, manu propria ſubterfirmaui, & bonorum virorum roborandum decreui.

XXI. *CHARTA QVALITER pater filium, vel nepotem de rebus suis meliorare potest.*

QVicquid pater vnumquemq; ex filiis vel nepotibus habere voluerit, hoc sibi secundum legis ordinem, sine consortis repetitione defendat: nec præsumat aliquis cõtra voluntatem patris agere. Igitur ego in Dei nomine ille, dulcissimo filio vel nepoti meo illi. Cedo tibi, cessumque in perpetuum esse volo, & de meo iure in tuam trado dominationem, absque consortio fratrum tuorum, vel filiorum meorum villam in loco nuncupãte illo, cum terris, domibus, accolabus, mancipiis, libertinis, vineis, syluis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumue decursibus, mobilibus & immobilibus, cum omni suprapositio, suisque adiacentiis, vel quicquid inibi præ-

senti tempore mea videtur esse possessio, totum & ad integrum, à die præsente tibi volo esse concessum atque indultum; Ita vt quicquid exinde facere volueris, liberam & firmissimam in omnibus habeas potestatem. Si quis vero, &c.

XXII. *EPISTOLA QVALITER nepotes in loco filiorum instituuntur ab auo.*

QVicquid filiis, vel nepotibus de facultate patris cognoscitur ordinasse voluntatem eius, in omnibus lex Romana constringit adimplere. Ideoque ego in Dei nomine ille, dulcissimis nepotib. meis illis. Dum peccatis meis faciẽtibus, filia mea genitrix vestra tempus naturæ suæ compleuit, & ego pensans consanguinitatis causam, dum & per legem cum filiis meis, auunculis vestris, in alode meo ad inte-

grum minimè ſuccedere poteratis, ideo per hanc epiſtolam firmitatis volo, vt in omni alode meo, poſt meum diſceſſum, ſi mihi ſuperſtites fueritis, quicquid moriens dereliquero, ſicut ſupradicta genitrix veſtra, ſi mihi ſuperſtes fuiſſet, ita & vos cum auunculis veſtris ſuccedere faciatis. Ea vero ratione, vt quicquid tempore nuptiarum ei tradidi, vel dedi, hoc in partem veſtram recipiatis, & ſi amplius inſuper de rebus noſtris obuenerit, tunc cum filiis meis matris veſtræ portionem recipiatis: ita vt quicquid exinde facere volueritis liberam habeatis poteſtatem. Si quis vero fuerit, *& reliqua.*

XXIII. *EPISTOLA QVALITER extraneus homo in locum filij adoptetur.*

EGo enim in Dei nomine ille. Dum peccatis meis facientibus orbatus sum à filiis, mihi placuit, vt illum vna cum consensu patris sui, in ciuitate illa, cum curia publica, de potestate patris naturalis discedentem & in meam potestatem venientem in loco filiorum adoptarem: quod ita & feci. Ea vero ratione, vt quandiu aduixero fideliter mihi præstet solatium, vel adiutorium, & omnes res meas diligenter excolat; & post obitum quoque meum, sicut à me genitus fuisset, ita in omni hereditate mea per hanc epistolam adoptionis sit successurus; vel quicquid de supradictis rebus meis, quantumcumq; moriens dereliquero, facere voluerit, iure

proprietario, absq; repetitione heredum meorum, liberam & firmissimam in omnibus habeat potestatem. Et illud mihi inferere placuit, vt si fuerit vllus ex heredibus meis, vel quælibet persona, quæ contra hanc epistolam adoptionis, aliquid contra te, aut contra eum, cui tu ipsas res dereliqueris, calũniator, aut repetitor accesserit, illud quod repetit non vindicet, & insuper contra cui litem intulerit sol. tantos componat; & hæc adoptio gestis alligata, firma permaneat.

XXIV. *EPISTOLA QVALITER tutores publicè recipiantur.*

LEx Romana constringit, vt qui tutores noluerint esse paruulorum, si forte cesserit luctuosa hereditas, ab ipsa habeantur extranei. Propterea ego in Dei nomine ille, Iudex prouinciæ illius; Dum &

omnibus habetur percognitum, qualiter parentes istius præsentis orfanuli, nomine illo, ab hac luce discesserunt, & testamentarium tutorem ei non dimiserunt, & minimè suas procurare potest necessitates; ideo vna cum consensu primatum ciuitatis, conuenit nobis, vt istius patruo, vna cum omnibus bonis suis, facto conscripto rerum inuentarum, ei sub officium tutoris commendare deberemus: quod ita & fecimus. Ea vero ratione, vt per nullam occasionem supradicti pupilli hereditas, quicquid in pago illo, in villis nuncupantibus illis videtur habere, non minuatur: sed ipsas res, vel mancipia, atque omnem suam substantiam diligenter excolat, & ipsum pupillum exinde nutrire, vel ministrare faciat. Et si Deo propitio in perfectam venerit ætatem, omnia ei secúdum legis ordinem cum

integritate seruata reddantur. Vnde conuenit nobis, vt duas epistolas vno tenore cóscriptas, exinde conscribere, vel adfirmare deberemus: quod ita & fecimus. Vnam quidem iam dictus patruus suus secum retineat, alteram vero aliquis homo, nomine ille, de manu nostra, vel iam dicti pupilli, suscipiat, vt futuris temporibus, Deo auxiliante, sub testificatione bonorum virorum, qui subter tenentur inserti, per ipsam cum omni integritate omnia sua exigere debeat.

XXV. *PACTVM INTER parentes.*

CHaritatis studium & dilectionis affectus inter propinquos decet, vt quicquid de rebus eorum inter se diuiserint, scripturarum serie alligetur, secundum Romanam legem ordinátem, vt quicum-

que in ætate perfecta pactionem, vel definitionem per scripturam fecerit, & hoc quod fecit implere neglexerit, aut contra eam ire præsumpserit, infamis vocetur, & ipsam causam agere non permittatur, atque pœnam statutam cogatur exsoluere. Igitur placuit atque conuenit inter illum, & germanum suum illum, vt hereditatem paternam atque maternam inter se diuidere, vel exæquare deberent, quod ita & fecerunt. Accepit itaque ille in portione sua villas nuncupantes illas, sitas in pago illo, cum terris, ædificiis, accolabus, mancipiis, *vel cætera quæ sequuntur*. Similiter contrà, accepit ille, in compensatione portionis suæ, villas nuncupantes illas, sitas in pago illo, cum terris, ædificiis, accolabus, mancipiis, *vel cætera quæ sequuntur*. Hæc quidem omnia vnanimiter consentientes, pars parti tradi-

tradidisse, vel consignasse cognoscite, ita vt quicquid post hūc diem vnusquisque de hoc quod accepit facere voluerit, absque nostris repetitionibus liberam & firmissimam in omnibus habeat potestatem. Et si aliquando aliquis ex nobis, aut heredibus nostris contra has epistolas aliquid agere, vel refragare præsumpserit, eius repetitio nullum obtineat effectum, & insuper contra cui litem intulerit sol. tantos componat, & præsens pactio vel definitio, cum stipulatione subnixa firma permaneat.

XXVI. COMMVTATIO.

INter quos charitas inlibata permanserit, à parte parti beneficia oportuna præstantur. Ideoque placuit atq; conuenit, inter inlustrem virum illum, & illum, vt loca aliqua inter se commutare deberēt, quod

ita & fecerunt. Dedit igitur vir inlu-
ſter ille, partibus illius, locellum nú-
cupantem illum, ſitum in pago illo,
cum terris, domibus, ædificiis, acco-
labus, mancipiis, libertinis, vineis,
ſyluis, pratis, paſcuis, aquis, aqua-
rumue decurſibus, mobilibus &
immobilibus, cum omnibus appé-
ditiis ſuiſque adiacentiis, vel omni
ſuprapoſito, totum & ad integrum,
de iure meo, ſicut præſenti tempore
à me videtur eſſe poſſeſſum, in tuam
trado poteſtatem, vel dominatio-
nem. Similiter in compenſationem
huius meriti, dedit iam dictus ille,
partibus illius, alium locellum nun-
cupantem illum, ſitum in pago illo,
vel cætera quæ ſequuntur: ita vt ab hac
die, vnus quis de hoc quod accepit
facere voluerit, iure proprietario, li-
beram & firmiſſimam in omnibus
habeat poteſtatem. Et illud inter
nos inſerere placuit, vt ſi vllus ex

nobis, heredibus succeſſoribuſque noſtris fuerit, qui hoc immutare, vel refragare tentauerit, rem quam accepit amittat, & inſuper contra cui litem intulerit ſol. tantos componat, & ſua repetitio nullum obtineat effectum. Et hæ commutationes vno tenore conſcriptæ omniq; tempore maneant inconuulſæ.

XXVII. *CONFIRMATIO REgis, vel inſpecta iſta, cuiuſcumque principis, in eo qui ab hoſtibus eſt deprædatus, vel ab igne concrematus.*

MErito largitate Regis, & munere ſubleuantur, qui ab hoſtibus vel incendio paſſi ſunt damna, vel violentiam. Igitur fidelis noſter ille, clementiæ regni noſtri ſuggeſſit, eo quod ante hos annos exercitus noſter, aut illius Regis, vel per negligentiam alicuius hominis in

loco nuncupante illo, domus suæ, vel res quamplures vna cum instrumentis chartarum, tam quod Regio munere perceperat, quàm & de diuersis partibus per venditiones, donationes, cessiones, commutationes, adtraxerat, vel quicquid in pago illo, vel locis nuncupantibus illis possederat, incendio fuisset crematum: vnde relationem sub testificatione bonorum hominũ cognouimus recensendam, omnes res suas, vel instrumenta chartarum, periisse, vel sibi sicut nobis suggessit, damna sustinuisse. Præcipientes ergo iubemus, vt quicquid memoratus ille, sicut vsque nunc tam de terris, domibus, accolabus, mancipiis, libertinis, vineis, pratis, syluis, aquis, aquarumue decursibus, vel reliquis quibuscumque beneficiis, vsque ad præsens cum æquitatis ordine quietus possedit, ita & deinceps in iure

& dominatione eius permaneat. Et per hoc præceptum, plenius in Dei nomine circa eum suffultum, atque confirmatum, absque vllius inquietudine, teneat & possideat, suisque posteris, aut cuicumque voluerit ad possidendum derelinquat. Quam vero auctoritatem propria manu subter roborare decreuimus.

XXVIII. *ITEM APENNIS.*

COnsuetudine huius loci, vel etiam legis terrenæ iustitiæ, constat esse prospectum, vt quicumque ab incendiis, vel hostibus, seu à latronibus fuerit perpessus dispendium, oportet hoc casu in foro publico vel ciuitate, cum curia publica & defensore, vel reliquis ciuibus publicare. Idcirco non habetur percognitum, qualiter homo nomine ille, per timorem illius qui Turonus ciuitatem anno præsente

hostiliter venit, & multa mala ibidem perpetrauit, instrumenta sua de locis denominatis illis, vel de diuersis facultatibus suis, subtus terram in villa illa misit, & ibidem cóputruerunt & perierunt. Propterea ei necesse fuit, vt vna cum notitia pagensium, qui hoc cognitum bene habebant, Turonus ciuitate apennem exinde deberent adfirmare; vt quantumcumque per ipsa instrumenta, tam in terris, quam in mancipiis, seu & reliquis rebus, sicut vsque nunc quieto ordine tenuit & possedit, ita & admodum liceat inantea ipsas res quietè tenere & possidere, & cui voluerit, Christo auxiliante, derelinquere. Vnde cóuenit, vt duæ epistolæ, vno tenore conscriptæ, exinde fieri vel adfirmari deberent, vt vna in foro publico in ipsa ciuitate sit adfixa, aliam vero ipse secum pro cautela & tempo-

ribus futuris apud se retineat, vt si ei inantea necesse fuerit, in præsentia Regis, aut principis loci sit proferenda.

XXIX. *EDITIO LEGIBVS comprehensa.*

LEx Romana pro vtilitate humani generis exposcit, vt si quando cuiuscumque iniusta appellatio cóprobatur, sumptus quos post appellationem aduersarium suum accusator compulit sustinere, non in simplum ei, sed in quadruplum ab accusatore cogatur restitui. Igitur ego in Dei nomine ille, dum non est incognitum, qualiter apud te homo ille, nomine illo, in rationes publicas, ante illustrem virum illum, vel reliquos viros, qui subter tenentur inserti, Turonus ciuitatem adsteti, de aliquibus locellis, nuncupantibus illis, sitis in pa-

go illo, qui mihi per legitimam succeſſionem ſunt debiti, & tu præſenti ordine, malo ordine eos poſſidere videris. Vnde apud me in reſpóſum introire noluiſti, niſi, ſicut lex edocet, tibi inſcriptionem de ſumptibus & expenſis confirmaſſem. Ideo placuit mihi, vt hanc editionem in te adfirmare deberé, quod ita & feci: vt ſi apud me de ipſis rebus in rationes, vel in iudicium introieris, & ipſa cauſa inter nos legibus definita fuerit, & mea iniuſta fuerit accuſatio comprobata, de eadem cauſatione, omnique tempore quietus reſideas, & ſumptus, vel expenſas ſuperius nominatas, quas pro neceſſitatibus tuis me compellente viſus es expendiſſe, ſecundum legis ordinem, tranſacto litis tempore partibus tuis cogar reſtitui. Et pro rei totius firmitate hanc editionem manu propria ſubterfirmaui,

& bonorum virorum roborandam decreui. *Et si de homicidio accusatio processerit, secundum hanc sententiam inscriptio celebretur.* Quicumque alium de homicidij crimine periculosa, vel capitali obiectione pulsauerit, non prius à iudicibus audiatur, quàm se similem pœnam quam reo intendit cóscripserit subiturum. Et si seruum alienum accusandum esse crediderit, se simili inscriptione constringat in futurum, vt supplicia innocentium seruorum, aut pœna capitis sui, aut facultatum amissione compenset.

XXX. *RELATIO CVM iudicio.*

AVctoritate legis præceptum est, vt in toto litis termino requiratur, per quem orta est contentio. Et si quis ad rapinam faciédam adgreditur, aut iter agentem insi-

diauerit, aut domum alterius nocturnus spoliauerit, mors animæ ipsius ne requiratur. Igitur ego in Dei nomine, ille Iudex, veniens in loco nuncupante illo, sub die illo, vna cum bonis hominibus, ad locum accessionis, vbi aliquis homo nomine ille quondam interfectus iacebat, requirens pro qua re ibidem interfectus fuisset: sed venientes homines ibidem commanentes, qui in initio litis ibidem fuerunt, vel qui ad ipsos vccos cucurrerunt, quãdo iamdictus homo ibidem interfectus fuit, taliter testimonium præbuerunt, Vt dum aliquis homo, nomine ille, solenniter ambulabat, sic iam dictus ille quondam, ipsum adsalliuit, vel ei insidiauit, & res suas ei contradixit, atque violenter super ipsum euaginato gladio venit: vnde liuores vel capulaturæ, atque colaphi manifesti apparent. Ideò

etenim, dum sic veritas comprobatur, iam dictus ille, adprehensam manum vel arma prædicti iudicis, sicut mos est, apud homines XII. manu sua tertia decima, distractus vel coniuratus dixit, quod dum ipse solenniter ambulabat, iam dictus ille quondam, eum malo ordine adsalliuit, & euaginato gladio super eum venit, & super ipsum liuores vel capulationes misit, & res suas illas ei diripere voluit, & postquam istos præsentes liuores recepit necessitate compulsus, ipsum plagauit, per quem mortuus iacet: & in sua orta contentione, vel in sua mouita, atque per suas culpas ibidem interfectus fuit; Et sic est veritas, absque vlla fraude, vel conludio, & in sua culpa secundum legem ipsum forbatudum fecit. Proinde opportunum fuit ipsi illi, vt hanc notitiam ad instar relationis, exinde

accipere deberet: quod ita & fecit. Sed postea taliter in iam dicto loco ipsi illi iudicatum fuit, vt in noctes XL. apud homines XXXVI. manu sua trigesima septima, in Ecclesia illa, in loco nuncupante illo, coniurare debeat apud homines visores & cognitores; eò quod ille quondam malo ordine super eum venisset, & res suas ei contendisset, vel primitus ipsum plagasset, vel liuorasset, & ipsum in via adsalliisset, vel insidiasset, & in sua mouita vel in sua culpa ibidem interfectus fuisset. Et si hoc facere poterit de ipsa morte quietus valeat residere.

XXXI. *BREVE SACRAMENTI.*

BReue sacramenti, qualiter ingressus est ille in loco nuncupante illo, in Ecclesia illa, sub præsentia illius iudicis, vel bonorum vi-

rorum, qui subter tenentur inserti, ad placitum suum custodiendum. Vnde retroactis diebus quadraginta, relationem de morte illius, per iudicium bonorum virorum accepit, iuratus dixit: per hunc locum sanctum & Dei reuerentiam, dum ego solenniter inibi ambulabam, iam dictus ille quondam in loco nuncupante illo, me malo ordine adsalliuit, vel liuorauit, & colaphos super me posuit, & ad rapinam, vel ad insidiam super me faciendam adstetit, & res meas mihi malo ordine diripere, vel tollere tentauit. Et ego in sua orta contentione, vel in sua mouita atque per suam culpam in ipso loco ipsum interfeci, per reuerentiam istius sancti & Dei altissimi; Similiter testes sibi similes visores & cognitores, secundū quod ei iudicatum fuit, post ipsum iurauerunt, vt quicquid iam dictus ille

de hac causa iurauit, verum & idoneum sacramentum dedit. Ij sunt qui hoc sacramentum exceperunt, manibusque eorum subterfirmauerunt.

XXXII. *SI QVANDO MAsculus & femina pariter raptum consenserint, infra quinquennium litigetur.*

NOtitia, sub quorum præsentia, vbi veniés ille ante illum, vel eos qui subter tenentur inserti, ibique accusabat aliquem hominé nomine illũ, eo quod aliquam fœminam nomine illam, iam anno expleto sine diffinitione parentum, vel sine eius clamore, aut vociferatione eam volentem rapuisset, atq; in coniugio sibi malo ordine contra legem & iustitiam sociasset: qui iam dictus ille, & præfata illa hoc denegare non potuerunt: sed in

omnibus taliter fuerunt profeſſi, quod ambo pariter conſentientes, ſic apud eoſdem actum vel perpetratum fuerat. Tunc ipſi viri qui ibidem aderant, tale dederunt iudicium, vt ſecundum legem Romanam, pro hac culpa ambo pariter vitæ periculum incurriſſent, vel ſententiam mortis ob hoc ſcelus excepiſſent. Sed interuenientibus bonis hominibus, taliter eis conuenit, vt iam dicti homines pro redemptione vitæ eorum, vadios ſuos iam dicto illi vnuſquiſque pro ſolidis tãtis dare deberent, quod ita & fecerũt, & ad hoc placitum inſtitutum, quod eueniet tunc temporis hoc debeant deſoluere. Vnde & fideiuſſorem pro ipſis ſolidis, aliquem hominem illum obligauerunt. Propterea neceſſe fuit ipſis, vt hãc notitiã exinde accipere deberent: quod ita & fecerunt, vt ſi neceſſitas eue-

nerit omnibus sit manifestũ, qualiter supradicti homines infra quinquennium ab hoc scelere conuicti, vel comprobati apparuerunt.

XXXIII. *IVDICIVM EVINdicatum.*

ILle Rex vir inluster, illi Comiti. Veniens ille in nostra, vel procerum nostrorum præsentia, suggessit, eo quod aliquis homo nomine ille pagensis vester, eum in via malo ordine adsalliisset, & res suas ei tulisset, vel grauiter ipsum liuorasset: & ob hoc vobis per nostram ordinationem iussimus vt datis fideiussoribus KL. illis ex hoc in nostra præsentia debuissent adstare rationantes: sed memoratus quidem ille per triduum suum custodiuit placitum, & iam dictum illum secundum legẽ adiectiuit, vel solsatiuit, qui nec ecsonia nuntiauit, nec suum placitum

tum adimpleuit. Propterea omnino tibi iubemus dum tales vobis datos habuit fideiussores, & placitum suum nullatenus custodiuit, vt quicquid lex loci vestri de tali causa edocet, vobis distringentibus, memoratus ille partibus illius componere,& satisfacere non recuset.

XXXIV. *EPISTOLA ABATIS vel rectoris Ecclesiæ.*

IN Dei nomine ille quamquam peccator Aba, dilecto amico nostro illi. Dum & omnibus habetur percognitum, qualiter tu rem proprietatis tuæ illam accepta pecunia de thesauro ipsius sancti per véditionis titulum distraxisti. Vnde & precariam nobis ex hoc emisisti, & censisti te dare, in luminaribus ad festiuitatem ipsius Sancti, hoc est tantum. Ideo vna cum consensu fratrum nostrorum, hác epistolam

tibi emittendam decreuimus: Vt ipsum locum cum omni integritate, vna cum Dei gratia, & nostra voluntate, absque præiudicio sancti illius, diebus vitæ tuæ vsualiter tibi liceat tenere. Et post tuum quoque discessum ipse locus cum omni integritate, vel re meliorata, vel suprapositio, partibus nostris, vel ipsius Basilicæ reuertatur: quam epistolam manu propria subterfirmauimus.

XXXV. *DONATIO AD ECclesiam post obitum.*

LVcrum maximum credimus animarum, si dum vnusquisq; corporeis motibus terram inhabitat, pro amore cogitet domus æternæ, vel amore temporalium rerum sperandarum sibi cumulet munimina diuitiarũ, aut certè si id quod remanendo perire poterat in sæcu-

lo, in alimoniis pauperum, vel locis sanctorum distribuatur Dei. Quamobrem ego in Dei nomine ille, pertractaui tam de Dei parte, quàm & reuerentia sancti illius, ciuitatis illius, vbi ipse pretiosus domnus in corpore requiescit, seu pro animæ meæ remedio ad sacrosanctam Basilicam Sancti domni illius, eiusque congregationem, vbi ille Aba, vel rector præesse videtur, dono donatumque in perpetuum esse volo, hoc est villam rem proprietatis meæ, nuncupantem illam, sitam in pago illo, super fluuium illum, in condita illa, cum omnibus adiacentiis, vel appenditiis suis quãtumcumque ad ipsam villam aspicere, vel pertinere videtur, vel quãtumcumque inibi præsenti tempore mea videtur esse possessio, totum & ad integrum per hanc donationem tibi trado, atque transfundo,

eo videlicet modo, vt dum ego in caput aduiuo, ipsam villam cum omni integritate vsualiter, sub prætextu ipsius Basilicæ tenere & vsurpare faciam. Post meum quoque discessum, ipsam villam cum omni integritate, vel suprapositio, hoc est cum terris, domibus, ædificiis, accolabus, mancipiis, vineis, syluis, pratis, pascuis, aquis, aquarumue decursibus, mobilibus & immobilibus, pecuniis, peculiis vtriusque sexus, præsidiis, vel omni supellectile, vel quod ibidem inantea addere, adtrahere, comparare, aut emeliorare potuero, & transitus meus ibidem dereliquerit, pars ipsius Basilicæ, & eius rectores, absque vllius expectata traditione, vel iudicum cósignatione, in eorum vel ipsius Basilicæ faciant reuocare potestatem vel dominationem, & ad ipsam sanctam Basilicam proficiat in augmentum,

quia malo hoc post meum discessum ipsam Basilicam habere, quàm cæteros heredes meos. Si quis vero.

XXXVI. *CESSIO A DIE præsente.*

DVm fragilitas seu casus humani generis pertimescit vltimum vitæ terminum, subita transpositione ventura, oportet vt non inueniat vnumquemque imparatum, nec sine aliquo boni operis fructu migrantem de sæculo: sed dum in suo iure & potestate quisq; consistit præparet sibi viam salutis, per quam ad æternam beatitudinem valeat peruenire. Idcirco ego in Dei nomine ille, pertractans tam de Dei parte, quam & reuerentia Sancti illius, seu animæ meæ remedio, cedo ad sacrosanctam Ecclesiam Sancti illius, quæ est constru-

cta infra vrbem illam, in honore ſancti illius, vbi ille Aba & Rector præeſſe videtur, non occultè, ſed publicè, non priuatim, ſed palàm, ceſſumque in perpetuum eſſe volo iure legitimo, & de iure meo in ius, & dominationem ipſius Eccleſiæ trado atque transfundo. Hoc eſt locum rem proprietatis meæ illum, ſitum in pago illo, in cõdita illa, cum omni integritate, vel adiacentiis ſuis, hoc eſt cum terris, manſis, caſis, vineis, ſyluis, campis, pratis, paſcuis, aquis, aquarumue decurſibus, farinariis, mobilibus & immobilibus, pecuniis, peculiis vtriuſque ſexus, præſidiis, vel omni ſupellectile, quantumcumque ibidem præſenti tempore mea videtur eſſe poſſeſſio, totum & ad integrum rem quæſitam & inquiſitam, per hanc ceſſionem à die præſente ad ipſam ſanctam caſam delego & confirmo. Ita

vt ab hodierna die quicquid exinde pars ipsius Ecclesiæ, eiusque Rectores de ipsa re facere voluerint, liberam & firmissimam in omnibus habeant potestatem faciendi, quia ipsam sanctam Ecclesiam plus id habere volo, quam me vel cæteros heredes meos. In cessionibus verò licet pœna non inferatur, mihi tamen pro rei totius firmitate placuit inferendum, vt si ego aut vllus de heredibus meis, *& reliqua.*

XXXVII. *VENDITIO AD Ecclesiam.*

DOmino venerabili & in Christo patri illi, Abati de Basilica sancti illius, in ciuitate illa, vbi ipse pretiosus dominus in corpore requiescit, vel omni congregationi ibidem consistenti; Ego enim in Dei nomine ille. Constat me vobis, vel partibus ipsius basilicæ vendi-

disse, & ita vendidi, hoc est locum rem proprietatis meæ, situm in pago illo, super fluuium illum, in condita illa, in villa illa, cum omni integritate vel adiacentiis, quicquid ad ipsum locum aspicere vel pertinere videtur, vel quantumcumque præsenti tempore mea videtur esse possessio, hoc est tam terris, mansis, casis, domibus, ædificiis, accolabus, mancipiis, vineis, syluis, pratis, pascuis, aquis, aquarumue decursibus, libertinis, ministerialibus, mobilibus & immobilibus, pecuniis, peculiis vtriusque sexus, vel omni supellectili totum & ad integrũ, rem quæsitam & inquisitam, quicquid dici aut nominari potest, vel quicquid ibidem præsenti tempore mea videtur esse possessio, per hanc venditionem à die præsente trado atq; transfundo. Vnde accepi à vobis pretium pro iam dicto loco, de the-

sauro ipsius sancti, in quod mihi complacuit, vel amplificatum fuit, hoc est tantum, quod pretium in manus meas accepi: & ipsum locũ cum omni integritate, sicut dixi, per hanc venditionem vobis, vel ad ipsam sanctam casam, tradidi perpetualiter ad possidendum, ita vt ab hodierna die, quicquid exinde vos, aut successores vestri, vel pars ipsius Basilicæ facere volueritis, liberam & firmissimam in omnibus habeatis potestatem faciẽdi. Si quis vero.

XXXVIII. *EPISTOLA ABbatis vel Rectoris ipsius Ecclesiæ.*

IN Dei nomine ille Aba, in Christo nobis dilecto illi. Ad tuam petitionem nostra decreuit voluntas, vt tibi res nostras, vel sancti illius in pago illo beneficiare vsufructuario ordine deberemus: quod ita & fecimus. Et tu pro huius meri-

to beneficij obligasti nobis res tuas tam de alode quàm & de comparato, seu de quolibet, sic denominatas, in pago illo, in condita illa, quas præsenti tempore tenere & possidere videris : hoc est cum terris, vel omnia & in omnibus. Ea vero ratione vt tibi ex ipsis rebus quas nobis obligasti, & illis quas tibi vsufructuario ordine beneficiauimus, non liceat aliubi, nec vendere, nec donare, nec alienare, nec in nullo modo distrahere, nec in naufragium ponere, sed sub nostro, vel sancti illius prætextu tibi liceat tenere & possidere. Et post tuũ quoq; discessum absque diminutione rerum vel mancipiorum, cum omni re emeliorata, vel supraposito quicquid in iam dictis rebus inuentum repertumque fuerit, in nostram vel ipsius sancti absque vllius expectata traditione, vel iudicum consi-

gnatione faciamus reuocare potestatem vel dominationem. Vnde censisti te nobis annis singulis, ad festiuitatem sancti illius, in luminaribus ipsius sancti, vel pro mercedis tuæ augmento, argentum solidos tantos. Et si de ipso censo negligens apparueris, fidem exinde facias, & ipsas res perdere non debeas. Quam epistolam manu propria subterfirmauimus.

XXXIX. *SECVRITAS DE homicidio.*

FRatri illi, Ego enim ille. Dum & omnibus habetur percognitum, qualiter tu ante hos dies instigãte aduersario germanum meum vel quẽlibet parentem interfecisti. Vnde & postea ex hoc comprobatus apparuisti, & ante me apud illum iudicem, exinde in rationes fuisti, & pro integra compositione pro

iam dicto parente meo, pro ipsa morte, sicut mihi bene complacuit, argentum solidos tantos dedisti: Ideo hanc epistolam securitatis tibi ex hoc emittendam decreui, vt neque à me, neque ab heredibus meis, neque à qualibet opposita vel emissa persona, nullam calumniam neque repetitionem de iam dicto homicidio habere non pertimescas, neque tu, neque vllus de parte tua qui tecum commorantur, sed ducti atque securi in omnibus, exinde valeatis residere. Si quis vero, si fuerit aut ego ipse, aut vllus de heredibus meis, seu quælibet persona, quæ cõtra hãc securitatem venire, aut agere vel refragare tentauerit, & à me vel ab heredibus meis defensatum non fuerit, sociante fisco qui litem intulerit sol. tantos componat, & sua repetitio nullum obtineat effectum, sed sit inter nos vel ab here-

dibus noſtris ex hac re omniq; tempore calcanda cauſatio; Et hæc ſecuritas meis, vel bonorum hominum manibus roborata, cum ſtipulatione inſerta, diuturno tempore maneat inconuulſa.

XL. *IVDICIVM IVXTA quod cauſa continet.*

VEniens ille, die illo, menſe illo, dies tantos, in loco nuncupante illo, ante venerabilem virum illum, ſuoſque auditores, vel reliquos viros, qui ibidem aderant, vel ſubterfirmauerunt, ibique interpellabat aliquem hominem nomine illum, dum diceret eó quod hereditatem ſuam in loco nuncupante illo, quæ ei erat debita, poſt ſe retineret, vel ei malo ordine contradiceret iniuſtè. Interrogatus ille ante ipſos viros, taliter dedit in reſponſis, quod ipſam hereditatem, quã ipſe

cōntra eum repetebat, genitor ſuus vel quilibet parens, ipſam ei moriens dereliquerat, & de annis xxx. inter ipſum & parentes ſuos, qui ipſam ei dereliquerant ipſam tenuiſſet, & ſecundum legem ei ſit debita. Dum ſic intenderent ſic ipſi viri memorato homini decreuerunt iudicium, vt in noctes tantas, quod euenit die illo, apud homines tantos, ſua manu tanta in Baſilica ſancti illius, in loco nuncupante illo, taliter debeat coniurare, quod ipſam hereditatem, quam ipſe homo contra ipſum repetebat, per annos xxx. inter ipſum & memoratos parentes ſuos, qui ipſam hereditatem morientes ei dereliquerant, ſemper ipſam tenuiſſent, & per ipſos annos xxx. ſecundum legem plus ſit ipſa hereditas ei habendi debita, quam ipſi homini reddendi: ſi hoc ad illud placitum coniurare potuerit, ip-

sam hereditatem, absque repetitione ipsius hominis, omni tempore habeat elitigatam, atque euindicatam: sin autem non potuerit, hoc legibus emendare studeat. His præsentibus actum fuit.

XLI. *BREVE SACRAMENTI secundum ipsum iudicium.*

BReue sacramentorum, qualiter ingressus est ille, die illo, in loco nuncupante illo, in Basilica sancti illius, iuxta quod iudicium suum loquitur, apud homines tantos sua manu tanta, positis manibus super sanctum altare iuratus dixit: Per hunc locum sanctum, & reuerentiam istius sancti, quia vnde me ille interpellauit, quasi hereditatem suam, quæ ei esset debita, in loco nuncupante illo, post me retinerem, vel ei malo ordine contradicerem iniustè, ipsam hereditatem pa-

rentes mei mihi morientes dereliquerunt, & inter me vel ipsos parentes meos de annis xxx. semper exinde vestiti fuimus, & secundum legem plus est mihi debita habendi quam ipsi homini reddenda, per Deum & reuerentiam istius sancti iuro. Similiter venientes testes sui, per singula iurati dixerunt, quicquid iste de hac causa iurauit, verum & idoneum sacramentum exinde iurauit. Hij sunt qui subterfirmauerunt.

XLII. *NOTITIA DE ALODE vindicato.*

NOtitia, qualiter vel in quorum præsentia, veniens ille, die illo, in loco nuncupante illo, ante illum iudicem, vel reliquos viros, qui ibidem aderant, vel subterfirmauerunt; Ibique interpellabat aliquem hominem, nomine illum, eo quod

quod alodem quæ fuerat genitoris sui nomine illius, in loco nuncupante illo, post se malo ordine retineret, vel ei contradiceret iniustè. Interrogatus ipse homo ab ipsis viris, si sic erat veritas, an non: sed ipse iudicium, vel breue sacramentorum, ibidem ante ipsos viros protulit ad relegendum, qualiter cum ipso homine, ante hos dies, exinde ante illum iudicem in rationes fuerat, & qualiter ipsam alodem contra ipsum hominem, vel contra germanos suos elitigatam, atque euindicatam legibus habebat. Relecto ipso iudicio, vel ipso breui sacramentorum, sic ipsi viri ipsum hominem interrogauerunt, si aliquid contra ipsum iudicium, vel contra ipsum breuem opponere volebat. Sed ipse taliter dixit, quod nihil habebat quod contra ipsum opponere deberet, & se in omnibus recognouit,

quod contra legem ipsum hominem calumniabat, & se exinde omni tempore taciturum esse spopondit. Propterea oportunum fuit ipsi, vt hanc notitiam ex hoc accipere deberet: quod ita & fecit, his præsentibus actum fuit.

XLIII. *VENDITIO DE AREA vel de casa infra ciuitatem.*

MAgnifico fratri illi, Ego enim ille. Constat me tibi vendidisse, & ita vendidi, hoc est casam meam cum ipsa area, vbi posita est, infra ciuitatem vel burgum illum, in ratione illius, in loco illo, quem ego data mea pecunia de aliquo homine nomine illo comparaui. Habet ipsa casa in atriamēto membra in gyro tanta, de lateribus vel frontibus casæ vel terræ illorum & illorum. Vnde accepi à te pretium in quod mihi bene complacuit, hoc

est tantum: quod pretium in manu mea accepi, & ipsam casam vel areã per hanc venditionem tibi tradidi à die præsente perpetualiter ad possidendum. Ita vt ab hodierna die quicquid exinde facere volueris liberam & firmissimam in omnibus habeas potestatem faciendi, saluo iure ipsius terræ.

XLIV. *QVI SE IN ALTERIVS potestate commendat.*

DOmino magnifico illi, Ego enim ille. Dum & omnibus habetur percognitum, qualiter ego minimè habeo, vnde me pascere vel vestire debeam, ideo petij pietati vestræ, & mihi decreuit voluntas, vt me tam de victu quàm de vestimento, iuxta quod vobis seruire & promereri potuero, adiuuare, vel consolare debeas. Et dum ego in caput aduixero, ingenuili ordine,

tibi seruitium vel obsequium impendere debeam, & me de vestra potestate, vel mundeburde, tempore vitæ meę potestatem nō habeam subtrahendi, nisi sub vestra potestate, vel defensione diebus vitæ meæ debeam permanere. Vnde conuenit, vt si vnus ex nobis de his conuenientiis, se emutare voluerit sol. tantos pari suo componat, & ipsa conuenientia firma permaneat. Vnde conuenit, vt duas epistolas vno tenore conscriptas ex hoc inter se facere vel adfirmare deberent, quod ita & fecerunt.

XLV. *EVACVATORIA.*

DOmino magnifico fratri illi, Ego enim ille: dum & omnibus non habetur incognitum, qualiter ante hos annos sol. nostros, numero tantum, ad beneficium accepisti, vt ipsos solidos tantos tu no-

bis reddere deberes. Quod ita & feciſti. Sed dum illam cautionẽ, quam nobis emiſeras, ad præſens non habeo, ideo hanc epiſtolam euacuatoriam fecimus, vt de ipſis ſolidis tantis omni tempore ductus & ſecurus reſedeas. Et ſi ipſa cautio apparuerit, vel à nobis vel ab heredibus noſtris vllo quoq; tempore oſtenſa fuerit, nullum ſortiatur effectum, ſed vacua & inanis permaneat.

XLVI. *DE CAVSIS COMmendatis.*

MAgnifico fratri illi, Ego enim ille. Rogo, ſupplico, atq; publiciter tuæ charitati iniũgo, vt omnes cauſas meas, tam in pago quam & in palatio, aut ante iudices, vel vbicumque mihi neceſſitas euenerit, ipſas cauſas meas ad meam vicem proſequi, & admallare facias, & de ipſa proſecutione me reddas

certiorem. Et quicquid exinde egeris, gesseris ue ratum & bene acceptum à me in omnibus esse cognoscas. Quod mandatum vt pleniorem obtineat firmitaté manu propria subterfirmaui, & bonos viros adfirmare rogaui.

FORMVLAE QVAEDAM VARIÆ ET INCERTI AVCTORIS.

Ex Vet. Cod.

INCIPIVNT CHARTAE Regales siue Parensales.

I. *INGENVITAS.*

OPORTET enim vnumquemq; hominem, dum in hac vita viuit, pro animæ suæ remedio cogitare. Idcirco ego in Dei nomine ille, recogitans pro Dei intuitu, vel pro animæ meæ redemptione, vt ab impiorum consortio erui mereamur, dimitto ergo à die præsente verna-

culum iuris mei nomine illum, ingenuum: in ea vero ratione, vt ingenuus permaneat, tanquam si de bene ingenuis parentibus fuisset natus vel procreatus. Peculiare vero si aliquid habet, aut inanteà laborare potuerit, in omnibus habeat concessum atque indultum, & mundeburdem, vel defensionem ad basilicam sancti illius se habere cognoscat, non ad affligendum, sed ad se defensandum, nisi vt diximus bene ingenuus de hoc die valeat residere. Si quis vero quod fieri non credo, si fuerit, aut ego ipse, aut vllus de heredibus, aut vlla emissa persona, quæ contra ingenuitatem istam venire, aut eam infrangere tentauerit, fisco discutiente, solidos xxx. multæ componat; & quod repetit per nullum ingenium euindicare valeat: præsens ingenuitas, & merces nostra, firma & stabilis perma-

neat, cum stipulatione subnixa. Actum in loco illo.

II. *VENDITIO DE SERVO.*

DOmino magnifico fratri illi emptori, Ego in Dei nomine ille venditor. Constat me, non imaginario iure, nec nullo cogentis imperio, sed proprio voluntatis meæ arbitrio, tibi vendere, quod ita & vendidi, à die præsente, vernaculum iuris mei, nomine illum, nó furem, non fugitiuum, nec cadiuum, nec vllum vitium in se habentem; sed in omni corpore scimus eum sanum vsque ad annum & diem. Et accepi à te in pretio pro hoc, iuxta quod mihi bene complacuit, vel conuenit, solidos tantos, tanto ita vt ab hac die memoratum vernaculum, superius denominatum, quem dato pretio de me legibus comparasti, habeas, teneas, atque possideas

& quicquid exinde facere volueris, liberè & firmissimè, in tua permaneat potestate ad faciẽdum. Si quis verò, quod fieri non credo, si fuerit, aut ego ipse, aut vllus de heredibus meis, qui cõtra venditionem istam venire aut eam infringere tentauerit, fisco discutiente solidos xxx. multæ componat, & quod repetit nihil euindicet, sed præsens, &c.

III. *VENDITIO DE terra.*

DOmino magnifico fratri illi emptori, Ego in Dei nominis ille venditor. Constat me non imaginario iure, nec vllo cogentis imperio, sed proprio voluntatis meæ arbitrio, tibi vendere, quod ita & vendidi, tibi à die præsenti bunnuaria tanta de terra arabili, in loco nuncupante illo, qui est in pago illo, quem de parte parentum

meorum, tam & de alode quàm & de comparato ad me legibus obuenit: hoc est de vno latere terræ illius subiungit, de alio latere illi, & de vno fronte terræ illius, de alio vero fronte per viam publicam. Et accepi à te, in pretio taxato, pro hoc iuxta quod mihi bene complacuit, vel conuentum fuit, solidos tantos, tanto ita vt ab hac die memoratam terram superius denominatam, quam de me legibus comparasti, ipsam hanc habeas, teneas, possideas, vel quicquid exinde facere volueris, libera in omnibus Christo propitio in tua permaneat potestate ad faciendum.

IV. *VENDITIO DE SERVO ad Ecclesiam.*

BReue in vicem venditionis. Qualiter vendidit homo aliquis, nomine ille, ad Ecclesiam aliquam, nomine illam, vernaculum suum, nomine illum, à die præsente, non furem, non fugitiuum, non cadiuum, nec vllum vitium in se habentem, sed in omni corpore scimus eum sanum vsque ad annum & diem, *& sicut superius factum est.*

V. *DONATIO AD SPONSAM.*

DVm Dominus ab initio concessit in veteri testamento, & prȩcepit vt relinquat homo patrem & matrem & adhæreat suæ vxori, vt sint duo in carne vna, & quod Dominus coniunxit homo non separet, Ego enim in Dei nomine ille, dulcissimæ coniugi meæ illi. Dum

& ego te per solidum & denarium secundum legem Salicam visus fui sponsare, ideo in ipsa amoris dulcedine, dabo ergo tibi à die præsente, quod in perpetuum volo esse mansurum, rem pro portione mea in loco nuncupante illo, qui est in pago illo, quæ de parte parentum meorum ad me legibus obuenit, hoc est in ipsa portione, mansis ad commanendum, cum casticiis suprapositis, terris arabilibus, & mancipiis, vel quicquid in ipsa portione est aspectum, tibi dico esse donatum, atque firmatum; vt quando die fœliciſſimo nuptiarum insimul nos Deus coniunxerit, ista omnia superius conscripta in tua permaneant dominatione ad possidendum. Si quis vero, &c.

VI. *NOTITIA DE MANcipio.*

CVm resedisset ille Vigarius inluſtris viri illius Comitis, in illo mallo publico, vna cum ipsis Scabinis, qui in ipso mallo resedebant, ad causas audiendas, vel recta iudicia terminanda, ibique veniens monachus sancti illius, vel ille Abas nomine illo, de illo monasterio, vna cum aduocato sancti illius, nomine illo, fœminam aliquam nomine illam interpellabat, repetebat ei dum diceret, eò quod colona esset sancti illius, de curte sua, quæ dicitur illa, de parte auiæ suæ, nomine illius quondam, & ipsa illa, & de ipso seruitio sancti illius negligens aderat, sed ipsa fœmina de præsenti adstare videbatur, & nullatenus habuit quod dicere, nec opponere, nec tradere rationes per quas de ipso seruí-

tio ſancti illius ſe abſtrahere potuiſſet: Sic ei in præſenti fuit iudicatū, vt ipſum ſeruitium ſancti illius, vnde negligens aderat, ipſi aduocato ſancti illius reuuadiare deberet, quod ita & fecit, & ſe ad ipſum ſeruitium ſancti illius, ibiſe in præſenti recredidit. Exinde opportunum fuit, ipſos monachos ſancti illius, vel ipſum aduocatum ſancti illius, nomine illum, talem notitiam ante ipſas perſonas, quæ in ipſo mallo reſidebant, manibuſque eorum roboratas accipere, quod ita & fecerunt, vt omni tempore ipſe aduocatus, vel caſa ſancta illa, vel ille Abas, vel ſucceſſores ſui, ipſam fœminam ſuperius nominatam, vel agnationé ſuam ad opus ſancti illius habeant euindicatam, atque elitigatam. Preſentib. his quorum preſentia actum fuit. Facta notitia in loco illo publiciter.

VII. *NOTITIA DE HOMICIDIO.*

DVm & per plures homines ponitur in notitia, qualiter veniens homo aliquis, nomine ille, in cõtubernio, hominem aliquem, nomine illum, ipsum ibidem adsalliſſet, & ipsum ibidem interfeciſſet, vel occidiſſet: sed venientes parẽtes & amici ipsius hominis interfecti ante inluſtrẽ virum illum Comitẽ, interpellabant ipsum hominẽ qui eorum parentem in contubernio adsalliſſet, vel interfeciſſet, sed ipse ille in præsenti adstare videbatur, & hanc causam nullatenus potuit denegare, sed taliter fuit profeſſus, quod inſtigante inimico, ipsum hominem interfeciſſet, vel occidiſſet. Tunc taliter ei iudicauerunt, vt ipsam leudem, vel ipsum homicidium ad ipsos parentes legib. transſoluere

soluere deberet: quod ita & fecit, sed postea in ipso placito ei fuit iudicatum, vt ipsi parentes talem epistolam securitatis, manu eorum vel bonorum hominum firmatam, ei fieri vel conscribere deberēt, quod ita & fecerunt, vt post hunc diem, nec ipsi illi, nec vllus in causa ipsorum, nec vlla opposita persona de præfata morte illius quondam, nec de ipso homicidio, nec de ipsa leude nullam reclamationem, nec nullum impedimentum pontificium non habeant ad faciendum. Qui hoc facere voluerit, ipsos solidos per manus reddat, & ob hoc solidos tantos vna cum fisco discutiente multæ componat, & qui repetit nihil euindicet.

VIII. *SECVRITAS DE homicidio.*

CVm resedisset inlustervir ille Comes in illo mallo publico, ad vniuersorum causas audiendas, vel recta iudicia terminanda, ibique veniens homo aliquis nomine ille repetebat ei, dum diceret eo quod ipse ille hominem suum nomine illum quondam bene ingenuum in via malo ordine ipsum adsalliisset,& ipsum ibidem interfecisset, vel occidisset, & rauba sua, caballos,aurum & argentum, & drapalia, exinde tulisset, vel deportasset, vel leudem contra legem ibi buriisset; sed ipse ille de præsenti adstare videbatur,& hanc causam nullatenus potuit denegare, sed taliter fuit professus,quod faciente inimico ipsum hominem occidisset, vel interfeciisset; sed taliter in ipso mal-

lo ei iudicauerunt, vt ipsum hominem, vel ipsam leudem legibus exinde transsoluere deberet, quod ita & fecit; sed postea apud ipsum grafionem, vel apud ipsos bonos homines qui in ipso mallo resedebant epistolam securitatis manu eorum firmatã accipere deberet, quod ita & fecit: vt post hanc diem, nec ipsi illi, nec vllus de heredibus suis, nec vllus in causa ipsorum, & hominis interfecti quondam, nec vlla opposita persona de præsenti die de ipsa morte illius, nec de ipso homicidio, nec de ipsa leude contra ipsum illum nullam reclamationem, nec nullum impedimentum pontificiũ non habeat ad faciendum: & qui hoc facere præsumpserit, duplum tantum, quantum ipsa leodis continet, & partibus cui hæc facta est, vna cum socio fisco coactus multæ componat, & quod repetit vindicare non valeat.

IX. *DONATIO QVAM PATER facit filio suo.*

DVlcissimo atque amantissimo filio meo illi, Ego in Dei nomine ille genitor tuus. Dum & ego te dulciter enutriui, & tu mihi fideliter deseruisti, vel tuum seruitium, vel beneuolentiam, circa partem nostram habemus cōpertam, ideo in ipso amore dulcedinis, vel tuo seruitio componente, dabo ergo tibi à die præsente quod in perpetuum volo esse mansurum, hoc est mansum ad commanendum, cū casticia superposita, terris arabilibus, & mancipiis, his nominibus illis & illis, vt per hanc epistolam donationis, vel deliberationis nostræ, manu mea vel bonorum firmatam, vt quamdiu aduiuis tam tu ipse quā hereditas tua, contra tuos germanos & germanas, quieto ordine vel

elitigato valeas possidere, vel dominare, propterea hanc epistolam traditionis, vel deliberationis nostræ manu mea firmatam exinde tibi fieri, vel conscribere rogaui, vt de præsenti die de ipso manso, vel quicquid ad ipsum mansum aspicit, & ipsa mancipia superius denominata hoc habeas, teneas atque possideas.

X. CONCVLCATVRIA QVAM Abas facit ad hominem suum.

EGo in Dei nomine, ac si peccator, venerabilis vir, ille Abas de monasterio sancto illo, quod est in pago illo constructum. Dum & omnibus non est incognitum, qualiter filius serui nostri nomine ille, quandam fœminam nostram nomine illam, bene ingenuam, filiam illius quondam, cótra voluntatem parentum ipsius fœminæ sociauit,

sibi ad coniugium: sed postea ipsis parentibus complacuit & nobis, vt talem epistolam conculcaturiã manu nostra vel à fratribus nostris firmatam, ipsi fœminæ fieri vel firmare rogaremus, vt de ipso seruitio, si agnatio inter ipsos apparuerit, in seruitio publico nunquam sint coinquinati, sed sub integra ingenuitate dies eorum debeant perseuerare. Et precor atque suplico ad successores nostros, vel ad Deum timẽtes homines, vt benefacta nostra iubeant conseruari, qualiter ipsi vellent, vt in postmodum eorum facta debeant esse stabilia; Et per malorum hominum infestationem, multam in ipsa epistola conculcaturia fieri vel conscribere rogauimus, vt si fuerit, quod Deus non permittat, extranea pars, quæ hæc facta nostra infrangere voluerit, imprimis iram Dei, & sancti illius incurrat, & ob

hoc sol. C. partibus ipsius cui hæc facta est multæ componat, & quod repetit vindicare non valeat.

XI. *DONATIO QVAM HOMO facit ad filium suum.*

EGo in Dei nomine ille. Constat me in amore Domini nostri Iesu Christi, vt veniam delictis meis consequi mereamur, donasse, & dono donatumque esse volo ad dulcissimum filium meum nomine illum, peciam de terra arabili, in loco qui dicitur ille, qui est in pago illo, per locos designatos vel circuitus: in ea ratione vt post hunc diem iam dictus filiolus meus, cui epistola donationis ista legibus facta fuit, ipsam terram habeat, teneat, atque possideat, vel quicquid exinde facere voluerit, liberam in omnibus Christo propitio, habeat potestatem. Et si quis, &c.

XII. *NOTITIA DE CRVCE euindicata.*

DVm & omnibus non est incognitum, qualiter veniens homo aliquis nomine ille ante Vigarium inluſtris viri illius Comitis nomine illo, aduerſus hominem aliquem nomine illum, repetebat ei dum diceret, eo quod terrá ſuam de ſuo manſo, vel de ſua poteſtate malo ordine propriſiſſet, ſed ipſe ille de præſenti adſtare videbatur, & hanc cauſam fortiter denegauit, quod ſuam terram de ſuo manſo malo ordine núquam propriſiſſet, nec poſt ſe nunquam retinuerit, ſed taliter ei fuit iudicatum, in ipſo placito, ante ipſum Vigarium, vel ante ipſos pagenſes, vt ad crucem ad iudicium Dei, pro ipſa terra in noctes XLII. in ipſo placito pro hoc deberent adſtare, quod ita & fecerunt,

sed venientes ad ipsum placitum, sicut eis fuit iudicatum, ante ipsum Vigarium, vel ante ipsos pagenses, ad ipsum iudicium, vel ad ipsam crucem visi fuerunt stetisse, sed ipse illum hominem qui ipsam terram propriſit ad ipsum iudicium, vel ad ipsam crucem, conuicuit: sed ipse in ipso placito, ad ipsam crucem visus cadisse, sed dum hæc causa sic fuit inuenta, quod ipse ille qui ad ipsum iudicium, vel ad ipsam crucem cadisset, solidos tantos ei transsoluere deberet, quod ita & fecit, & de ipsa terra ipsum illum legibus reuestire deberet, quod ita & fecit. Tunc taliter ei iudicauerunt, vt ipse ille de præsenti die ipsam terram tam contra ipsum illum, vel heredes suos, quam contra quemlibet hominé, omnique tempore habeat euindicatam atque elitigatam, vt tam ipse ille quam & posteritas sua post hāc

diem prædictam terram, quieto ordine valeat possidere vel dominare, & ducti & securi exinde valeant residere. Factum iudicium in loco illo publiciter.

XIII. *CAVTIO DE CLAuibus.*

DVm & per plures homines est patefactum, qualiter in Dei nomine ille, veniens in placito ante illos, vel quamplures bonos homines, aduersus hominem nomine illum, repetebat ei dum diceret, eò quod cellaria, vel camara, & granica, quicquid in eis habuit repositum, hoc est aurum, argentum, drapalia, arma, vinum, annonâ, vel vitalia sua, per suas claues commendasset, ad custodiendum vel ad saluandum, & ipsam rem in naufragium, vel in damnum posuit. Sed ipse ille de præsenti adstabat, & hác

causam nullatenus potuit denegare: sed taliter ei fuit professus, quod ipsam rem superius denominatam, per suum neglectum, & per suum facinus fuit perdita, vel naurata. Tunc taliter ei iudicauerunt, vt ipsam rem ei transsoluere vel emendare deberet, sed ipse ille nullatenus habuit, vnde ipsam rem transsoluere vel emendare deberet. Sed taliter ei fuit iudicatum, vt talem cautionem de capite suo, manu sua vel bonorum hominum firmata, ei fieri vel conscribere rogaret, quod ita & fecit. Vt dum ipsam rem non habui, nec pretium vnde transsoluere vel emendare debuissem, vt quamdiu aduiuam in seruitio publico, quod mihi iniungitis, vobis deseruire debeam, & si negligens aut tardus de ipso seruitio apparuero, qualemcumque disciplinam ad alios seruos tuos impendis, talem super

me potestatem habeas ad faciendum. Et si fuerit aut ego ipse, aut vllus de meis heredibus, qui contra hanc cautionem venire aut reclamare, &c.

XIV. *CONCAMIATVRA Inter duos Abates.*

PLacuit auxiliante Domino, atque conuenit, inter venerabilem virum illum, Abatem de monasterio illo, vel cõgregationem monasterij sui, necnon & magnificum virum illum, de commutatione locorum, quam inter se facere deberent, quod ita & fecerũt. Per quam accepit venerabilis vir ille Aba ad opus monasterij sui in loco nuncupante illo, qui est in pago illo, hoc est in ipso loco illo mansus ad commanendum, casticiis superpositis, terris arabilibus, vel quicquid in ipso loco ad præsens cernitur esse pos-

sessio, totum & ad integrum re inexquisita in commutatione, vel in concamio. Simili modo vir magnificus ille accepit ad opus suum aliá rem in loco nuncupante illo, qui est in pago illo, hoc est quod superius diximus totum,& ad integrum re inexquisita, in commutatione vel in concamio; Vnde duas epistolas pariculas, vno tenore conscriptas, manu eorum vel bonorum hominum firmatas,inter se fieri, & firmare rogauerunt, vt vnusquisq; post hunc diem quod à pari suo in commutatione, vel in concamio accepit, teneat atque possideat, vel quicquid.

XV. *CHARTA TRACTVRIA.*

DOmnis, sanctis, & Apostolicis ac venerabilibus in Christo patribus, Regibus, Comitibus, Episcopis,Abatibus, Sacerdotibus,

Clericis, vel omni populo Christiano; qui in Romanorum vel Longobardorum prouinciis, Deo seruiunt, tam in monasteriis, quam & in ciuitate, seu per pagos, vel per vicos, ego in Dei nomine ille Maior domus. Cognoscat magnitudo seu & sanctitas vestra, quod iste frater noster nomen ille, seruiens vester, petiit nobis vt ad basilicam S. Petri patris vestri, pro suis culpis, vel pro nostra stabilitate, valeat ambulare ad orationem. Propterea has litteras cum salutatione per ipsum ad vos direximus, vt in amore Dei, & S. Petri, ipsum ad hospitium recipiatis, ad benefaciendum, vel ad suam consolationem, tam ad ambulandum quam & ad intrandum, vt per vos saluus eat & saluus reuertatur, interim sicut vestra est consuetudo bona, vel consolationē, vel adiutorium ei impendere iubeatis,

lætumque diem iubeatis habere. Cuius poteſtas regnat in æternum, ipſe vos cuſtodiat in regno ſuo perpetuo, & ſalutamus vos omnes ſalutationes pleniſſimas.

XVI. *DONATIO QVAM HOMO donat ad ſuam parentem.*

DIlectiſſimæ atque amabili mihi in Domino conſobrinæ meæ nomine illo, ego in Dei nomine ille. Dum & pluribus eſt percognitum, eo quod tu partibus meis amabilia ſeruitia impendere nō deſinis, pro tua bonitate, & pro eo quod dictum eſt, faciamus bonum, ad omnes, maximè autem ad domeſticos fidei, vel ad propinquos noſtros. Igitur dono tibi à die præſente per hanc epiſtolam donationis, quæ in perpetuum ſit manſura, & de iure meo in tua dominatione trado atque firmabo, id eſt māſum

ad commanendum, in pago illo, in loco qui dicitur ille, & est ipse mansus per loca designata de latere vno, & de fronte terræ illius, & de alio latere & fronte terræ illius, tanto ita vt ab hac die memorata consobrina mea illa, quicquid de ipso manso facere voluerit, vt absq; vniuscuiusque repetitione, liberam in omnibus habeat potestatem ad faciendum.

XVII. *DONATIO AD casam Dei.*

PRudens consilium baiulat, qui pro animæ suæ remedio cogitat illi Dominum retribuere, & exinde habere cogitat, & de Dei misericordia non dubitat. Idcirco nos in Dei nomine ille, & coniux mea illa. Admonet nos diuina pietas, & Christi misericordia, vt aliquid de rebus nostris pro rediměda vltione nostro-

noſtrorum peccaminum, Domino offerre deberemus, vt in die iudicij miſericors Dominus, vel in aliquantulum de ſcelere noſtro nobis relaxare dignaretur, donamus compúcto corde & deuoto animo ad baſilicam illam, quæ eſt in honore ſancti illius conſtructa, in loco illo, hoc eſt rem noſtram, in loco nuncupante illo, hoc eſt in ipſa re manſis ad commanendum, caſticiis, ſuperpoſitis, terris, arabilibus, vt poſt hunc diem ipſi cuſtodes qui ad ipſum ſanctum locum deſeruiunt, ipſam rem ſuperius denominatã habeant, teneant atque poſſideant, vel quicquid exinde facere voluerint, liberam & firmiſſimam habeant poteſtatem ad faciendum. Et ſi quis.

XVIII. *PACTVM DIVISIONIS inter fratres.*

PActum diuiſionis inter fratres, qui ſunt ille & ille, heredes illius & illius quondam, qualiter ſe de alode eorum diuidere vel exæquare deberent, quod ita & fecerunt. Per quem accepit vir magnificus ille manſum illum, in loco nuncupante illo, qui eſt in pago illo, hoc eſt ipſe manſus circumcinctus cum arboribus & caſticiis, ſuperpoſitis, terris arabilibus, *& cætera*. Simili modo vir magnificus ille accepit ad opus ſuum, alium manſum, in loco nuncupante illo, qui eſt in pago illo, in Cetena illa, hoc eſt quod ſuperius diximus manſum circumcinctum cum arboribus & caſticia ſuperpoſita, terris, arabilibus, *& cætera*, vel quicquid pars contra parem ſuum per æqualentiam inter ſe

diuiserunt, absque vlla repetitione, vel reclamatione, hoc habeant, teneant, possideant, vel quicquid exinde facere voluerint, libera in omnibus Christo propitio in sua permaneat potestate ad faciendum. Et si quis vero.

XIX. *VENDITIO AD monasterium.*

VEnerabili in Christo patri illi, Abati de monasterio qui vocatur sancti illius, quod est in pago illo, super fluuium illum constructum, emptori, Ego in Dei nomine ille venditor. Constat me non imaginario iure, nec nullo cogentis imperio, sed proprio voluntatis meæ arbitrio, vobis vel ad monasterium vestrum vendere, quod ita & vendidi vobis à die præsente, rem pro portione mea, in loco nuncupante illo, quod est infra pagum illum,

quod de parte parentum meorum ad me legibus obuenit, hoc est tam manſis, caſis, caſticiis, mancipiis, ingenuis, his nominibus, vel quicquid ibidem præſens est mea dominatio, totum & ad integrum de iure meo in dominatione veſtra, per hanc venditionem tradidi vobis ad poſſidendum; & accepi à vobis in pretio taxato, iuxta quod nobis aptificatum vel conuentum fuit, ſolidos probos atque penſantes, numero tantos; tanto ita vt ab hac die memorata omnia, ſuperius nominata, quæ de me legibus comparaſtis, hoc habeatis, teneatis, poſſideatis, tam vos quàm & ſucceſſores veſtri liberùm & firmiſſimùm in veſtra permaneat poteſtate ad faciendum. Si quis vero.

XX. *PRECARIA.*

IN Christo venerabili patri, & domno illi Abati de monasterio sancti illius, quod est in pago illo super fluuium illum constructum, ego in Dei nomine ille precator. Accessi ad vos vt rẽ pro portione vestra, in loco nuncupante illo, qui est in pago illo, quam ego ille ante hos dies per venditionis titulum dato precio, sancto illi, seu vestro monasterio adfirmaui, hoc est in ipsa portione mansum ad commanendum, casticiis, superpositis, terris arabilibus, mancipiis, ingenuis, his nominibus, vineis, pratis, syluis, pascuis, vel quicquid ibidem aspicit vobis delegauimus, sed postea taliter vobis supplicauimus, vt ipsam portionem ad vsum beneficij ad excolendum quandiu aduiuo mihi præstare vel relaxare deberetis, quod ita

& feciſtis. Propter ea hanc precariam, manu mea vel bonorum hominum firmatam, vobis exinde emiſimus, vt annis ſingulis cenſum denariorum tot ad luminaria ſancti illius, & illa decima de omnibus fructibus, quicquid ſupra ipſam conlaborare potuerimus die illo, quod eueniet feſto ipſius ſancti illius pro hoc vobis dare, & adimplere faciam. Et ſi negligens aut tardus de ipſo cenſu ad illud placitum apparuero, fidem exinde vobis legibus faciam, & ipſam rem dum aduiuo per veſtrum beneficium tenere & vſufructuare faciam; in ea vero ratione, vt aliubi ipſas res nec vẽdere, nec donare, nec alienare, nec ad alias caſas Dei delegare, nec in naufragium ponere, nec ad propriũ facere, nec heredibus meis in alode derelinquere pontificium nó habeam ad faciendum, niſi poſt

meum discessum, vna cum re immeliorata vel superposita quicquid ibidem inuentum fuerit, absque vllius iudicis contradictione pars monasterij vestri ad vestrum faciat reuocare dominium. Si quis vero.

XXI. *COMMENDATIA.*

IN Christo filio Ecclesiæ illi, in Dei nomine ille Abas, de monasterio illo sancti illius, quod est in pago illo, vna cum consensu fratrum nostrorum. Dum & tua fuit petitio, & nostra decreuit voluntas, vt duas partes darem pro portione nostra in loco nuncupante illo, qui est in pago illo, quem tu ipse ante hos dies per venditionis titulũ dato pretio de thesauro sancti illius nobis vendidisti, sed postea taliter nobis supplicasti, vt ipsius portionis duas partes, in prædicto loco illo, ad vsum beneficij ad excolendum,

quamdiu aduiuis, tibi præstare deberemus: quod ita & fecimus. Propterea hanc commendatiam manu nostra firmatam tibi pro hoc dedimus, vt annis singulis, censum tantum, & illam decimā de omni fructu, quicquid supra ipsam terram conlaborare potueris, quod euenier festo sancti illius, pro hoc dare debeas. Et si negligens aut tardus ad id placitum de ipso censu fueris, fidem exinde pro hoc nobis facias, & ipsam rem ad viuentum tuum per nostrum beneficium teneas, in ea tamen ratione vt ipsam rem aliubi, nec vendere, nec donare, nec alienare, nec ad alias casas Dei delegare, nec ad proprium facere, nec heredibus tuis in alode derelinquere, nec in naufragium ponere, potestatem non habeas ad faciendum, nisi post tuum discessum, vna cum ipsa re immeliorata, vel superposita,

quicquid ibidem inuentum fuerit, sine vllius iudicis cõsignatione pars monasterij nostri elitigato ordine præsentialiter ipsam rem immelioratam in nostrum faciat reuocare dominium, & hæc commendatia firma sit. Facta commendatia in ipso monasterio sancti illius, publiciter in anno XII. regni.

XXII. *INDICVLVS QVEM præpositus transmittit ad Abatem.*

DOmino sancto & Apostolica sede colendo, in Christo venerabili domno & patri illi pontifici, vrbis illius, ciuitatis illius, Ego in Dei nomine ille, bene cupiens vester, in Domino vobis dirigimus salutem, & precamur sanctitatem vestram vt pro nobis orare dignemini. Denique cognoscatis quod iste homo vester, nomine illo, ad

nos confugium fecit, & dixit quod contra vos culpas habeat commissas. Propterea has litteras cum salutatione ad vos direximus, & precamur vobis, vt vitam & immancationem, & disciplinam corporalem ei concedere iubeatis, aliam pœnitentiam qualem ei volueritis iudicare in vestra est potestate. Qualiter ipse homo secum gaudeat, quod nostram suggestionem ad vos deportasset, & vnde nobis reconiungitis vobis remerire cupimus. Quid plura.

XXIII. *INDICVLVS QVEM præpositus transmittit ad Abatem.*

DIligendo ad nos domno, & in Christo patri nostro venerabili illi Abati, Ego ille seruiens atq; præpositus vester. In primis, illud precamur sanctitatem vestram, vt

in vestra sancta oratione pro me esse non dedignemini. Deniq; domne cognoscatis, de isto seruitio vbi nos transmisistis, per verbum inlustris viri illius Comitis, sui iuniores non exinde fecerunt quomodo eis fuit demandatum. Propterea has litteras ad vos direximus, vt de ipso certiores sitis, & inantea quomodo vobis est vtile sic compensetis, vt nostram rem non perdamus. Quid plura? salutamus vos vsque ad gaudium.

XXIV. *INDICVLVS QVEM Abas transmittit ad hominem pagensem.*

DVlcissimo nostro, & vt credimus amico sancti illius in Dei nomine illi, ille etsi peccator Aba: nos & nostri, seruientes vestri, in Domino vobis dirigimus salutes, & illud precamur Deum vt merea-

ris agere in ista vita quod Deo sit beneplacitum. Precamur vos de illis vestris homunciunculis, qui in vestro ministerio commanent, vel de nostris causis inuicem nostrum bonum certamen exinde mittatis, sicut nos de vestra charitate bene confidimus, vt sic exinde perportare faciatis, vsque nos insimul coniungimus. Quid plura?

XXV. *INDICVLVS QVEM Episcopus transmittit ad Abatem.*

SAnctorum meritis beatificato domno atque patri, Deiq; cultore, & vt confidimus vero amico nostro illi gratia Dei Abati: nos enim in Dei nomine ille quamuis peccator donum Dei Episcopus. Dues scit, vester in omnibus proprius amicus, imprimitus salutationem. *Desunt reliqua.*

XXVI. *CAVTIO DE INfracturis.*

COntigit, quod cellarium, vel ſpicarium veſtrum infregi, & exinde annonam, vel aliam raupam in ſolidos tantos furaui, dum & vos & aduocatus veſter, exinde ante illum Comitem interpellare feciſtis, & ego hanc cauſam nullatenus potui denegare. Sic ab ipſis Racimburgiis fuit iudicatum, vt per Vuadium meum, eam contra vos componere atque ſatisfacere debeam, hoc eſt ſolidos tantos vel *: ſed dum ipſos ſolidos minimè habui vnde tranſſoluere debeam ſic mihi aptificauit, vt brachium in collum poſui & per comam capitis mei coram præſentibus hominibus tradere feci, in ea ratione vt interim quod ipſos ſolidos veſtros reddere potuero, & ſeruitium veſtrum, & operam

qualemcumq; vos vel iuniores vestri iniunxeritis, facere & adimplere debeam, & si exinde negligens, vel iactiuus apparuero, spondeo me contra vos, vt talem disciplinam supra dorsum meum facere iubeatis, quam super reliquos seruos vestros.

Finis Formularum.

TITVLI SEV CAPITVla ſuperiorum Formularum.

I. *Ingenuitas.*
II. *Venditio de ſeruo.*
III. *Venditio de terra.*
IV. *Venditio de ſeruo ad Eccleſiam.*
V. *Donatio ad ſponſam.*
VI. *Notitia de mancipio.*
VII. *Notitia de homicidio.*
VIII. *Securitas de homicidio.*
IX. *Donatio quam pater donat filio ſuo.*
X. *Conculcatoria.*
XI. *Donatio quam homo donat ad filium ſuum.*
XII. *Notitia de cruce euindicata.*
XIII. *Cautio de clauibus.*
XIV. *Concamiatura inter duos Abates.*
XV. *Charta tracturia.*
XVI. *Donatio quam homo donat ad ſuam parentem.*
XVII. *Donatio ad caſam Dei.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

XVIII. *Pactum diuisionis inter fratres.*
XIX. *Venditio ad monasterium.*
XX. *Precaria.*
XXI. *Commendatia.*
XXII. *Indiculus precatorius ad Episcopum.*
XXIII. *Indiculus quem præpositus transmittit ad Abatem.*
XXIV. *Indiculus quem Aba, transmittit ad hominem pagensem.*
XXV. *Indiculus quem Episcopus transmittit ad Abatem.*
XXVI. *Cautio de infracturis.*

HIERONYMI BIGNONII NOTÆ,

AD MARCVLFI MONACHI, Formularum Libros II.

Et cæteros Formularum Auctores.

AD LIB. I.

REVERENTISSIMO PAPAE LANDERICO.] Auctoris sæculum, ætatem & institutum ex hac epistola discimus, quæ ab alio expectare frustra esset: se enim Marculfum nomine, professione monachum fuisse, & septuaginta annis maiorem disertè testatur. At cum Landerico, cuius iussu id suscepisse fatetur, opus suum inscribit, tempus certissimè designat. Ille namque Landericus, etsi ciuitatis, cui præfuit, nomen non addatur, alius à Landerico Parisiorum antistite esse non potest: quem Chlodoueo seu Ludouico PROOEM.

Dagoberti F. Rege claruisse constat, circa annum Christi DCLX. cuius tandem sanctissimam memoriam Ecclesia Parisiensis IV. Eid. Iunij quotannis recolit. Quod vero Landericum Papam appellet, sæculi more loquutus est Marculfus: Omnes quippe tum Episcopi Papæ vocabantur. Id ex Sidonio, qui passim omnes Galliæ Episcopos Papas agnominat, palam est: tum ex Gregorio Turonensi, apud quem non semel hæc vox eodem sensu reperitur. & epistolæ Chlodouei Regis ad synodum Aurelianensem I. hæc legitur epilogus: *Orate pro me domni sancti & Apostolica sede Papæ dignissimi.* Fortunatus quoq; Venantius Pictauensis Episcopus, eiusdem æui scriptor, Leuntium Burdegalensem & Gregorium Turonensem Papas passim vocat. Quin & Synodus Turonensis II. sub Chariberto R. c. 21. Epaunenses canones memorãs, *à Papa Auito*, qui Viennensis Episcopus fuit, *& cæteris Episcopis*, conscriptos esse ait. Quod à Græca voce, quæ patrem significat deductum, & veteribus vsitatissimum fuisse ex Cypriano, Athanasio, Rufino, Hieronymo & Augustino, iam nemo nescit. Neque vero Iustiniani sæculo, vt quidam putant, aut circa Gregorij magni tempora vt alij, illud exoleuisse dici potest. Nam & plerique multis post annis, præsertim extra Italiam scriptores, Papæ nomen omnibus Episcopis tribuerunt. Extant inter cætera veteres Tortarij Floriacensis versus, ante sexcentos annos conscripti, de translatione B. Mauri, quibus quidam inducitur Britannus Episcopus, dum causam fugæ reddit,

dicens melius esse fugere, *quam me Barbarico Papam contradere ludo.* Donec in Synodo Romana primus, vt à doctissimo Cardinale obseruatum est, Gregorius VII. Pōtifex Romanus cōstituit, vt Papæ nomen vnius esset in orbe Christiano: quod inter eius dictatus li. 2. Regiſtri videre est.

REVERENTISSIMO] Sic Ms. vt & apud Sidonium ep. 14. l. 5 *reuerentissimo exemplo*, non reuerendissimo, ne operarum vitium putes.

TAM IN PALATIO QVAM IN PAGO] in palatio, de negotiis scilicet quæ ante Regem expediuntur, & de quibus chartæ Regales fiunt, quæ primo libro traduntur. In pago seu in vnaquaque ciuitate, ante Comitem vel iudicem loci, quæ chartæ pagenses dicuntur & secundo libro proponuntur, qua de re latius libro secundo.

INANTEA] id est in posterum, dehinc, veteribus Gallis *en auant*, vnde natum Italicum *inanzi*. Quæ dictio non huius tantum auctoris propria, qui sexcentis locis ea vtitur, sed & omnium ferè eiusdem æui & sequentium auctorum. Itaque nil frequentius in synodis, capitulis, annalibus & chronicis: quod semel annotasse visum est.

PRIVILEGIVM] Priuilegij nomine heic CAP. I.
significatur instrumentum libertatis ab Episcopo monasterio tributæ, quam vulgo exemptionem dicimus, quo sensu hanc vocem à plerisque vsurpatam esse video. Porrò hæc formula testatur, iam tum in vsu fuisse eiusmodi libertates, & ab Episcopis, quorū precipuè intererat conscribi & indulgeri solitas. Verè autem pri-

uilegium dicitur: nam iure communi Abates Episcopis subserant, can. 4. concilij Calchedonensis, Synodi Aurelianensis I. sub Chlodoueo c. 9. c. 21. *Abates pro humilitate religionis in Episcoporum potestate consistant*, ex quo in capitulis Benedicti Leuitæ exscriptum est cap. 136. l. 6. & apud Gratianum can. Abates 18. q. 2. Synodi Epaunensis c. 19. Aurelianensis II. sub Childeberto c. 22. Capitul. Caroli M. lib. 2. cap. 8. can. Monasteria 18. q. 2. Itaque hæc formula exemplis se tuetur Lirinensis, Agaunensis & Luxouiensis cœnobiorum, hoc addito, nihil de canonica institutione conuelli quicquid domesticis fidei pro quietis tranquillitate conceditur: & ideo si Abas neglexerit, aut non potuerit, ad Episcopum monachorum coërcitionem pertinere. Sanè illud in ædificandis monasteriis priuilegium, ab ipsis ædificatoribus anxiè exquisitum, & ab Episcopis concessum fuisse, probant multa quæ adhuc extant exempla. Sed tandem quo firmius eiusmodi libertas consisteret, à summis pontificibus ea confirmari vltro petierunt & impetrarunt. Pleraque etiam cœnobia, directò ab eadem sede Apostolica, se ab Episcoporum eximi potestate petierunt. Quod vt ab initio ex nimia antistitum in monachos sæuitia ortum est, vt Gregorius VII. lib. 2. ep. 69. testatur, ita negari non potest multos libertatis obtentu fugitasse disciplinam: vnde frequentem exemptionum suo sæculo vsum exagitant Petrus Blesensis ep. 68. & S. Bernardus de consideratione lib. 3. c. 8. & seqq. qui tamen probat eam exemptionem, quæ pro

voluntate fundatorum, quibusdam monasteriis indulta est, vt specialius ad sedem Apostolicam pertinerent. Igitur ex hac formula patet initiò Episcopos, conuentu aliorum Episcoporũ habito, liberationem à sua potestate monasteriis concessisse, rogatu vt plurimum, Regum & procerum ipsorum qui ædificauerant. Cuius rei multa hodie quoq; suppetunt exempla. Si quidem, præter illa quæ ab auctore heic afferuntur, & Vincentij martyris in suburbano Lutetiæ basilicam, à B. Germano Parisiensi Episcopo, à quo nunc nomen habet, simili priuilegio donatam legimus apud Aimoinum lib. 3. c. 2. quod integrè ibidem à Ia. Breulio exscriptum videre est. Rex quoque Guntchrannus, quæ ipse, vxor eius, aut binæ filiæ cœnobia cõstruxerant, multisque possessionibus & donariis instruxerant, eodem pacto ab Episcoporum conuentu confirmari enixè postulauit, & vt fieret obtinuit in synodo Valentina, quæ anno regni eius XXIV habita est. Extat etiã Bertefridi Ambianensis Episcopi priuilegium libertatis Corbeiæ veteris, ad petitionem Chlotarij Regis & Bathildis Reginæ conscriptum VIII. Eid. Septemb. Anno VII Chlotarij, quod easdem fermè clausulas ac præsens formula continet. Insigne vero est priuilegium libertatis ab Episcopo Parisiensi B. Dionysij monasterio datæ, quod ob celebritatem nobilissimi cœnobij, & quod à Landerico, Marculfo ætate suppari, indultum sit, & non parum ad huius capitis illustrationem facit, adscribere non grauabor. Est verò eiusmodi in cortice scriptum,

& heic diligentissimè exscriptum.

DIVINA largiente gratia Landericus Parisiorum Ecclesiæ Episcopus. Quoniam quidem inter ea quæ Dei disponente prouidentia, cursu temporis agimus, si quid rectè actum est, ad illius, qui & dando præmonuit, & posse contulit, gloriam & nostram prosperitatem non est dubium attinere : Decet & præsertim eos qui in sacris ordinibus eminere videntur, priuatæ & publicæ rei ita curam agere, vt & sua peccamina adnullare, & si quid est virtutis hoc semper ad altiora studeant prouehere, & aliorum vel benefacta commendare, vel vitia inuigilent corrigere. Debet etiam esse grata omnium Dei fidelium inter se familiaritas, & in expetendis dandisque beneficiis adeo oportuna propinquitas, vt nulli prorsus digna petenti non modo, non abnuat, verum etiam vt amplius quod dignum est ab altero petere postuletur. Quapropter nouerit omnium Catholicæ Ecclesiæ cultorum generalis vniuersitas, quod Dominus glorioſissimus Cludouicus Francorum Rex, diuino irradiatus lumine, religiosa petitione humilitatis nostræ extremitatem poposcit, vt & nos & canonicorum nostrorum communis fraternitas, securitatis & incommutabilitatis priuilegium ederemus, pro reuerentia S. Dionysij, sociorumque eius Rustici & Eleutherij, qui cum eo laurea martyrij sunt redimiti, ad basilicam ipsorum vbi ipsi corpore requiescunt, & in virtutum miraculis coruscant, & vbi Dagobertus genitor suus quondam Rex, vel genitrix sua Nanthildis Regina sepulturas habere videntur. Quamquam sancta Carthaginensis synodus facta à beatæ memoriæ domno Bonifacio eiusque coepiscopis, non prohibeat monachos sub priuilegio proprio residere, vel sancti Augustini libri de Ecclesiasticis gradibus doceant, monachos sub quiete

regulariter viuentes, sua singulari lege debere quiescere, & ab omni infestatione clericorum intrepidos permanere, ne sæcularis strepitus eos lædat, quos districta regula seruitutis Domini moderatur. Quod nos considerantes, dum & canonica institutio nos hac de re non præiudicat, vel ideo quia supradicti domini Cludouici Regis petitio quasi nobis iussio est, cui difficillimum est resisti, vel pro reuerentia tantorum martyrum, quorum patrocinio se ipse commisit, vt ipsis monachis secundum sanctum ordinem viuere liceat, & vt tam pro nobis, quam pro omnibus nostræ Ecclesiæ fratribus Deum orent, ipsum priuilegium plena voluntate, vna cum consensu fratrum meorum, ipsis concessisse visus sum. Per quod decerno atque obtestificatione diuini nominis interdico, vt nec ego deinceps, nec vllus successorum meorum, hoc audeat infringere, vel temerario ausu aliquatenus violare, videlicet vt omnis presbyter vel clericus ex his quæ in ipso loco beatissimi Dionysii martyris, vel extra ex loco qui dicitur fons S. Remigij, sicut via distinguit, quæ præbet iter iuxta pratum quod dicitur formosum, vsque ad Ecclesiam S. Quintini martyris, & illinc per regalem stratam donec veniatur ad viuarium in capite triceni pontis, sicut prata fratrum distingunt, vsque ad præfatum locum fontis B. Remigij, omnes illi qui in hoc circumscripto spatio Ecclesiis seruiunt, sint liberi & absoluti ab omni debito & redditione circadarum & synodorum. Tamen volumus, & pro reuerentia sancti martyris Dionysii concedimus, vt si necessitas eis fuerit, ex nostro & successorum nostrorum episcopatu sine pretio chrisma & oleum suscipiant. Et si quis eorum presbyterorum vel clericorum forte aut occisus, quod absit, aut vulneratus fuerit, aut ex his omnibus alicuius iniuriæ acclamatio surrexerit, quicquid ex his omnibus

ad nos pertinere videatur, hoc totum Abati, qui in ipso sancto loco præfuerit cæteriſque fratribus habendum, & diſponendum concedimus. Quod ſi aliquis calliditate aut cupiditate præuentus fuerit, & ea quæ ſunt ſuperius comprehenſa temerario ſpiritu violauerit, tribus annis pœnitentiam agat, à communione fratrum ſequeſtratus, & nihilominus hoc priuilegium Chriſto protegente, qui & adiuuet illud conſeruantibus, & diſſipet illud deſtruere cupientibus, perpetuò maneat incorruptum. Quam definitionem conſtitutionis noſtræ, vt noſtris & futuris temporibus valiturà ſit, manus noſtræ ſubſcriptionibus roborauimus, & coepiſcopis, domnis & fratribus noſtris roganimus, vt ipſum inſuper firmare debeant. In Chriſti nomine Landericus ac ſi peccator Epiſcopus vrbis Pariſiacæ hoc priuilegium conſenſi & ſubſcripſi. Munemundus Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi, Gouualdus ep. conſ. & ſubſ. Vuulfolenus ep. conſ. & ſubſ. Armentarius ep. conſ. & ſubſ. Rauracus ep. conſ. & ſubſ. Malchardus ep. conſ. & ſubſ. Eligius ep. conſ. & ſubſ. Grator ep. conſ. & ſubſ. Ioannes ep. conſ. & ſubſ. Burgundofart ep. conſ. & ſubſ. Richoaldus ep. conſ. & ſubſ. Baldomerus ep. conſ. & ſubſ. Audoenus ep. conſ. & ſubſ. Taurinus ep. conſ. & ſubſ. Euſtorchius ep. conſ. & ſubſ. Laridanus ſeu Karioendus ep. conſ. & ſubſ. Berthefridus ep. conſ. & ſubſ. Audebertus ep. conſ. & ſubſ. Clarus ep. conſ. & ſubſ. Caſtadius ep. conſ. & ſubſ. Lucerius ep. conſ. & ſubſ. Palladius ep. conſ. & ſubſ. Aetherius ep. conſ. & ſubſ. Ingoldus ep. conſ. & ſubſ. Facto priuilegio ſub die KL. Iulij in anno xv. regnante Cludouico glorioſiſſimo Rege. Auſtrolenus lector, iubête domno Landerico epiſcopo hoc priuilegium ſcripſi & ſubſcripſi. Hunc epiſcoporum ea de cauſa conuentum memorat Aimoin. lib. 4. c. 41. & Clipiaci,

quod tum palatium in agro Parisiẽsi ad Sequanam erat, habitum fuisse ait: *Nostri itaque deuotio hæc extat animi*, (inquit ibidem apud Aimoinum Rex Clodoueus) *vt monasterium patroni nostri domini Dionysii, in quo ipse cum consortibus testimonij veritatis requieſcit humatus, & piæ memoriæ genitores nostri*, (*dominus videlicet Dagobertus, ac domina Nanthildis*) *se sepelire mandauerunt ab omni soluamus dominio mortalium: quatenus Abba vel fratres eo loco commanentes possessiones à parentibus nostris, siue ab aliis fidelibus Christianis, sibi traditas, absque vllius dominantis inquietudine possidentes pro salute nostra, ac statu regni nostri liberius Deum deprecentur. Huic autem nostræ suggestioni consentit venerabilis vir Landericus Parisiaca vrbis præsul, in cuius diœcesi cœnobium illud situm est, & cui vsque ad præsens tempus subiectum fuit. Hanc ergo libertatem serui Dei imbi constituti dum fuerint adepti, nulliusque præter Dei ac sanctorum eius*, nostrumque (*cui etiam tota natio Francorum paret*) *fuerint perpessi dominatum, sciant se debito tali genitoribus nostris & nobis, eisque &c. fore obnoxios.* Quæ longius ideo adscripsimus, quod & caput propositum, & superius instrumentum, manifestò illustrent. Hæc demum libertas, seu exemptio, rogatu Pipini R. à Zacharia PP. auctoritate Apostolica confirmata est, Bulla scripta in Lateranis anno V. Zachariæ, II. NON. NOVEMB. IMPERANTE DOMINO PIISSIMO AVGVSTO CONSTANTINO A DEO CORONATO ANNO IV. INDICT. VI. quæ itidem in cortice scripta, in tabulario celeberrimi illius cœnobij extat, à qua plum-

bũs Zachariæ Pontificis nomine inscriptũs, filo canabino pendet.

ET NE NOBIS ALIQVIS DETRAHENDO.] Priuilegium Corbeiæ à Bertefrido Ambianensi Episcopo indultum, quod proximè huic formulæ accedit, eandem clausulam ita concipit: *Et ne nos ad hoc propriæ deliberationis instinctu posteritas æstimet decreuisse, cum etiam antiquiora, vel in nouo tempore monasteria, propria priuilegia sunt consecuta: Ex quibus vt pauca, dum longum est omnia euoluere nominemus, Agaunẽsium, quod velut istud est regio munere ditatum, Lirinensium, vt basilica domni Marcelli, immoque & monasterium Luxouiense hoc videntur habere concessum, & omnem libertatem sunt consecuti, &c.* S. vero Marcelli, quod heic additur, priuilegium à Synodo Valentina confirmatum est, quæ à Guntchranno R. obid præcipuè habita anno regni eius XXIV. eius hodie præter vnicum illud caput nihil extat.

LIRINENSIS, AGAVNENSIS ET LVXOVIENSIS.] Lirinensis quidem insulæ antiquissimum monasterium, & quod ab Eucherio Lugdunensi, Sidonio & aliis abundè celebratum est. Agaunense vero à Sigismundo Gundobaldi F. Burgundionum R. constructũ fuisse testatur Gregor. Turon. lib. 3 c 5 In Ms. legebatur *Auganensis*, cuius loco veram lectionem reposui, quamquam & apud Faustum presbyterum eius sæculi scriptorem Agauense cœnobium scriptum est. De Luxouio verò Burgundiæ cœnobio, vetus auctor vitæ S. Eligij Nouiomensis lib. 1 apud Surium refert Audoenũ, seu Dadonem, Rothomagensem Episcopum

eius auctorem extitisse: quod tamen non omnibus probatur. Illud quidem constat non multo ante auctoris nostri tempora cœpisse.

SACROS PERCIPIAT GRADVS.] Monachi quippe clerici non sunt. l. generaliter 40. C. de Episcop. & cleric. Nam primis sæculis monachos extra clerum fuisse indubitatũ est. Ideo can 4. Synodi Calchedonensis, ecclesiasticis, aut sæcularibus negotiis se immiscere prohibentur, μήτε δὲ ἐκκλησιαστικοῖς, μήτε βιωτικοῖς πραγμασιν, ἢ ἐπικοινωνεῖν. Vnde & eodem can. & can. 8. in pœnis non depositione, vt clerici, sed excommunicatione cum laicis puniuntur. Adhucque in synodo Ticinensi anni DCCCLXXVII. in qua Carolus imperator renunciatus est, *Laici & monachi perpetuo anathemate feriantur*, qui locus extat & apud Aimoini continuatorem lib. 5. c. 35. B. Hieronymus ad Heliodorum de laude vitæ solitariæ, pluribus aliam docet esse causam monachorum, aliam clericorum, hos pascere, illos pasci. Quod infinitis patrum testimoniis probari posset, nisi certo certius esset monachos clericos non fuisse, vsque ad tempus Zozimi & Syricij Romanorũ pontificum, quorum hic epist. 1. c. 23. ad Himerium, innuere videtur, licentiam se præstare monachis morum grauitate & fidei institutione commendatis, vt possint clericorum officiis aggregari. Inter opera Hieronymi legitur Epiphanij ad Ioannem Hierosolymitanum epistola, ab eo Latinè reddita, in qua refertur Epiphanium ordinasse presbyterum monachis quibusdam Syriæ poscentibus, qui eis dominica

sacramenta conficeret.

QVEM ABAS POPOSCERIT.] Priuileg. Berthefridi: *Si quos autem gradus clericorum minores aut maiores, Abas iam dicti monasterij elegerit, siue intra aut extra monasterium sine aliqua præmij acceptione constituimus consecrare.*

ALTARE BENEDICAT ET SANCTVM CHRISMA *annis singulis si voluerint postulare pro reuerentia loci sine pretio concedat.*] Priuileg. Berthefridi. *Altaria ad sæpedictum monasterium, vel tabulæ si defuerint, Episcopus Ambianensis Ecclesiæ in Dei nomine benedicat, & chrisma sacrum conficiat sine pretio, & annis singulis pro reuerentia sanctorum sine vllo pretio, muneris causa concedat.* Priuileg. Landerici, *si necessitas eis fuerit, ex nostro & successorum nostrorum Episcopatu, sine pretio chrisma & oleum suscipiant.* Et quod de chrismate sine pretio dicitur, rectè id & secundum canones: Synodi Barcinonensis sub Recaredo R. c. 2. *vt cũ chrisma presbyteris diœcesanis pro neophitis confirmandis datur, nihil pro liquoris pretio accipiatur.* Meldensis seu verius Parisiensis ca. 45. *Vt nemo Episcoporum, vel quilibet minister Ecclesiasticus, propter sacrum chrisma aliquid muneris accipiat, neq. denarios vel quælibet munuscula.*

NVLLAM PENITVS ALIAM POTESTATEM *in monasterio, neque in rebus, neque in ordinandis personis, &c.*] Berthefridus, *vt quicquid prædicti monasterij monachis sub libertate euangelica Regio munere, seu à quibuslibet Christianis in agris, in mancipiis, vineis, syluis, auro, argento, vel vestibus, vel quibuslibet speciebus ad prædictum monasterium pertinentibus, à quibuslibet collatis, aut deinceps collatura sunt, sæpè dictum monasterium, vel monachi ibidem*

degentes vitæ nostræ temporibus, seu successorum nostrorum, nec ego, nec vllus sibi pontifex, aut aliquis ex ordine clericorum ordinatores Ambianensis Ecclesiæ suis vsibus vsurpare aut minorare, aut ad ciuitatem aliquas species deferre præsumat. Quæ summatim & ad verbum ferè referuntur à Nicolao I. PP. ep. 24. qua illud Ambianensis Episcopi priuilegium confirmat. Illud ipsum cauetur Synodo Valentina, quæ basilicæ S. Marcelli & S. Symphoriani rogatu Guntchranni R. libertatem concedit, *Si quid per quascumque auctoritates, aut scripturarum epistolas, præfatus Dominus Rex, vel supra nuncupata regalis sua, filiæque eorum, siue in ministerio altariorum, siue in quibuscumque speciebus, quæ ad diuinum cultum pertinere noscuntur, contulisse vel adhuc conferre voluerint, neque ab Episcopis locorum, neq; potestas Regia quocumq; tempore successura, de eorum voluntate quicquã minorare, aut auferre præsumat. Quod si quis hoc quocumque tempore temerare aut auferre præsumpserit, veluti necator pauperũ, anathemate, &c.*

ARCHIDIACONI.] quippe illi res temporales & Ecclesiæ opes dispensabant. Prudentius Peristephanon, de B. Laurentio, quem Leuitam primum è septem-uiris dicit.

Cœlestis arcanum domus
Fidis gubernans clauibus
Votáque dispensans opes.

IN ALTARIO OFFERTVM.] Solenne tunc tẽporis erat, res donatas Ecclesiæ vel traditas, aut saltem earũ instrumenta altari imponere. Infrà c. 2. *aut de offertione in altario*. Synodi Aurelian. I. ca 16. *vt de his quæ in altario oblatione fidelium conferuntur, medietatem Episcopus sibi vindicet*, & c. 17.

de his quæ in altario accesserint. Leg. Alaman. tit. 1. vbi de charta donationis ad Ecclesiam *coram sacerdote, qui ad eandem Ecclesiam deseruit super altare ponat.* Leg. Baiuuarior. tit. 1. *& tunc ipsam epistolam ponat super altare, & sic tradat pecuniam.* Ideo & Carolus M. R. facta donatione Ecclesiæ Romanæ, eam *super altare S. Petri, & postmodum intus in sancta eius confessione posuit,* inquit Anastasius in Hadriano. Eius rei formula traditur in Capitulis Benedicti Leuitæ lib. 6. c. 285. *& ipsam scripturam coram altari aut suprà tenet, dicens eiusdem loci sacerdotibus atque custodibus, offero Deo atque dedico omnes res, quæ hac in chartula tenentur insertæ.* In vet. instrumento Maioris Monaster. apud Pithoeum, *quod dum de more super altare posuissent.* In tabular. Corbeiæ *factum donum per manus Roberti Flandriæ consulis, necnon Gauffredi Parisiorum præsulis super altare S. Petri impositis.* Quo referri posset illud, qui altari seruit viuat de altari.

AVFERRE PRESVMANT.] Illud nominatim cauendum monachis fuit, alioqui iure veteri id omne quod ecclesiis totius diœcesis offerebatur Episcopo cedebant, Synodi Aurelianensis III. sub Childeberto can. 5. *Si quæ oblationes, in quibuslibet rebus atque corporibus collatæ fuerint basilicis in ciuitatibus constitutis, ad potestatem Episcopi redigantur, & in eius sit arbitrio, quod ad reparationem basilicæ, aut obseruantium ibi substantiam deputetur.* Synodus Cabilonensis apud Gratianum, *Decretum est, vt omnes Ecclesiæ cum dotibus suis & decimis, & omnibus suis in Episcopi potestate consistant, & ad eius ordinationem semper pertineant.* Verùm cum om-

nia sibi vindicarent Episcopi, canonibus demum prouisum fuit, vt certa parte ab Episcopis præcepta, reliquum immune Ecclesiis seu parochiis supereſſet: qua de re elegans est constitutio in Concilio Carpenctoratensi sub Cæsario Arelatensi: Synodi Aurelianensis I. ca. 16. De monasteriis vero Concilio Ilerdensi can. 3. statutum est *vt quæ in iure monasterij de facultatibus offeruntur, in nullo diocesana lege ab Episcopis contingantur*, quod quidem an tum in Gallia obtinuerit, nescio, cum idipsum nominatim in omnibus monasteriorum priuilegiis exactissimè cautum sit, quod alioqui frustra esset. Extat in tabulario Corbeiæ Benedicti IV. PP. epistola qua eius cœnobij priuilegia cõfirmantur, quæ idipsum statuit: cuius verba, quæ huc faciunt, quod nondum edita, ac ne quidem vlla illius pontificis epistola, & non minus piè quam eleganter scripta sint, exscribere non pigebit. Sic igitur habent: *Cumque Galliarum permaximè Ecclesias fidelium collationibus à Domino constet esse ditatas, vt nemo sit ferè Episcoporum, cui suæ sumptus Ecclesiæ satis supérque non sufficiant, cuius gratia necessitudinis, quæ seruorum Christi sint vsibus collata, in suos committere sumptus præsumant? Si enim clericorum qui de propriis habundant reditibus communicatio prohibetur cum eis quæ conferuntur Ecclesiæ, ne dum illi acceperint, qui de propriis habundant, eorum qui nihil habent inopia non leuetur, qua conscientia Episcopus suæ sumptibus Ecclesiæ sufficiens, quæ seruorum Dei fuerint vsibus collata præsumat contingere? nec veretur quod per prophetam Dominus exprobrat sacerdotibus, dicens, Rapina pauperis in domibus vestris. Pauperes*

enim Christi esse quis nesciat, qui contemnentes substantiam mundi, saluatoris nostri vestigia sectantes, qui cum esset diues pro nobis pauper effectus est sancta professionis titulum sibi diuitias arbitrantur? Quisquis igitur aliquid horum, quæ fuerint ad necessitates eorum collata præsumpserit, & suis commodis applicuerit, rapinam in domum suam de substantia pauperis congregat. Omnia quæcumque sunt Ecclesiis oblata vel delegata in pauperum, pupillorum, viduarum, certum est necessitates destinata. Quare quisquis ex his aliquid in suas vtilitates exigit, rapinam pauperis in domum suam congestam detinet, &c. Scriptum per manum Theodori notarij & scriptarij S.R.E. mense Octobrio indictione IV. Annus est vt videtur DCCCC. Pontificatus eius primus. Nam etsi non adscribatur, tamen pluribus Romanorum Pontificum bullis mihi constat sæpe annum Pontificatus primo anno omitti.

PONTIFEX DE IPSA CIVITATE COERCERE DEBET.] Obserua in casum negligentiæ iurisdictionem & potestatem Episcopo seruatam, ne impunita scilicet essent maleficia, & canonica auctoritas conuelleretur.

DOMESTICIS FIDEI.] .i. fidelibus, qui diuino seruitio iugiter incumbunt, & quorum sors Dominus est: infra c.2. & alibi passim. Sidon. lib.6.ep.10. lib.9 ep. 8. & alij.

REATV ANATHEMATIS.] Frequens tum erat, & etiam postea, anathematis pœnam instrumentorum sanctionibus inserere, vt in Landerici & Berthefridi priuilegiis, & infrà lib. 2. c. 13. 6. & passim in veteribus formulis sacris & profanis, & in Regum quoque diplomatibus.

matibus. In Præcepto Dagoberti. *Si quis hæc non obseruauerit, & hic & in futuro anathema sit.* Sic & in Testamento Leodebodi Abatis de dotatione & constructione cœnobij Floriacensis. Nec dissimiliter apud Greg. Turon. lib. VII. c. VI. in pactione fratrum ne Parisios vnus incõsulto altero ingrederetur, *essetque Polioctus martyr, cum Hilario atque Martino confessoribus, iudex ac retributor eius.*

ET NOS ET FRATRES NOSTRI DOMINI EPISCOPI.] qui heic non tantum adhibentur vt testes, verum & quia eiusmodi libertas non nisi magno in conuentu episcoporum indulgebatur: infra cap. 2. *iuxta quod ab illo Pontifice, vel cæteris domnis episcopis &c.* Berthefridus. *Quam definitionem constitutionis nostræ, vt nostris & futuris temporibus valitura sit, manus nostra subscriptionibus roborauimus, & coepiscopos dominos & fratres nostros rogauimus, vt ipsam in omnibus confirmare debeant.* Iisdem verbis Landericus in libertate S. Dionysij, quæ à magno episcoporum numero subscripta est. Quam quidem Aimoin. lib. IV. c. XLI. Clypiaci in conuentu Pontificum & procerum totius gentis factam esse testatur, cui interfuere *prope omnes Galliarum episcopi*, vt ille ait.

CONCESSIO REGIS AD HOC PRIVILEGIVM.] Satis ostendit hoc lemma non priuilegio tantum episcopi, sed & consensu & confirmatione Regis opus fuisse: quod plenè hæc formula declarat, quæ superioris etiam verba recenset. Chlodouei quoque R. Dagoberti F. litteræ quibus Landerici priuilegium Cap. II.

confirmatur, in illo cœnobio asseruantur. Hincmarus Richildi Reginæ apud Flodoardum Hist. Rhemens. lib. III. c. XXVII. *Reducit etiam ob memoriam, qualiter præfatus Rex petente Irmintrude Regina de rebus tunc suis per consilium Parduli Laudunensis episcopi, priuilegium ad idem Orniacum monasterium à se dictari, & cæteris Episcopis firmari rogauerit, & ipse Rex confirmauerit.*

VIRIS APOSTOLICIS.] Sic tum vocabantur episcopi, infra cap. 3. 5. 6. 7. 11. 16. 22. 23. & passim apud Marculfum & veteres formularum auctores, eadémque ratione apud eosdem *apostolica sede digni*, & *apostolica sede colendi*. Chlodoueus R. in epist. ad Synodum Aurelian. I. *Orate pro me Domini sancti & apostolica sede Papæ dignissimi*. Sic & apud Gregor. Turon. lib. 9. c. 41. & 42. extant duæ epistolæ, quarum hoc est principium. *Domnis sanctis & apostolica sede dignissimis*. Ita & *apostolicam sedem*, cathedrã Tricassinæ vrbis dixit Sidon. lib. 6. ep. 1. & *apostolatum* lib. 6. ep. 4. & 7. & alibi sæpe. quibus locis multa eruditissimè Io. Sauaro, Aruernorum & Præses & decus, quem non exscribo. Ideo autem apostolicos episcopos dictos esse apparet, quod in locum apostolorum illi successerint. Præter auctores quos ille notauit, Cyprianus ep. XLII. & LXV. Clemens ep 1. Anacletus ep 2. & apud Gratianum can. In nouo dist. 21. & Greg. lib. 6. ep. 27. Hincmar. ep. III. c. IV. Idemque in libro, Aduersus Hincmarum Laudunen. c. XII. quamquam speciali nota, Romanam sedẽ apostolicã dici Synodi & patres vbiq. conclamẽt:

quod etiam Balsamo agnoscit in præfat. concilij Carthaginensis. quæ demum appellatio soli pontifici Romano data est, adeò vt *apostolicus*, nullo alio adiecto sequentibus sæculis diceretur, nostrisque vernaculis scriptoribus *apostole*.

AVT SVPER PROPRIETATE, AVT SVPER FISCO.] His verbis duæ notantur bonorum species, & velut maxima rerum diuisio, quæ eo sæculo recepta erat, quod & ex c. 33. infrà colligi potest. Omnia namque prædia, aut propria erant, aut fiscalia. Propria seu proprietates dicebãtur, quæ nullius iuri obnoxia erãt, sed optimo maximo iure possidebantur, ideoque ad heredes transibant. Fiscalia vero, beneficia siue fisci vocabãtur, quæ à Rege vt plurimùm, posteaque ab aliis ita concedebantur, vt certis legibus, seruitiisque obnoxia, cum vita accipientis finirentur. Rursus propriũ, seu proprietas duplex: alia quippe *Alode*, seu *hereditas, proprium paternum aut maternum* erat, Alia non à parentibus accepta, sed labore & parsimonia cuiusque comparata, *ex comparato*, aut *ex cõquisito* dicebatur. Sed postea & res comparatas alodij nomine vocauerunt: eoque peruentum vt *alodia* liberi iuris prædia, quę nec fidem, nec pensitationẽ deberẽt generaliter dicta sint, ad feudi differẽtiam, quo sensu Alodij vocabulũ adhuc hodie iure nostro vsurpatur. Hęc diuisio passim apud medij sęculi scriptores notanda occurrit. *Ĩ. c. 12. villas illas, sitas in pago illo, quas aut munere regio, aut de alode parentũ, vel vndecũq. ad præsens tenere videtur*, & l. 2. c. 17. Greg. Tur. l. 9. c 38. *Sunnesigilus & Gallomagnus, priuati à reb. quas à fisco meruerãt*

in exiliũ retruduntur, &c. quib. nihil aliud est relictũ, nisi quod habere propriũ videbantur. Idem lib. VII. c. XL. de vxore Mummoli, *Mulieri nihil amplius quam ea quæ de parentibus habuerat relinquens*, Capitul. Caroli M. lib. III. c. XIX. *Auditũ habemus, qualiter & comites & alij homines qui nostra beneficia habere videntur comparant sibi proprietates de ipso nostro beneficio*, lib. IV. c. XXVIII. *Quicumq. suum beneficium occasione proprij desertum habuerit.* Sic & in testamento Caroli M. c. IV. & in diuisione regni à Ludouico Pio facta c. V. *beneficium* ab *hereditate* separatur. Proprietatem autem, seu *terram propriam* (vt Gregor. Turon. appellat lib. III. c. XV.) aut ex alode, aut ex comparato fuisse, ex formulis supra prolatis, & li. II. c. VI. & VII. manifestum est. Fisci vero nomen frequenter in eius æui auctoribus, & vetustissimis instrumentis occurrit. Childebertus R. apud Aimoin. li. II. c. XX. basilicæ S. Vincentij martyris, *fiscum Isciacensem* concedit. Sangallensis lib. I. c. XIV. *Cum illo fisco vel curte, illa abbatiola vel ecclesia, tam bonum vel meliorem vasallum, quam ille Comes est, vel episcopus fidelem mihi facio.* Caroli Calui pro S. Dionysio præceptum, *fiscus noster vbi fiscalinus Manbertus custos esse videtur.* Sigebertus ad annum DCCCLXXXVI. & DCCCXC. Ex quibus locis, plenius autem ex hoc Marculfi loco, declaratur fiscum id appellari quod à fisco profectum, Regis liberalitate alicui in beneficium concessum est, & ideo nomen fisci seu terræ fiscalis retinebat. Capitul. Caroli M. lib. III. c. LXXXII. Synodi Valentinæ sub Lothario Imp. c. X. De alode autem infra c. XII.

AD PETITIONEM ILLIVS.] Hoc enim libertatis priuilegium, vt plurimum rogatu eorum qui construxerant, aut dotauerant concedebatur. Atque adeo plerumque sub ea conditione donationes fieri solitas ex lib. II. cap. I. apparet. *Ea scilicet ratione atque prætextu, vt remota pontificum, simulque ecclesiasticorum officialium, seu publicorum omnium potestate, &c.*

ADIICIENTES.] Addit Rex clausulam immunitatis à functionibus publicis, cuius integra cap. seq. traditur formula.

IN LVMINARIBVS.] Quorum vsus peruetustus, & à primordio nascentis ecclesiæ, in antelucanis scilicet cœtibus, vt Iræneus, Tertullianus & alij passim testantur. Tandémque pace Christianis data, ecclesia id ex prisco more retinuit, tum in Dei honorem, tum in signũ lætitiæ, vt B. Hieronymi verbis vtar, qui Vigilantium cereorum vsum reprobantem grauiter redarguit. *Nam & absque martyrum reliquiis* (inquit) *per totas orientis ecclesias, quando legendum est euangelium, accenduntur luminaria, iam sole rutilante, non vtique ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum: vnde & virgines illæ euangelicæ, semper habent accensas lampades suas, &c.* Et quidem ignem honoris gratia nõ imperatorib. modo, verũ & aliis prælatum fuisse certum est, qua de re nos si Deus dederit, aliâs plura. Porro hanc de luminaribus clausulam habet præceptum Caroli R. in continuat. Aimoin. lib. v. c. I. itemque sæpe in Mindensis ecclesiæ priuilegiis quæ excusa extant, & omnibus pænè diplomatibus adscriptam videre est.

CAP. III EMVNITAS REGIA.] Immunitatem, quæ & emunitas facili mutatione eo sæculo vocabatur, Modestinus in leg. xv. De excusat. ἀλειτουργησίαν πολιτικῶν ἢ δημοσίων λειτουργιῶν definit: eademque ἐλευθερία τῶν λειτουργημάτων Iustiniano dicitur. Hanc primi Christiani Imperatores, parcam & modicam ecclesiis tribuerunt, & initiò quidem à ciuilibus & personalibus muneribus tantum, quod ex lib. xvi. Cod. Theod. facilè perspicitur. Plenissima verò immunitas à Regibus nostris concessa est, vt meritò dici possit, suo exemplo cæteris principibus eandem immunitatem ecclesiis concedendi auctores fuisse. Eius itaque formulam hoc capite tradit Marculfus, vt nullus scilicet iudex, aut exactor fisci nomine, audeat aliquid in villis & rebus ecclesiæ exigere, nec iurisdictionem aliamue potestatem ibidem exercere. Meminit huius immunitatis Synodus Aurelianensis I. c. VII. *ipsorum agrorum vel clericorum immunitate concessa*, cuius initio capitis (vt id quoque obiter indicem) non *obligationibus*, sed *oblationibus* legendum esse crediderim, *De obligationibus vel agris, quos Dominus noster Rex ecclesiæ suo munere conferre dignatus est*, &c. In Synodo Ticinensi à Ludouico Italiæ R. petunt episcopi, *vt emunitates progenitorum vestrorum ita conseruari præcipiatis, sicut à glorioso genitore vestro constitutum est*, quibus respondet Ludouicus, *Statuimus vt ecclesiæ Dei per totius regni nostri fundatæ terminos, sub nostra emunitatis tuitione securæ, cum rebus & familiis permaneant*, &c. *earumque rectores propriis vtantur privilegiis, Similiter & clerus omnis proprio fungatur*

ministerio, nemine molestante nostri terroris formidine. Anteriorum Regum constitutiones, quarum meminit, extant apud Ansegisum lib. III. c. XXVI. & Benedictum Leuitam li. V. c. CXLVIII. Hoc autem priuilegium, cuius specimen heic extat, *præceptum immunitatis* à Flodoardo dicitur Histor. Rhemens. lib. II. c. XI. de Rigoberto episcopo, qui illud à Dagoberto R. suæ impetrauit ecclesiæ, *suggerens qualiter ipsa ecclesia sub præcedentibus Regibus, à tempore domni Remigij, & Clodoues regis quem ipse baptizauit, ab omni functionum publicarum iugo, liberrima semper extiterit.* Neque vero immunitatis istius præceptum, ab amortizatione, quo forēsi verbo hodie vtimur omnino alienum est. Nam & pleraque cœnobiorum tabularia hanc immunitatem, & amortizationis nomine inscribunt. Quod tamen nō eò pertinet, si attentius spectetur, vt à quocunque vectigali, & soli tributo vacationem præstet, si fortè cēsualis terra, aut tributaria fuerit, vt apparet ex Capitul Caroli M. lib. I. cap. XCI. *vnicuique ecclesiæ vnus mansus integer absque vllo seruitio adtribuatur, &c. & si aliquid amplius habuerint, inde senioribus suis debitum seruitium impendant:* Synodi Meldensis c. LXIII. quo pertinet & de terra tributaria capitul. lib. IV. c. XXXVII. Eiusdem immunitatis, eadem penè formula & conceptione verborum, diplomata extant apud Flodoard. Hist. Rhemens. lib. II. cap. XI. Sigonium De Regno Italiæ lib. V. Collectanea Camuzatij Trecensis: in ecclesiæ Mindensis priuilegiis, Io. Pistorij beneficio editis, & in veteribus cœnobiorum scriniis.

Emunitatem porrò pro immunitate hoc ſeculo, & ſequentibus dictam fuiſſe, iam obſeruauit nunquam ſatis laudatus Fr. Pithæus, in eruditiſſimo ad Capitula gloſſario.

Nvllvs ivdex pvblicvs.] Sic in immunitate monaſterij Deruenſis, à Childerico R. indulta, quæ in collectaneis Camuzatij extat, *vt nullus iudex publicus, quolibet modo iudiciaria accinctus poteſtate in curtes ipſius monaſterij vbicumque ad præſens eorum maneat poſſeſſio vel dominatio, aut quod inantea vt diximus fuerit additum, vel condonatum, nec ad cauſas audiendum, nec fideiuſſores tollendum, nec freda exigendum, nec manſiones faciendum, nec rotaticum infra vrbes vel in mercatis extorquendum, nec vllas paratas, aut quaſlibet redhibitiones exactare præſumat.* Ita & Flodoardus Hiſt. Rhemenſ. lib. II. cap. IX. de Dagoberti R. præcepto, *vt nullus iudex publicus in ipſas terras auderet ingredi, vt manſiones intrando faceret, aut qualibet iudicia, vel xenia ibidem exigere vllatenus præſumeret.* Eadem quoque complectitur priuilegium à Carolo M. Gradēſi eccleſiæ indultum, apud Sigonium de Regno Italiæ lib. IV. & illud quod eccleſię Patauinæ datum eſt, lib v. Sic denique S. Martini, S. Dionyſij, Corbeiæ & Mindenſis eccleſiæ priuilegia, quæ eaſdem clauſulas, & Marculfo ſimillimas cōceptis penè verbis continent. Ad quid vero *iudicis publici* nomen? An non omnes publici iudices erant? Putaui aliquandiu publicos ad priuatorum diſtinctionem dici, vt publici fuerint qui Regij eſſent, regiamque iuſtitiam exercerent, priuati autem qui priuatorum dominorum loco ius

dicerent. Namque tum aut saltem Caroli M. sæculo priuatas iustitias fuisse ex quibusdam locis non obscurè colligi potest, vt in Capitul. lib. II. c. XLIV. Dagobertus R. in immunitate S. Dionysij, data Parisiis Anno X. regni, IV. KL. Augusti. *Et vt ab omnibus optimatibus nostris, & iudicibus publicis ac priuatis, melius ac certius credatur, &c.* quæ etsi non aliena viderentur, mutaui tamen sententiam succurrente altera veraque, ni fallor, interpretatione: Publicus enim iudex ecclesiastico iudici opponitur in capitul. Caroli M. lib. V c. XIV. *Vt omnes iustitias faciant, tam publici quam ecclesiastici*, & lib. VI. c. CVI. *Vt episcopus iudices publicos commoneat, &c.* Qua voce Anianus vtitur ad leg. XII. De episcop. & cleric. Cod. TH. *specialiter prohibetur, ne quis audeat apud iudices publicos episcopum accusare.* Vnde desumptum videtur cap. CCXXXVII. lib. V. Capitul. Benedicti Leuitæ. Cuius ratio peti potest ex leg. III. De episcopal. audient. Cod. Theod. in qua Valentinianus, Theodosius, & Arcadius, Imppp. de clericis aiunt, *Habent illi iudices suos, nec quidquam his publicis commune cum legibus.*

PRAESVMAT INGREDI.] infra cap. IV. *vt sicut constat ab antedictis principibus de villis præfatæ ecclesiæ domni illius integram emunitatem, absque introitu iudicum fuisse concessam:* & in formula immunitatis sanctorum quæ XLIV. inter Anonymi Formulas extat. In cœnobij Deruensis immunitate Childerici R. corrupta est hæc clausula, sed quæ facillime restitui potest, *in omnibus locis & territoriis vbi aliquid possidere videntur, absque*

interdictu iudicum. ex his enim planum est, *absq; introitu iudicum* legendum esse.

VALEANT DOMINARE.] Vides hanc terrarum ecclesiasticarum immunitatem, præcipuè ad iurisdictionem & iustitiam pertinere, vt scilicet eorum subditi & coloni à nullo iudice distringi possint, vt sæculi verbis vtar, quod & clare ostendit charta Henrici I. R. anni MLX. quæ inter Martiniana priuilegia excusa est. Quo fit, vt eo nomine in subditos iurisdictio eis concessa videatur, quam illi per Aduocatos & Vicedominos exercebant, qui inter iudices frequenter apud Ansegisum recensentur. Ottho Magnus in priuilegio Mindensis ecclesiæ anno DCCCCLXI. regni eius XXII. *hominibus quoque famulatum eius monasterij facientibus, qui Saxonicè Malman dicuntur prædictum mandeburdum & tuitionem nostram constituimus, vt etiam coram nulla iudiciaria potestate examinentur, nisi coram Episcopo, aut Aduocato, quem eiusdem loci Episcopus elegerit.* Quod & in Henrici, Conradi, Otthonis & aliorum diplomatibus repetitur.

IVNIORES.] Carolus R. apud Aimoin. continuat. lib. V. c. I. *nec vos aut iuniores vel successores nostri*, In diplomatibus Caroli M. HLotharij & Theoderici in eruditissimi viri FR. Pithœi Glossario. *Neque vos, neque iuniores, seu successores vestri.* Marculfus cap. XXIX. *& nec vos, nec iuniores, aut successores vestri*, quæ verba iuniores pro successoribus dici, quasi nepotibus, & posteà nascendis, satis apertè demonstrant. Vereor tamen ne hoc loco, & cap. XXIV. iunio-

ris nomen aliud significet, cum & iuniores, & successores ibidem distinctis verbis & clausulis nominentur. Iuniores enim hoc & sequentibus sæculis non ætatis, sed conditionis nomen est: quod non aliena relatione *seniori* opponitur, quem etiam non ætatis, sed honoris causa dici & pro domino vsurpari, notum est, & postea dicetur. Itaque iuniores essent, subditi, & inferiores. Carolus. M. apud Ansegisum lib. I. c. CLXVII. *Vt prime omnium* SENIORES *semetipsos de ebrietate caueant, & eorũ* IVNIORIBVS *exemplum bonũ sobrietatis ostendant.* lib III. c. LXIII. *De vulgari populo, & vnusquisque suos iuniores distringat, vt melius obediant, ac melius consentiant mandatis imperialibus.* Leg. Alamannor. Tit. LXXVIII. §. *Si coquus qui iuniorem habet occiditur.* Hincmar. ep. III c. XVII. Formula vetus ex cod. doctissimi viri, nuper magna rei litterariæ iactura fato functi Iac. Bongarsij, quam inter varias XXIII. edidimus, *inlustris viri illius Comitis, sui iuniores non exinde sic fecerunt, quomodo eis fuit demandatum,* vt planè appareat apud Marculfum & aliâs sæpe pro ministris iuniores dici, quos & hęc ętas, & sequens frequentius *seruientes* nominauit. Sic accipio & apud Gregor. Turon. lib. v. cap. XXVI. iuniores ecclesiæ, *à iunioribus ecclesiæ iussit bannos exigi, pro eo quod in exercitu non ambulassent,* & apud Benedictum Leuitam lib. v. c. CXXI. & lib. VI. c CLIV.

AD AVDIENDAS ALTERCATIONES.] Caroli R. præceptum de S. Martini basilica, *de reb. ipsius sancti in regno nostro Austria, Neustria, & Burgundia, Aquitania & Prouincia, &c. vt aliqua*

iudex publicus fisci nostri, ad agendum vel causas audiendum, seu freda vel inferendas exactandum, vel teloneum tollendum habere non præsumat, sed quicquid exinde ab antiquis temporibus fiscus noster accipere consueuerat, omnia ex nostro fisco reddimus, vt in luminaribus ipsius sancti Martini vel alimonia pauperum, seu stipendia monachorum proficiat.

FREDA.] Gregor. Turon. De Miracul. S. Martini, lib. IV. c. XXVI. clarè interpretatur. *Affirmauit Rex quosdam ex his qui absoluti fuerant ad se venisse, compositionémque fisco debitam, quam illi fredum vocant, à se indultam.* Carolus M. in Capitul. *Hoc quoque iubemus, vt iudices nominati, siue fiscales, de quacumque causa freda non exigant, priusquam facinus componatur, &c. tertiam partem coram testibus fisco tribuat, vt pax perpetua stabilisq; permaneat,* ex quibus postremis verbis tentari posset, fredum tertiam esse compositionis quæ parti soluenda erat. Nam in quibusdam causis, quæ legibus expressæ erant, præter compositionem, & fisco fredum soluebatur: quo nil frequentius in veterib. legibus, vt in lege Sal. tit. XIV. & leg. Alaman. tit. I. & III. & passim in aliis. Litis enim expensæ nondum vsu receptæ erant, vt infra c. XX. dicetur. Fredū vero Ioach. Vadianus & Amerpachius à Germanica voce *Frid* deducūt, quasi dicas violatæ pacis pœnam: paci namq; obseruandæ, & ne quis eam infringere audeat multis ab annis Germani student, legibusq; obligantur. Quod quidem Germanis expendendum relinquo: Dicam tamen pacis conseruandæ leges, quas *treugas* scriptores vocant, à Friderico I. Ænobardo, cœpisse, qui id in expeditione

Italica sanxit, ad priuata bella & dissidia, quæ tum nimium inualuerant tollenda, vt Radeuicus lib. III. c. XXVI. testatur. In veteribus autem legibus, fredi vox aliud sonat. Illud ipsum descripsit Tacitus de moribus Germanor. *Leuioribus delictis pro modo pœnarum, equorum, pecorumque numero conuicti multantur, pars multæ regi vel ciuitati, pars ipsi qui vindicatur, vel propinquis eius exsoluitur.* Non omittendum, fredi verbum & functionem adhuc Friderici II. Imp. temporibus durasse, vt edictum eius palam est.

MANSIONES AVT PARATAS.] Meritò hæc duo coniunguntur, vt & cap. seq. *nec mansiones aut paratas faciendum*, Nam apud Sigonium & in antiquis principalibus litteris paratæ perpetuo mansiones consequuntur: & vero proxima sunt: adeo vt in quibusdam locis vnum pro altero vsurpetur, quamquam diuersa nomina sint, & diuersa etiam iura. Id ius mansiones faciendi, mansionaticum dicebatur. Carolus M. Pipino F. Italiæ R. *cæteri per singula territoria habitantes ac discurrentes mansionaticos & parauereclos accipiunt.* Ludouicus Pius apud Ansegisum lib. II. c. XVII. *vbi modo via & mansionatici, à genitore nostro & à nobis per capitulare ordinati sunt*, & alibi sæpè. Quod ius non satis rectè, pace tanti viri dixerim, Sigonius De Regno Italiæ lib. VII. interpretatus est. Diploma Ludouici & Lotharij in continuat. Aimoin. lib. V. c. X. *expensas ad hospitum susceptiones*, dicit, itidemque Carolus R. c. XXXV. vbi de Abate S. Germani, *neque seruitia ex eis exactet, vel parauereclos, aut expensas ad suas vel ad hospitum susceptiones re-*

cipiat, siue mansionaticos inde exigat. Atq; etiã mansionũ nomen hoc ipsum manifestat. Tunc nãq; solebant subditi hospitio non modo recipere missos & legatos principis, comites, duces & eorum ministros, verum & viaticum eis pro vniuscuiusque dignitate præstare. Carolus M. Capitul. lib. III. c. XXXIX. *De missis nostris discurrentibus, vel cæteris propter vtilitatem nostram ter agentibus, vt nullus mansionem contradicere eis præsumat*, & lib. IV. cap. XXX. Ludouicus Italiæ R. in Synodo Ticinẽsi, *quando etiam Episcopos, Abates vel Comites, seu fidelium nostrorum quempiam, in propria villa morari contigerit, cum suis, in suis maneant domibus, ne sub obtentu hospitij vicinos opprimant.* In eam rem Tractoria dabatur, cuius formulam infra cap. XI. videbimus. Regis quoque recipiendi idem onus prouincialibus incumbebat, eiusque rei cura ad Mansionarium spectabat, cuius officium latè ex Adalhardo describit Hincmar. ep. III. cap. XXIII. *Inter quos etiam & mansionarius intererat, super cuius ministerium incumbebat, sicut & nomen eius indicat, vt in hoc maximè sollicitudo eius intenta esset, vt tam supradicti actores, quamque & susceptores, quo tempore ad eos illo vel illo in loco Rex venturus esset, propter mansionum præparationem, vt oportuno tempore præscire potuissent: ne aut inde tarde scientes, propter afflictionem familiæ importuno tempore peccatum, aut isti propter non condignam susceptionem, &c.* Is mansionarius in aula Constantinopolitana Σκηνοφύλαξ vocabatur, vt eruditè obseruat, & Suidam emendat Io. Meurtius in Glossar. Nosque eum hodie *mansionum marescallum* dicimus. Tectum

& hospitium quidem, siue vt illi vocabãt *mansionem* præbere, *mãsionaticum* vocabatur, *paratariũ* vero nomine, quæ pro viatico & alimẽtis præbebantur. Verum hæc duo, vt iam diximus, etsi diuersa nomina nacta sint, tamen vt plurimum simul exigebantur. ideoq. mutuo se cõcomitari solent in omnibus veteribus instrumentis, atq; adeo vnum pro altero non rarò sumitur. In Præcepto concessionis à Ludouico Pio Hispanis dato, *missis nostris, aut filij nostri, quos pro rerum oportunitate illas in partes miserimus, aut legatis qui de partibus Hispaniæ ad nos transmissi fuerint, paratas faciant*, & paulò pòst de Comite ne illos grauet, *neq; eos sibi vel hominib. suis aut mansionaticos parare, aut &c.* Hincmarus, *nec mansionaticos suis amicis, aut hominibus à presbyteris parari.* Qui mos origine Romanus est, hospitumq; susceptionem *metatum* illi appellabant, de quo titulus est XI. li. XII. Cod. & publico sumptu alicos qui à Principe cum tractoria alicubi dirigebantur, declarat titulus eiusdem libri De tractoriis & statiuis. Originem aperit Liuius initio lib. XLII. de L. Posthumio Albino Cos. qui primus litteras misit, *vt sibi magistratus obuiam exiret, locum publicè pararet, in quo diuerteretur, iumentaque cum exiret inde præsto essent.*

PARATAS FACERE.] Nominis huius interpretatio & notatio à superioribus pendet. Itaque nil amplius de eo dicere statueram, nisi aduertissem, ibidem quoq; Sigoniũ impegisse, quòd non causa obtrectãdi clariss. viri memoriæ, dico, sed veritatis, & ne alios eius auctoritas in errorem trahat. Ille enim ait sumptus fuisse

quos populi, *in vias pontesque fluminum qua transiturus, aut quo aditurus Rex erat* impendebant. Quod minus rectè dictum esse ex locis supra allatis, atque etiam diplomatibus, quæ apud eum extant apparet. Cl. Falcetus, quem verè Varronem Francicum dixerimus, optimè *paratas* vno Gallico verbo *liurees* interpretatus est: sic enim hodie dicuntur cibi, qui in familia Regia, ministris & familiaribus in specie quotidie præbentur. Tunc enim, vt diximus, non hospitium modo Regi, aliisq; ab eo missis dabatur, verum & parabantur alimenta, adeò, *vt ex omnibus*, inquit Ottho Frisingensis, De gestis Friderici lib. II. c. XII. *quæ terra producere solet, vsui necessariis, exceptis vix bubus & seminibus, ad excolendam terram idoneis, de cæteris quantum necesse fuerit, militi profuturis, ad regios vsus suppeditare æquum illi arbitrentur.* Capitul. Caroli M. lib. IV. c. XXX. c. LXIX. & c. LXXIII. Vet. Formul. apud Pithœum, in Glossar. paratas, *pastus* rectè agnominat. *Non ad mansionaticos vel repastos exigendum*, ibidem, *non pro pasto exigendo, non pro mansionatico requirendo.* Illud addam, paratarum munus non ad hospitis priuati tantum onus pertinuisse, sed videri sumptus illos publicè collectos ab incolis præstitos. Id colligo tum ex verbo *publicè*, quod sæpè titulo, De tractoriis Codd. Theod. & Iustinian. repetitur, tum ex Capitul. lib. IV. c. LXIX. *vt missi nostri, qui vel episcopi, vel Abates, vel Comites sunt, quandiu propè suum beneficium fuerint, nihil de aliorum conjecto accipiant. Postquam vero inde longe recesserint, tunc accipiant secundum quod in sua tractoria continetur. Vassi vero nostri & ministeriales, qui*

qui missi sunt vbicumque venerint, conjectum accipiant: conjectum, hoc est contributionem, symbolum, collectam. Quò pertinet & illud Greg. Turon. lib. VI. c. XLV. de Childeberti R. filia, quæ in Hispaniam nuptura ducebatur: *Adparatus quoque magnus expensæ de diuersis ciuitatibus in itinere congregatus est: in quo nihil de fisco suo Rex dari præcepit, nisi omnia de pauperum conjecturis.* Vbi conjecturæ, quæ superioribus locis conjecta dicuntur.

FIDEIVSSORES TOLLERE.] id est cogere, vt subditi ecclesiæ & in ecclesiastica terra degentes, aut statim ad iudicis audientiam pergant & iudicatum faciant, aut si velint dimitti fideiussores seu vades iudicio sistendi causa præstent. In summa hoc agitur ne iudex, aut minister regius in terris quibus immunitas cõcessa est ius dicat, & iustitiam exerceat. Greg. Turon. lib. IV. c. XLIII. *Albinus de sede exiliens, adprehensum archidiaconum coarctat. Pro quo nunquam obtinere potuerunt, nec episcopus, nec ciues, nec vllus maior natu, nec ipsa vox totius populi acclamantis, vt datis fideiussoribus diem sanctum archidiacono liceat cum reliquis celebrare, atque accusatio eius in posterum deberet audiri, &c.* Idem lib. VIII. c. XII. *episcopum vallat, fideiussores requirit, & ad præsentiam Regis Guntchranni direxit.* & lib. VIII. c. VII. & c. XLIII. lib. IX. c. VIII. Capitul. Caroli M. lib. III. c. XXXIV. *De his qui legem seruare contempserint, vt per fideiussores ad præsentiam Regis deducantur.* lib. V. c. CXLVII. & passim. Marculfus infra lib. I. ca. XXVII. & XXVIII. Hincmarus ep. ad Sigloardum apud Flodoard. lib. III. ca. XXVIII. Multa diplo-

mata habent *fideiussores requirere.*

MANVS NOSTRÆ SVBSCRIPTIONIBVS] Cæsares olim propria manu libellos, rescripta, edicta subnotasse testãtur historiæ Augustæ scriptores Lampridius in Alexandro, Vopiscus in Carino, & alij sæpè. Et in Valentin. Nouell. Magnus Cuiacius obseruat hæc verba *Diuina manu*, huncque morem apud Cõstantinopolitanos Imperatores durasse notat ad lib. x. Cod. Vnde & Regibus nostris adhuc hodie propriæ manus adnotatio in vsu est. Tũc autem subscriptionis nomine de qua heic Marculfus agit, signum illud & caracter continebatur, totius nominis litteras implexas referens, qualia in vetustis Regiis & Imperatoriis diplomatibus videre est: quod & doctissimus Freherus existimauit. Alibi dicitur *manu nostra firmauimus.* Vnde & in Capitul. Benedicti Leuitæ lib. VI. c. CCXVII. *manu firmationes* dicũtur.

CAP. IV CONFIRMATIO DE EMVNITATE.] quæ à Regibus successoribus solita peti, solita & indulgeri: infra c. XVI. & XVII.

PER SVAM AVCTORITATEM.] Auctoritatis nomine heic & superiori capite intelligitur diploma, pragmaticum, seu vt sæculi etiam verbis vtar, præceptum regium, ea forma descriptum qua maiorem auctoritatem habiturũ erat, & vt puto, manu propria Regis subscriptum, & anulo seu sigillo principis munitum, qua in re ab indiculo differt, vt mox adnotabimus. Gregor. Turon. lib. IX. c. XXX. *Sed protinus epistolam, cum auctoritate miserunt, ne populus Turonicus pro reuerentia S. Martini describeretur.* & cap. XLII. In Radegondis epist. *per auctoritates*

præcellentißimorum domnorum regum Chariberti, Guntchranni, Chilperici & Sygiberti, cum ſacramenti interpoſitione & ſuarum manuum ſubſcriptionibus obtinui confirmari. Capitul lib. I. CLXXXVIII. vbi de conſtitutione quadam Ludouici pij de ordinatione ſeruorum agitur, *in ambone ipſa auctoritas coram populo legatur, & coram ſacerdotibus, vel coram fidelibus laicis ante cornu altaris, ſicut in noſtra auctoritate continetur, &c.* Synodi Pariſienſis an. DCCCXLVI. quæ vulgo Meldenſis dicitur, cap. LXXI. *Vt auctoritatem ſigillo Regio roboratam, more tractoriæ Chriſtianißimus princeps donet ſingulis epiſcopis, &c.* Præceptum Dagoberti de fugitiuis. *Vt autem hæc noſtra auctoritas plenioremi & firmiorem in Dei nomine obtineat vigorem, manu propria nos & ſancta ſynodus noſtra eam ſubter decreuimus roborari.* DATA SVB DIE VII KL. IVN. ANNO V. REGNI CLIPIACO.

PRÆCEPTVM DE EPISCOPATV.] Formula eſt, vt & lemma oſtendit, qua Rex, cum primum de obitu alicuius epiſcopi certior factus eſt, ad epiſcopum metropolitanum ſcribit, & præcipit vt virum illum à ſe probatum & electum, in epiſcopum ordinet & benedicat. Id quoque *præceptum de epiſcopatu*, dicit Gregor. Tur. lib. VI. c. VII. de Vcecenſi eccleſia: *Iouinus iterum qui quondam prouinciæ rector fuerat* REGIVM *de epiſcopatu* PRÆCEPTVM *accipit*, & lib. VII. c. XXXI. *præceptionem* vocat: *Nuper in Aquenſi vrbe epiſcopus obierat. Et Nicetius Comes loci illius, germanus Ructici, vici Iulienſis epiſcopi* PRÆCEPTIONEM *ab Chilperico elicuerat, vt tonſuratus ciuitati illi ſacerdos daretur.* Quod tum receptum fuiſſe hæc formula docet, idemque CAP. V.

Gregor. Turon. multis locis testatur, lib. III. c. 11. *Cum hæc Theoderico nuntiata essent, iussit inibi sanctum Quintianum episcopum constitui, & omnem ei potestatem tradi ecclesiæ. Et statim directi nuntij conuocatis pontificibus & populo eum in cathedram Aruernæ ecclesiæ locauerunt*: lib. IV. c. XVIII. *Cum Pietius episcopus ab hac luce migrasset, apud Parisios ciuitatẽ, Pascentius ei succedit ex iussu Regis Chariberti*: alibi *Rege ordinante, & Rege eligente*, vt li. VI. c. XV. & lib. VIII. c. XXXIX. Idem refert sanctissimam vocem illam Guntchranni R. lib. VI. c. XXXIX. vbi de Bituricensi episcopatu. *Post hæc Sulpitius in ipsa vrbe ad sacerdotiũ Guntchranno Rege fauente præeligitur. Nam cum multi munera offerrent, hæc Rex episcopatum quærentibus respondisse fertur, Non est principatus nostri cõsuetudo sacerdotiũ venundare sub precio, sed nec vestrum eum præmiis comparare: ne & nos turpis lucri infamia notemur, & vos mago Simoni comparemini.* Idipsum notat lex Baiuuar. tit. I. ca. X. *Si quis episcopum quem constituit Rex, vel populus sibi elegit pontificem occiderit, soluat eum Regi vel plebi aut parentib. secundum hoc edictum*, &c. Synodus Aurelianensis V. sub Childeberto R. cap. X. *Vt nullum episcopatum præmijs, aut comparatione liceat adipisci, sed cum voluntate Regis iuxta electionem cleri & plebis, sicut in antiquis canonibus continetur, consensu cleri ac plebis à metropolitano, vel quem vice sua miserit à comprouincialibus pontificibus consecretur.* Id à Regibus continuatum declarant cuiusque temporis historici. De Carolo Martello Flodoardus. l. II. c. XII. De Carolo M. Sangallensis lib. I. c. III. vbi Carolus his qui litteris operam dabant, *nunc*, inquit, *ad perfectum*

attingere studete, & dabo vobis episcopia & monasteria permagnifica, & c. IV. V. & VI. HLudouicus R.ait Chronic.Besuense.*Bictone episcopo defuncto Albericum virum dignum episcopatu ecclesiæ Lingonẽsi restituit.* & passim de aliis apud historicos. Ex quibus apparet, vt & ex hac formula, non obseruata fuisse Synodi Parisiensis decreta, quæ Childeberti R. tempore, pontificante Germano, habita est. cap. VIII. *Nullus ciuibus inuitis ordinetur episcopus, nisi quem populi & clericorum electio plenissima quæsierit voluntate, non principis imperio, neque per quamlibet conditionem contra metropolis voluntatem, vel episcoporum prouincialium ingeratur.* Quod quodammodo repetitum extat in Synodo Rhemẽsi sub Sonnatio episcopo celebrata apud Flodoard. li. II. c. V. Nisi dicas synodi mentem fuisse electionem firmare, ius Regis non infringere, sed metropolitani consensum exquirendum esse: quod probari posset ex Gregor. Turon. lib. IV. cap. XXVI. vbi de Santonensi conuentu agit. Vnde & postea eadem moderatione Hincmar. ep. III. c. IX. *consensu principis terræ, electione cleri & plebis, & approbatione episcoporum prouinciæ* episcopũ ordinari debere scribit. Quò pertinet & eiusdem clariss. præsulis epistola ad Hugonem Abatem apud Flodoard. l. III. c. XXIV. *ostendens quod non episcopi de palatio, &c.* Sanè hodie absque controuersia Reges nostri nominandorum antistitum ius retinent, ex pacto cum summis Pontificibus & sede apostolica facto.

ASSIDVÆ PRÆDICATIONIS.] Munus id episcopale. S. Augustinus Confession.

lib. VI. c. III. de B. Ambrosio. *Et eum quidem in populo verbum veritatis rectè tractantem omni die dominico audiebam.* Eius rei edictum Caroli M. memorat Sangallensis lib. I. c. XX *Præcepit religiosissimus Carolus Imperator, vt omnes Episcopi per latissimum regnum suum, aut ante præfinitum diem, quem iste constituerat, in ecclesiasticæ sedis basilica prædicarent, aut quicumque non faceret, episcopatus honore careret:* quibus festiuam narrationem de quodam episcopo subiungit.

VNA CVM PONTIFICIBVS VEL PROCERIBVS NOSTRIS PLENIVS TRACTANTES.] Videlicet vt magis ritè & secundum canones electus videretur, non Regis tantum imperio constitutus. infra c. seq. *De cuius successore sollicitudine integra cum pontificibus, vel primatibus populi nostri pertractantes.* Gregor. Turon. lib. IV. ca VII. de Cautino Aruernensi episcopo. Carlomannus Dux & Princeps Francorum in Synodo habita anno DCCLII. apud Benedictum Leuitam lib. V. c. II. *Et per consilium sacerdotum & optimatum meorum, ordinauimus per ciuitates episcopos, & constituimus super eos archiepiscopum Bonifacium, qui est missus sancti Petri.*

ACTIO PROBATA.] i. officium. Vide infra ad cap. XI.

NOBILITATIS ORDO SVBLIMAT.] Tunc enim non alij quàm nobiles episcopi fiebant quod passim apud Sidonium & Gregorium Turonensem obseruare licet. quin & in Abatibus idem quodammodo exigebatur. Ludouicus Pius de S. Martini cœnobio, *Post illius (Eridegisi) autem decessum fratres habeant facultatem*

tem eligendi de ipsis Abatem, quem optimum & nobilitate generis, & probitate morum, & in scripturis eruditum, &c.

BENEDICI.] hoc est consecrari: vtroque enim vocabulo vtebātur. Gregor. Tur. lib. VIII. c. XX. *ea conditione remouetur, vt eum Bertchrannus, Orestesque seu Palladius qui eum benedixerant, vicibus pascerent.* lib. IV. cap. VI. *Veni, consenti nobis, & benedicentes consecremus te ad episcopatum.* Quamquam postea receptum sit vt *consecrari* dicantur episcopi, Abates *benedici*, cap. I. De suplend. negligent. prælat. cap. Cum contingat. De ætate & qualit. ordinand. Heic autem apparet Regem ad metropolitanum episcopum scribere, cuius officij illud erat, vt confirmaret suffraganeos, & cum aliis prouinciæ episcopis consecraret. Ideoque additur *cum adunatorum caterua pontificum* & cap. seq. *iunctis vobis cum vestris comprouincialibus, ipsum in supra scripta vrbe consecrare.* Synodi Nicænæ can. IV. τὸ δὲ κύρος τῶν γινομένων δίδοσθαι καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν τῷ μητροπολίτῃ. Synodi Antioch. c. XIX. Ἐπίσκοπον μὴ χειροτονεῖσθαι δίχα συνόδου καὶ παρουσίας τοῦ ἐν τῇ μητροπόλει τῆς ἐπαρχίας. Martinus Bracarensis in collect. can. c. III. & IV. Hincmarus aduersus Hincmarum Laudunensem, qui nondum typis editus, sed ex bibliotheca illustrissimi præsidis Iac. Augusti Thuani, à docto & pio viro breui lucem expectat. Sic igitur ille cap. VI. in quo præclarè metropolitani episcopi iura summatim recenset: *Si in Rhemensi prouincia præter meam sententiam quis fuerit à quibuscumque & quantiscumque prouinciæ huius episcopis factus episcopus, sicut mystica*

Nicæna Synodus diffiniuit, non oportet eum esse episcopum. Si autem communi caterorum decreto episcoporum rationabili, & secundum regulam ecclesiasticam comprobato, tu aut alij duo tui complices tecum propter contentiones proprias contradixeritis, mea cum pluribus ad ordinandum episcopum obtinebit sententia, & mihi non tibi firmitas eorum quæ geruntur de ordinationibus, vel alijs rebus ecclesiasticis in Rhemensi prouincia tribuetur: in qua si fuerit defunctus episcopus, ego & non tu visitatorem ipsi viduatæ designabo ecclesiæ, & electionem cum decreto canonico præcipiam fieri. Et si in partes se eligentium vota diuiserint, meum, & non tuum erit eligere, qui maioribus ad ordinandum studijs iuuetur & meritis: & meum est ordinandum examinare, non tuum: tuum est autem cum alijs mecum ordinare episcopum, & litteris canonicis, quas ordinatus ab ordinatoribus suis iubetur accipere, post me in tuo loco subscribere.

CAP. VI INDICVLVS REGIS AD EPISCOPVM VT ALIVM BENEDICAT.] Caput hoc eiusdem cum superiore argumenti esse titulus testatur. Verum hanc inesse puto differentiam, quod superius *præceptum* inscribatur, maioris scilicet auctoritatis diploma, manu propria principis subscriptum, & annulo fortè munitum, vt supra de auctoritate diximus. Istud vero *indiculus* dicitur, quem, vt existimo, rectè epistolam absque sigillo dixeris. Id colligo ex Capitul. lib. III. c. LVIII. *Et si consacramentales homines cum ipso venire renuerint, iussione dominica, aut indiculo, aut sigillo ad palatium venire cogantur*: Ergo indiculus & sigillum discreta sunt, & indiculus absque sigillo est. Indiculi vero nomine

nil frequentius æuo illo.

ILLI EPISCOPO.] Metropolis antistitem *archiepiscopum* dixisset si sæculi tulisset vsus. Per ea namque tempora, archiepiscoporum appellatio vixdum in occidente vsurpari cœperat: solique patriarchæ ita designabantur, quod postea metropolitanis communicatum hodie retinemus.

CONCESSIO CIVIVM PRO EPISCOPATV.] Ita Ms. titulum concipit, magis tamen placet CONSENSVS CIVIVM, in quo capitulorum index, & extrema capitis verba consentiunt. Nisi *consensionem* quis malit. Igitur hac formula plebs pastore destituta, Regem ea de re certiorem facit, & suppliciter postulat, vt virum aliquem in episcopum illis concedat. Id solitum fieri ex Gregor. Turon. apparet, lib. IV. c. XXVI. vbi de Santonensi conuentu: *Quo electo consensum fecerunt in Heraclium tũc Burdegalensis vrbis presbyterum, quem Regi Hariberto subscriptum propriis manibus per nuncupatum presbyterum transmiserunt, qui veniens Turonos rem gestam beato Eufronio pandit, deprecans vt hunc consensum subscribere dignaretur.* Et postea, *consensum ad te direxerunt, vt alius in loco eius substituatur.* lib. VIII. c. XXII. *cum muneribus & consensu ciuium ad Regem properat, sed nihil obtinuit.* Idem de B. Gregorij PP. electione initio lib. X. *comprehenso disruptis epistolis consensu, quem populus fecerat, Imperatori direxit.* Quò pertinet & Synod. Aurelianensis V. can. XI. *Nullus inuitis detur episcopus, sed nec per oppressionem potentium personarum ad consensum faciendum ciues aut clerici inclinentur.*

CAP. VII.

SENIORI COMMVNI ILLIVS.] Nullus vt apparet sensus. Itaque minima vel nulla mutatione legendum *illi Regi vel seniori, communi illius* ciuitatis nempe, τὸ κοῖνον. Populus enim conueniens de electione tractabat, & consensu in aliquem facto, eius relationem scriptam & subscriptam ad Regem dirigebat: vt hæc formula testatur, & Gregorius Turon. Seniorem vero pro domino vsurpari, iam attigimus, & notius est quam vt probatione egeat.

CAP. VIII. CHARTA DE DVCATV, PATRITIATV AVT COMITATV.] Litteræ sunt principis, quibus prouinciæ vel ciuitati rectores destinat, qui, aut Patritij, aut Duces, aut Comites vocantur. Hanc formulam iam edidit eruditissimus vir P. Pithœus, flos litteratorum, litterarumque verè parens, in opere quod de Campaniæ patriæ suæ comitibus edidit. Nos ex archetypo iterum repræsentamus.

ACTIONEM COMITATVS, DVCATVS, PATRITIATVS.] Actionem, i. officium: inde agentes, infra cap. XI. *omnibus agentibus*. i. officialibus, ministris, vbi nos plura. De Comitatu vero & Ducatu pauca heic attingere ad Marculfi illustrationem non piget. Et quidem de comitatu illud primum occurrit, videri nihil omnino commune habere cum Germanis illis comitibus de quibus agit Tacitus, vt quidam scripsere. Comites enim ille dixit, Latini sermonis proprietate, eos qui officij causa maiores comitantur. Itaque hic magistratus à Francis vsurpatus merè origine Romanus est, non illius quidem

veteris reipublicæ, nec initio florentis imperij, sed posteriorum temporum: quibus Comitis nomen variis magistratibus tributum fuit, atque adeo ciuitatum rectoribus. Vt remota omittam, Comites Massiliæ apud Sidonium legimus lib. VII. epist. II. & Comitiuæ Syracusanæ & Neapolitanæ formulas, lib VI. Variarum Cassiodorus scripsit, quarum si munia cum nostris conferas, eadem prorsus apparebunt. Ille enim *iudices* eos vocat cap. XXII. XXIII. & XXIV. & ciuilia negotia examinare dicit, itidemque eos *exercitum habere*, & prouinciam custodire. Ideoque in formula Comitiuæ prouinciæ lib. VII. *Quamuis omnium* (inquit) *dignitatum officia à manu secludantur armata, & ciuilibus vestibus videantur induti, qui districtionem publicam docentur operari: tua tamen dignitas à terroribus ornatur quæ gladio bellico, rebus etiam pacatis accingitur.* Per singulas prouincias, Comites à Theoderico Italiæ R. mitti solitos eodem libro docet, qui inter Gotthos, aut Gotthum & Romanum ius dicerent, & iudices etiam vocat: Vt rectè definierit Suidas Comitis verbum, dum populi magistratum vocat. Κόμης, ὁ λαὸς ἄρχων. nec aliter sanè Hesychius. Quæ omnia Comitis etiam apud Francos veteres munus describant. Singulis enim tum ciuitatibus Comites præerant, quorum potestas iisdem quibus episcopi finibus distincta erat. Gregor. Turonens. lib. VI. cap. XXII. *Rex igitur peruasis Chilpericus ciuitatibus fratris sui, nouos Comites ordinat, & cuncta*

iubet sibi vrbium tributa deferri. cap. XLI. *Misitque ad duces & comites ciuitatum nuntios, vt muros componerent vrbium.* Idem sæpe eos iudices, nõ Comites, vocat: sed lib. VII. cap. XLII. seipsum interpretatur: *Post hæc edictum à iudicibus datum est, vt qui in hac expeditione tardi fuerant damnarentur. Biturigum quoque Comes misit pueros suos, vt in domo Beati Martini, &c.* lib. VIII. cap. XVIII. *Gundobaldus comitatum Meldensem super Guerpinum (inuasit) ingressusque vrbem, causarum actionem agere cœpit. Exinde dum pagum vrbis in hoc officio circumiret, in quadam villa à Guerpino interficitur.* Sic enim locum mutilum, vno verbo restituo. Idem de Gloria Confessor. cap. X. & de Vita patrum in S. Nicetio, & passim. Synodi Cabilonensis II. sub Carolo M. c. XX. *Comites, qui post Imperialis apicis dignitatem populum Dei regunt.* Hincmarus, epistola pro episcopis Galliarum & Germaniarũ Christianissimo principi, quæ prima inter Busæi Paralipomena excusa est, cap. III. *Huius gloriosæ domus Dei decorem & locum habitationis gloriæ eius fidelissimè diligere & zelari debent, non solum Episcopi & sacerdotes in sedibus, sed etiam Reges in regnis & palatiis suis, & Regum Comites in ciuitatibus suis, & Comitum Vicariy in plebibus, & quicumque patresfamilias in domibus suis.* Horum officium & munus *in pace & iustitia facienda* præclarè traditur in Capitul. lib. II. c. VI. & lib. IV. c. V. Qui tandem extremo dominationis Carolinæ stirpis, ex ministris Domini facti latè dominati sunt, donec pristinæ dignitati sensim regnum restitutum. Nec vero omittendum est Comitum officium sub prima Regum nostrorum familia non ad

vitam fuisse, vt quidam scripserunt. Ad certum namque tempus eos tum constitutos mihi cōstat, ex multis Gregorij locis, quorum insignis est lib. IV. cap. XXXVI. vnde apud eum frequenter hæc verba leguntur, *ex præfecto, ex comite, ex duce, ex vicario*, & ille remotorum exempla recenset. Quod item à Romanis desumptum dubitari non potest, qui magistratus omnes ad certum tempus designatos habuere. Ideoque in Cassiodori Formulis lib. VI. & VII. omnibus ferè adscribitur, *per indictionem illam*. Duces autem Romani rei bellicæ & exercitibus regendis tantum præpositi erant, inde Duces Limitum in Notitia Imperij, & Ducis Rhetiarum Formula apud Cassiodor. lib. VII. Apud Francos vero præerant quidem exercitui: verum & ius quemadmodum Comites dixisse, hæc formula ostendit, & ex Gregorio Turonensi planum est. Comitibus honore & potestate superiores fuisse constat, pluresque Comitatus & Comites, eorum curæ committebantur. Gregor. Turon. lib. VIII. c. XVIII. *Nicetius per emissionem Eulalij à comitatu Aruerno submotus, ducatum à Rege expetiit, datis pro eo immensis muneribus. Et sic in vrbe Aruerna Ruthena atque Vcetica dux ordinatus est.* cap. XXVI. *Turonicis atque Pictauis Ennodius Dux datus est.* Ex quibus liquet duodecim Comites sub cura Ducis necessariò non fuisse, vt quidam aiunt. Sanè in Annalibus Pipini, quæ Aimoino subiunctæ sunt, lib. IV. c. LXI. ita scriptum legitur: Pipinus *domum reuersus Grifonem more Ducum duodecim comitatibus donauit.* Quod si verum est, Pipini tantum æuo id obseruatum

dici debet : superiora namque Gregorij exempla aliud notant Scitè Vvalafridus Strabo, peruetustus auctor, qui dominante secunda Regum nostrorum familia claruit, in libro quem ille De rebus ecclesiasticis scripsit, cap. XXXI. vbi sæculi & ecclesiæ dignitates comparat, Comites Episcopis, Duces Metropolitanis assimilat, *Archiepiscopos, qui ipsis metropolitanis præminent, Regibus conferamus. Metropolitanos autem Ducibus comparemus, quia sicut Duces singularum sunt prouinciarum, ita & illi in singulis prouinciis singuli ponuntur. Vnde in Calchedonensi concilio iubetur, Ne vna prouincia in duos metropolitanos diuidatur. Quod Comites vel præfecti in sæculo, hoc Episcopi cæteri in ecclesia explent.* Sic ille. De Patriciis vero c. XXXV. dicetur.

VIDVIS ET PVPILLIS MAXIMVS DEFENSOR.] Ita etiam Ludouicus Pius Comites admonet Capitul. lib. II. c. VI. *Pupillorum & viduarum & cæterorum pauperum adiutores & defensores sitis.* Sed præstat caput longius exscribere, huic enim formulæ planè genuinum est, & omnino ad illustrationem & explicationem non huius tantum loci, sed & superiorum, & sequētium clausularum confert. *Proinde monemus vestram fidelitatē, vt memores sitis fidei nobis promissæ, & in parte ministerij nostri vobis commissi, in pace scilicet & iustitia facienda, vosmetipsos coram Deo & coram hominibus tales exhibeatis, vt & nostri veri adiutores, & populi conseruatores iustè dici & vocari possitis: & nulla quælibet causa, aut munerum acceptio, aut amicitia cuiuslibet, vel odium aut timor, vel gratia ab statu rectitudinis vos deuiare compellat, quin inter*

proximum & proximum semper iustè iudicetis. Pupillorum vero & viduarum & cæterorum pauperum adiutores & defensores, & sanctæ ecclesiæ vel seruorum illius honoratores, iuxta vestram possibilitatem sitis. Illos quoque qui temeritate & violentia in furtis & latrocinijs, siue rapinis communem pacem populi perturbare moliuntur, vestro studio & correctione, sicut decet compescite, &c. Synodus Ticinensis sub Ludouico Italiæ R. *Vt singuli Comites* (ita lego, non *conuentus*, vt vitiosè editum est) *& exactores Reip. in suis ministerijs legalem procurent facere iustitiam, pupillos & viduas protegant, per loca solita restaurent palatia, quibus cum iter dictauerit nos legatosque nostros valeant recipere.* Optimè viduarum & pupillorum causa commendatur magistratibus, quos contra improbus ille certissimam esse prætoribus prædam dicebat. Præclarum etiam illud vt viduarum, pupillorum, pauperum causæ ante meridiem audiantur & definiantur, & causæ regiæ & potentum post meridiem, Capitul. lib. II. cap. XXXIII. & lib. IV. cap. XVI.

IN FISCI DITIONIBVS SPERATVR] Comites tributa etiam curasse, & ærario intulisse vel hic locus euincit. Illud quoque confirmat Gregor. Turon. lib. VI. c. XXII. & lib. VII. c. XXIII. & Cassiodor. lib. VI. c. XXI. rectori prouinciæ id muneris adscribit. Exemplar vc. Pithœi *fisci dicationibus* habuit, cuius loco rectius in Reg. *ditionibus* scriptum est.

INDICVLVS AD ALIVM REGEM.] CAP. IX epistola est à Rege ad alium Regem scripta, legatis etiam missis.

FRATRI ILLI REGI.] Vt hodie, ita tum quoque mutuo se Reges fratres dicebant. Alaricus R. ad Chlodoueum R. apud Gregor. Turon. lib. II. c. XXXV. *si frater meus velit.* Chosroes Persarum R. in epist. ad Iustinianum, in Menandri Protectoris Excerptis De legationibus Χοσρόης βασιλεὺς βασιλέων, &c. Ἰουστινιανῷ Καίσαρι ἀδελφῷ ἡμετέρῳ, & alibi apud eundem ἀδελφότης. Posset tamen dici hoc capite Regem fratrem vocari, quod eo sæculo vixerit auctor, quo regnum inter fratres diuisum erat: sed superior interpretatio verior est.

CAP. XI TRACTORIA LEGATORVM.] Tractoriarum vsum à Romanis mutuatũ esse hæc formula indicat. Sunt autem diplomata, quæ dantur missis vel euocatis à Principe, vt cursu publico vti possint, quem alioqui absque diplomate vsurpari fas non erat: adscriptis etiam locis & mansionibus, quibus sumptu publico ali debent. Commeatus enim in itinere præstandus definiri his litteris solebat, vt hæc quoque formula exemplo est. DIplomata simul vocari insignis locus Plutarchi in Galba ostendit, καὶ τὰ καλέμματα διπλώματα σεσημασμένα δόντων ἀγωνιζόντες οἱ κατὰ πόλιν ἄρχοντες ἐν ταῖς τῶν ὀχημάτων ἀμοιβαῖς, ἐπταχύνουσι τὰς πόμπας τῶν χρηματοφόρων: & ille postmodum Imperator, qui quod sine diplomatibus cursum vsurpasset, pedibus iter facere coactus est. *De tractoriis & statuis* titulus extat Cod. Th. & Cod. Iustinian. lib. XII. vbi plura Magnus Cuiacius, qui hanc Marculfi formulam integram inserit, quam tamen puriorem auctore exhibere conatus est, nos fide auctoris

auctoris edidimus. Tractorias igitur à Francis frequentatas Marculfus docet, posteaque Caroli æuo durasse ex Capitul. patet. lib. IV. c. XXX. *Si quis litteras nostras despexerit, id est tractoriam, quæ propter missos recipiendos dirigitur*, &c. Quid vero vnicuique in itinere commeatus præstari deberet, Tractoria signabatur. Capitul. lib. IV. c. LXIX. *missi accipiant secundum quod in sua tractoria continetur*. Idque variè pro dignitate & qualitate (vt capitula dicunt) personarum, vt ecce plus episcopo, quem Rex mittebat, Abati & Comiti non tantum, minus autem Vasallo decernebatur, quemadmodum Capitul. comprehensum est. lib. IV. c. LXXII. *episcopo panes* XL. *friscingæ tres, de potu modij tres*, &c. quæ huius formulæ speciem referunt. Verum Marculfi & Caroli M. temporibus non eò pertinuisse tractorias arbitror, vt cursus publici vsum concederent, qui nullus tum erat, sed vt equi, mansiones, sumptus & viatica missis à principe directis, aut ab eo euocatis à subditis & prouincialibus suppeditarentur, qui mansionaticorum & paratarum oneri tenebantur, qua de re supra cap. III. Paratas enim pro speciebus, quæ in hac tractoria recensentur accipio. De Paratis capitula Caroli & Ludouici apud Carisiacum, *constituite Comites & ministros Reip. qui non diligant munera, &c. qui illorum friscinkas non prædentur. Custodiant syluas, vnde habeant pastionem, defendant & excolant prata, vnde habeant pabula: quatenus non sit necesse vobis per quascumque occasiones, quorumcumque hortatibus, circuire loca Episcoporum, Abatum, Abatissarum, vel Comitum, & maiores*

quàm ratio postulat paratas exquirere, & pauperes ecclesiasticos, & fidelium vestrorum mansuarios, in carrucaturis & paraueredis exigendis grauare. Tractorias olim apud Romanos non tantum imperator dabat, sed & præfectus prætorio & magister officiorum: leg. IX De cursu publico, lib. XII. Cod. hæc vero formula nomine Regis inscripta probat non ab aliis quàm à Rege Francorum concedi solitas. Itaque petierunt Galliæ Episcopi à Carolo Caluo R. vt id illis tribueretur. Synodi Meldensis C.LXXI. *Vt authoritatem sigillo Regio roboratam, more tractoriæ Christianissimus princeps singulis donet episcopis.* Sane hoc ius singulari beneficio quibusdam concessum fuisse non negauerim. Nam & in tabulario Corbeiæ monasterij in Ambianis sunt Theoderici R. litteræ, quibus ille Abati Corbeiæ & successoribus indulget, vt tractoria vti possit, cuius species quæ præstari deberent, vt in hac formula recensentur Attamen inter Formulas incerti auctoris vna extat, quæ *Tractoria pro itinere peragendo* inscribitur, & ab Episcopo cuidam qui Romam orationis causa petit traditur: & inter Varias cap. XV. alia est peregrinationis item causa à Maiore domus concessa. Et ambæ quidem precibus conceptæ sunt, vt religionis causa peregrino mansionem, focum, panem & aquam tantum largiri velint illi per quos iter facturus est, dominumque eis retributurum. Vna vero etsi eodem ferè stylo, à Maiore domus, qui tum Regis vices agebat scripta est, precibus tamen agit, quia extra ditionem: Ita tractoriæ vocabulum latius exten-

sum est. Si quidem Carolus M. in præcepto S. Dionysij de mercato, quo telonea & omnigeneris tributa ad mercatum venientibus remittit, illud ipsum tractoriam vocat, *per hanc nostram tractoriam*: Itidemque HLudouici Pij de ipsa re diploma *Tractoria* dicitur.

OMNIBVS AGENTIBVS.] Cuiacius adiecit *in illo loco*, quasi dicas, omnibus qui ibi degunt & habitationem habent. non satis conuenienter, & præter auctoris mentem. Nec est etiam quod ad Agentes in rebus quis referat, quorum in Romano imperio erant scholæ sub Magistri officiorum dispositione, qui variis officiis & ministeriis destinabantur, & in frumētariorum locum successisse Aurel. Victor testatur: de quibus titulus est lib. XII. Cod. & ab Ammiano Marcellino & BB. Ambrosio & Augustino sæpius memorantur, quod planè alienum est ab Agentibus ad quos hæc formula. Itaque eius vocabuli interpretatio ex eodem sæculo, non aliunde petenda est. Vnicum è S. Dionysij scriniis diploma id præstabit. Præceptum Dagoberti R. de fugitiuis: *Dagobertus Rex Francorum vir illuster, Omnibus Episcopis, Abatibus, Comitibus, Centenariis, Vicariis & cæteris Agentibus nostris.* Idem de mercato *Dagobertus Rex Francorum vir inluster, Leutone, Vulfione, Raucone Comitibus, & omnib. Agentibus nostris, Vicariis, Centenariis, & cæteris ministris Reip. nostræ.* Vbi palam est agētes non aliud quàm ministros & officiales regios designare. Actionis quippe nomine officium significabatur. Marculfus supra cap. VIII. *Ideo actionem Comitatus, Ducatus, Patriciatus in pago*

illo, quam anteceſſor tuus videtur egiſſe tibi ad agendum regendumq. cõmiſimus. Sic Synodi Aurel. IV. c. XIII. *publicis actionibus applicare.* Synodi Rhemenſis, ſub Sonnatio Epiſcopo apud Flodoard. lib. II. c. V. inceſti *communione priuentur, & neque in palatio militiam, neque agendarum cauſarum licentiam habeãt.* i. non vt poſtulare nõ poſſint, ſed ne officij exercendi facultatem habeat. Nam & Gregor. Turon. lib. VIII. c. XVIII. comitem *cauſarum actionem agere* dixit. Eodem pertinet & Gregorij Tur. inſignis locus lib. IV. c. XLII. de Mummolo, cuius pater Autiſiodorenſem Comitatum regebat. *Cumque*, inquit, *ad renouandam actionem, munera Regi per filium tranſmiſit*, &c. qui locus etiam oſtendit quod ſupra diximus, Comitatus ad certum tempus tunc datos, muneribuſque continuationem impetratam. Actor autem dominicus, de quo apud Gregor. Tur. lib. IX. c. XXXVIII. & in Capitul. lib. IV. cap. III. & XLI. aliud eſt, nam pro Rationali, & procuratore fundi alicuius regij accipitur.

EVECTIO.] Gregor. Turon. lib. IX. cap. IX. *datis litteris, & pueris deſtinatis cum euectione publica.* Plura apud Cuiacium ad leg. III. De curſu publico. lib. XII. Cod.

VEREDOS SEV PARAVEREDOS.] Procopius de bello Perſico lib. II. ὁ δὲ ἵππος δημοσίοις ὀχήμασι, ὃς δὴ βερέδους καλεῖν νενομίκασι. Multa Cuiacius ad tit. de curſu publico. & FR. Pithœus in Capitul. Gloſſar. ad quos lectorem remitto. Enumerationis vero quæ ſequitur nõ diſſimilia ſunt principalia reſcripta de annonis ſingulis diebus certis perſonis præſtandis, apud

Trebellium Pollionem & Vopiscum.

AVCAS] Anseres habet Cuiacius, & recta est interpretatio, sed *aucas* sæculi vocabulo scriptũ fuisse fides Ms. testatur. Leg. Alaman. tit. XCVIII. 18. *si auca fuerit inuolata.* 19. *si accipiter qui aucam mordet.* In Traditione bonorum in villa Hostheim anno DCCCLXXVI Traditionum Fuldensium lib. II. *Oues* XL. *Aucæ* XVIII. *pullilli* II. *capones* II. quod nomen etiam hodie Aquitani retinent.

FACVLAS TANTAS] ligni scilicet, in epistola Valeriani ad procuratorem Syrię apud Trebellium Pollionem, *ligni quotidiani pondo mille*, nam & in quibusdam locis vbi rarius est appenditur, vt ibidem eruditissimus Casaubonus obseruauit.

PRÆCEPTVM DONATIONIS.] inter virum & vxorem, vt series ostendit, liberis non extantibus, vsufructus nomine, ei qui superstes fuerit. Eodem pertinet cap. VII. lib. II. cuius si non eadem omnino verba, eadẽ prorsus mens: verum differentia in eo est, quod hæc ante Regem facta sit, ideoque præceptum dicitur, & inter Regales chartas traditur: altera vero, non antè Regem, sed inter chartas pagenses lib. II. refertur. quæ donationis inter virum & vxorem mutuæ species apud nos: obseruatur, easdemque planè ei leges constituit Parisiorum consuetudo. c. CCLXXX. CAP. XII.

PRO EO QVOD FILIORVM PROCREATIONEM INTER SE HABERE MINIME VIDENTVR.] Hoc casu donationem ita conceptam permittit lex Ribuario-

rum. Tit. L. & LI. *Si quis procreationem filiorum vel filiarum non habuerit, omnem facultatem suam in praesentia Regis sive vir mulieri, vel mulier viro, seu cuicũque libet de proximis vel extraneis, adoptare in hereditatem, vel in adfatimi per scripturarum seriem, seu per traditionem & testibus adhibitis secundum legem Ribuariam licentiam habeat.* Tit. LI. *Quod si adfatimus* (i. donatio) *fuerit inter virum & mulierem, post discessum amborum ad legitimos heredes reuertatur, nisi tantum qui parem suum superuixerit, in elemosina, vel in sua necessitate expenderit.* Id ex Testamento mutuo inter virum & vxorem, Valentiniani Nouella approbato, petitum esse dici potest.

PER MANVM NOSTRAM VISI SVNT CONDONASSE] Sic cap. proximo, *per manum nostram transuulsum.* & paulò pòst, *nobis voluntario ordine visus est læso vuerpisse vel condonasse, & nos prædicto viro illi ex nostro munere largitatis, sicut ipsius illius decreuit voluntas, concessimus.* Leg. Ribuar. tit. L. *in præsentia Regis.* Ideoque & hæc donatio præceptum donationis inscribitur, quod ante Regem peracta sit. Possessionis enim solenniter transferendæ duo tũ modi, aut in iudicio ante Comitem & iudices suos, quos Scabinos dicebant, aut in Regis præsentia in palatio. Quæ causa fuit Marculfo in duos libros opus suum partiendi, vt singillatim horum negotiorum formulas traderet. Capitul. Benedicti Leuitæ. lib. VI. c. CCVII. *Qui filios non habuerit, & alium quemlibet heredem sibi facere voluerit, coram Rege, vel coram Comite & Scabinis vel missis dominicis, qui ab eo ad iustitias faciendas in prouincia*

fuerint ordinati, traditionem faciat. Testamentum vero viri & vxoris Nouella IV. lib. II. Valentiniani approbatum, in præsentia principis fiebat, saltem venia impetrata, & relatione facta. *Nam cum liceat* (inquiunt impp.) *cunctis iure ciuili atque prætorio, liceat per nuncupationem, liceat municipalibus gestis iudicia suprema componere, proculdubio manebit firmior hæc voluntas quæ testimonio Principis & subscriptione conditoris firmatur*, cui congruit l. Omnium. C. de Testament. Vnde hāc donationis formam fluxisse probabile est.

AVT MVNERE REGIO, AVT DE ALODE PARENTVM, VEL VNDECVMQVE] Eandem heic tangit bonorum diuisionem quam supra cap. III. notauimus, Beneficium namque, Alode, & comparatum his verbis significantur *Munere Regio*. i per beneficium Regis, quod postea Feudum dictum est: licet non ignorem à Regibus tunc quoque in proprietatem prædia data, vt infra cap. XVII. Alodi vero rectè parentum nomen subiungitur. Propriè enim Alode illud est quod à parentibus acceptum possidetur. Sic lib. II. cap. IV. VI. & IX. Itaque *comparato* opponitur lib. II. cap. VII. *tam de alode, aut de comparato, vel de quolibet adtractu.* cap XII. *tam de alode paterna quàm de comparato.* Incerti auctor. formul. XLVII. *tam quod alode parentum, quam ex meo contractu mihi obuenit*, & c. XLIX. Formul. Roman. c. XIV. & XXXVIII. Ioannes VIII. PP. Ludouico R. epist. CXXXIX. de Bosonis filiabus, vt eis bona paterna redderentur: *Et pro nostro amore integriter ipsas proprietates, quas vos alodes dicitis, reddat.* Sic quoque heredi-

tas passim pro alode dicitur, leg. Salic. tit. LXII. leg. Ribuarior. tit. LVIII. nam quod in titulo *Alodes* dixerant, in dispositione *hereditatem* vocant. Marculf. lib. II. c. VII. *tam de alode quam de comparato*, eadem postea repetendo, *tam de hereditate parentum quam de comparato*. Vita Caroli M. apud Adhemarum, *ibique multitudo Saxonum baptizata est, & secundum morem, omnem ingenuitatem illorum & alodem manibus surpierunt si amplius immutassent*, quæ eadem Reginoni, *vt perderent ingenuitatem & hereditatem* dicuntur. Traditionum Fuldens. lib. II. Abatissa Emhil donat *propriæ hereditatis suæ terram in diuersis videlicet locis, tam de paterno quam & de materno iure ad me pertinentem*. Alibi sæpe *paternum aut maternum alode*. Rhenanus & Vadianus arbitrantur Alodij vocem inde natam, quod ea bona familiis velut coagmentata & coniuncta essent, à Germanica voce *anlodr*. Tentati posset ab alia Germanica voce originem ducere, *Ald* quæ vetus antiquumque declarat, auctore Auentino in Glossario. quæ notatio ad hereditatis nomen, & paternam terram proximè accedit. Tandem vero & comparatum alode dictum, & generaliter omnis proprietas hoc censita nomine, vt ad Capitula obseruat sæpe nominatus vir magnus FR. Pithœus. In Adnunciatione HLudouici R. *Et illorum alodes de hereditate, & de conquisitu, & quod de donatione nostri senioris habuerunt.*

DRAPPIS.] Synodi Pistensis anni DCCCLXIII. cap. I. *Et sicut quando solemus de istis frequentibus itineribus reuerti ad mansiones nostras detonsi & decaluati, cum drappis & calceamentis depannatis, &*

tunc nos reficimus & reparamus Variar. Formul. cap. VIII. & XIII. *aurum & argentum & drapalia.* Quod panni seu vestimenti genus, hodie nomen apud nos retinet, *drap.*

PRÆCEPTVM DE LÆSIVVERBO PER MANVM REGIS.] Formula est traditionis, per quam possessio in palatio & in regis præsentia transfertur. CAP. XIII.

FIRMISSIMVM.] Quod enim in præsentia Principis actum est omnes solennitates superat. Immo qui *testamentum Regis* (id est instrumentum) *absque contrario testamento falsum clamauerit, non aliunde nisi de vita componat.* Leg. Ribuar. tit. LXII. 7.

PER FISTVCAM.] Tradita videlicet festuca in signum translatæ possessionis. Multis quippe tum vtebantur traditionum symbolis, per glebam, siue terram & herbam vt loquuntur Formulæ incerti auctoris cap. XIX. & XLIII. per virgam aut baculum, Vetus venditionis instrumentum apud Brissonium Form. lib. VI. *Tu pascuti fuste illum inuestito, tu segniti fustem manu capito*, & aliâs sæpe: per chirotecam, Robertus Comes & Abas S. Martini Anno VII. regni Odonis R. *reddimus Dociacum, admoniti, ad eius sepulchrum veniens per guantum nostrum*: per librum vt ad Goffridum Vindocinensem obseruat vir eximiæ eruditionis Iac. Sirmondus, baculosque & chirothecas, & eiusmodi traditionum, symbola multa in tabulario S. Albini hodie quoque extare testatur: per anulum Comitis Vet. Form. *Genitor suus dimisit per fistucam & anulum ipsius Comitis, ipsi aduocato tradidit in sua elee-*

mosyna: per cultellum cum cespite & festuca, Tabularium S. Benigni Diuionēsis, *Fulchardus per Vuadium suum & cultellum suum cum festuca & cespite, coram præsentia bonorum hominum, qui ibidem aderant se exutum fecit, & secundum legem suam missis beati Benigni publicè tradidit, Aldegario videlicet monacho & præposito eiusdem monasterij, & Godefrido nomine tenus monacho, res quas per precium Berthiloni corepiscopo & Abati, atque monachis eiusdem loci vendiderat, accepto librarum* VII. *pretio. Anno* XXVIII. *regnante Carolo* R. Fistucæ vero frequens in eam rem vsus. Marculfus lib. I. cap. XXI. *quod in præsenti per fistucam eas eidem visus es commendasse*, lib. II. c. XIV. *pars parti tradidisse, & per fistucam omnia partitum esse dixisse.* Leg. Salicæ tit. XLVIII. vbi qui modus donationis faciendæ fuerit, & possessionis transferendæ traditur, & tit. LII. Frequentia huius traditionis ex facilitate descendit, quod fistuca obuiam sæpe occurrat. Id luculenter describitur in concessione Guidonis Comitis Pictauorum, quam ego doctissimo viro Ioh. Belio Fontenaiensis apud Pictonas præfecturæ Aduocato Regio, lubens acceptam refero. Dignus profecto, qui in hanc rem exscribatur, locus. *Vobis & omnibus aliis ab hinc inantea permitto, concedo, & ad integrum restituo, terras easdem & cætera omnia cum omnibus pristinis consuetudinibus sicut ipse & mater mea cum illa tenuerunt, & monasterio S. Trinitatis dederunt vt habeatis & teneatis firmissimo stabilimento vos & posteri vestri. Tunc inclinauit se Comes, & accepit* VIRIDEM SCIRPVM, *nam domus recenter erat instaurata, sicut solemus facere quando aliquem personæ pe-*

tentis vel Dominum suscipimus, vel amicum. Tunc iunco ipso, non tam donum faciens quam restaurationem, dedit duobus fratribus qui præsentes aderant, id est domno Claro & fratri Dauid, &c. Anno ab incarnatione Domini MLXVIII. *Indict.* VII. X. *KL. Iunij. Acta est ista concessio à venerabili Comite Pictauorum Vvidone infra terram quæ vocatur Maritima apud ecclesiam S. Saturnini.*

VVERPISSE.] id est dimittere, & sic alium vestire. Vita Caroli M. apud Adhemarum *ingenuitatem illorum, & alodem manibus gurpierunt*: quo loco in quibusdam exemplaribus non *gurpierũt*, sed *dulgtum fecerunt* scriptum esse V C. P. Pithœus notauit, quæ verba eodem recidunt. Chron. S. Benigni Diuionensis sub Rodulfo R. Robertus Vicecomes *in ipso placito, in præsentia principum eosdem seruos vvirpiuit & sancto Benigno reddidit.* Eò etiam referendum quod in Form. XLIII Incerti auctoris dicitur *de ipsis rebus se exutos esse dixisse*, nam rem dimittendo & se exuendo alium inuestibant. Quo Vverpiendi verbo hodie vtimur, in iure enim dimittere, *desguerpir* dicimus. Inde vidua in veteribus Gallicis scriptis *laguerpie*, quasi relicta dicitur. Froissart. Hist. Vol. I. cap. CCXLI.

LÆSOVVERPISSE.] leg. Salicæ tit. XLVIII. hæc traditur donationis forma quæ à Marculfo non longè recedit, *in mallo, &c. & sic festucam in laicum eius iactet, & ipsi in cuius laisum festucam iactauerit, in casa ipsius manere, & hospites tres suscipere*, &c. FR. Pithœus ex vet. glossar. *in laisum* in sinum interpretatur, huicque eleganter vulgare forense verbum *tendre le giron* refert. Ita-

que Lęsouuerpisse est rem aliquam dimisisse,& alteri tradidisse festuca in sinum iactata.

ACCOLABVS.] Hæc enumeratio omnibus instrumentis adscripta est, vt exempla proferre frustra sit. Accolæ vero qui heic nominātur sunt coloni seu adscriptitij qui simul cū prædiis venibant, vt & de villicis, saltuariis, & actoribus apud Iurisconsultos exempla extant. Chartul. S. Martini *cum hominibus ibidem commanentibus, quos colonario ordine viuere constituimus.* Seruorum autem quæ fuerit apud Germanos veteres conditio, apertè declarat Tacitus: *Seruis non in nostrum morem descriptis per familiam ministeriis, vtuntur. Suam quisque sedem, suos penates regit, frumenti modum Dominus, aut pecoris, aut vesti vt colono iniungit: & seruus hactenus paret.*

CAP. XIV. ERGO COGNOSCAT.] Si ad proximam prefationem hæc referas, absona & aliena erūt. Nam cum in superiori præfatione loci sancti fiat mentio, heic de inlustri viro loquitur. Verum & hæc & quæ sequuntur ad primam & secundam præfationem referenda, quæ de donationibus à Rege fidelibus suis factis scriptæ sunt.

FARINARIIS] Farinarium pro pistrino dicit, vt & alij non pauci medij sæculi scriptores. Leg. Salicæ tit. XXIV. 3. *si quis scluſam de farinario alieno ruperit.* Tit. XXXIII. 3. *si quis viam qua ad farinarium ducit, clauserit.* Diploma Caroli simplicis R. de S. Martini cœnobio, *cum vineis, culturis, syluis, pratis, farinariis.* In Traditionibus Fuldensibus. lib. II. *totum & integrum, terris, syluis, campis, pratis, pascuis, aquis, molinariis, &c.*

CAP. XVII.

CONFIRMATIO PRO SÆCVLARIBVS VIRIS.] Confirmatio est à Rege concessa, eius quod ab anterioribus Regibus, quibusdam personis ex fisco donatum fuerat, non in beneficium seu feudum (morte quippe accipientis finiebatur) sed in proprium, vt ad successores etiam transiret. Quod ex his verbis manifestum est, *& ipse & posteritas eius eam teneant & possideant, & cui voluerint ad possidendum relinquant, vel quicquid exinde facere voluerint ex nostro permissu libero perfruantur arbitrio.* Theganus Treuirensis Chorepiscopus De gestis Ludeuici imp. c. XIX eius liberalitatis nomine Ludouicum extollit, *in tãtum largus vt villas regias, quæ erant sui & aui & tritaui fidelibus suis tradidit, eas in possessiones sempiternas, & præcepta construxit* &c. quæ tamen non rectè Falcetus de beneficiis intelligit, & præter auctoris mentem feudorum successionis & proprietatis inde deducit originem Antiquit. lib VIII. c. XVIII. In chartular. S. Martini Turonensis extat eius donationis diploma Caroli simplicis R. Odoni Comiti factæ: *placuit fidelem nostrum de rebus proprietatis nostræ donare, vt quicquid pro vtilitate, iure proprietario facere decreuerit licentiam habeat, & potestatem faciendi, donandi, vendendi seu commutandi. Anno* X *regni Indict.* XII. *Narbonæ.* Itemque alia eiusdem Odonis, tum Regis Ebolo Comiti. Sic etiam accipio, *in alodium dare* Synodi Meldensis cap. XLI.

CAP. XVIII.

DE REGIS ANSTRVTIONE.] Ex hac formula apparet antrustionem dici fidelem regis, qui se fidem ei seruaturum iuramento spo-

pondit. quod & nomen indicat: Fidem enim *trevv* hodie quoq. Germani vocant, vt & apud Auentinum *drou* & *dravv*, quæ non nisi pronunciatione differunt. Itaque antrustiones fideles sunt, leudes vt passim Gregor. Turon. eos vocat, & Auctor Appendicis ad Gregor. siue is Idacius siue Fredegarius sit, aut vt sequens etas dixit vassi & vasalli. Inde Trustis leg. Salicæ tit. XLIII. 4. *si quis eum occiderit, qui in truste dominica est,* XXIV. *denariis, qui faciunt solidos* DC. *culpabilis iudicetur.* Aliter vero in Reg. Ms. legis Salicæ, quæ Marculfo nostro præposita est concipitur, quod proximè huic formulæ accedit. *Si quis antruscionem dominicum occisserit malb. malcho,* XXIV. *denariis, qui faciunt solidos* DC. *culpabilis iudicetur.*

VNA CVM ARIMANIA SVA] Ita edidi, FR. Pithœum sequutus, qui ad tit. XLIII. leg. Sal. hanc formulam exscripsit: etsi Reg. exemplar non *arimania* sed *arma* habeat. Hæsi certè aliquandiu vtrum eligerem, quod per arma iusiurandum olim præstitum memineram, itemque illud interpretari posse putarem, de eo qui armis ornatus, vt par erat, conspectum principis adit. Vicit me tandem auctoritas Pithœi, quam etiam ratio suadet. *Arimania* ergo heic pro familia vsurpatur. Sanè eo nomine seruorum seu colonorum speciem significari, multis ex instrumentis manifestum est. Vvido imp. in legibus Francicis & Longobardicis adiectis tit. v. *Nemo Comes, neque loco eius Præpositus, neque sculdasius, ab arimannis suis aliquid per vim exigat præter quod constitutum legibus est, sed ne-*

que per suam fortunam in mansione arimani se aplicet, &c. tit. VI. 2. *Si ex præcepto imperiali Comes loci ad defensionem patriæ suos arimannos hostiliter præparare monuerit,* &c. Diploma Conradi imp. pro ecclesia Mutinensi, anno MXXXIX. apud Sigonium De Regno Italiæ lib. VIII. *castella, villas, mansos, seruos, & ancillas, erimanos & erimanas.*

IN MANV NOSTRA TRVSTEM ET FIDELITATEM VISVS EST CONIVRASSE.] Manibus enim datis more Francico, fidelitas promittebatur. Annales Pipini, insertæ Aimoini continuationi lib. IV. C. LXIV. *Illuc & Tassilo Dux Baioariorum, cum primoribus gentis suæ venit: & more Francico, in manus Regis in vassaticum manibus suis semetipsum commendauit: fidelitatemque tam ipsi Regi Pipino, quam filiis eius Carolo & Carlomanno iureiurando supra corpus sancti Dionysii promisit,* qui locus fidelitatis illius morem apertè tradit, & Marculfum omnino illustrat. Sacramenti vero formulam qua cõceptis verbis super sanctorum reliquias iurabatur, ediderunt P. Pithœus VC. vna cum secundæ Regum familiæ historicis, FR. Pithœus in Glossar. & Falcetus Antiquit. lib. VI. C. V. ideoque non exscribo. Hominium id postea dictum est, cuius formulas posterioribus sæculis varij variè pro more regionis tradiderunt. Richardi Capuæ principis fidelitatis iusiurandum lib. I. Regiſtri Gregor. VII. PP. extat. Vidēdi Fulbertus apud Iuonem Carnotēsem Decreti par. XII. C. LXXVI. Radeuicus. lib. III. C. XIX. lib. II. Feudorum. tit. VI. & VII. Gallica vero lingua pleræque Ciuitatum leges & Consuetudines, liber II. Ms. legũ,

Parisiorum & Aurelianensium, Butellerius in Summa Rurali. Sed vt ad Annales Pipi redeã scitè *seipsum commendauit* scriptum est, *se* namque *commendare* pro hominium seu fidelitatem facere tunc vsurpabatur. Hincmarus de Villa Nouiliaco (eruditorum etenim coniecturæ, qui huius opusculi eum auctorem faciunt libens accedo) *Processu denique temporis commendauit Donatus filium suum Gozelum Carolo Regi, cui in beneficium dedit Carolus villam Nouilliacum cum appenditiis suis.* Nithardus lib. 1. *Qui omnes commendati eidem sacramento fidem firmauerunt.* Concessionis præceptum à Ludouico imp. Hispanis datum. *Nouerint tamen ijdem Hispani sibi licentiam à nobis esse concessam, vt se in vassaticum Comitibus nostris, more solito commendent*, Diuisio regni Ludouici pij. cap. VI. Sic etiam accipienda hæc verba, *se illi committũt*, apud Frodoardum ad an. 922. 924. & 940 Illud postremò obseruandum, fidelitatem hodie quidem feudi causa tantum præstari, tum vero, vt ex hac formula patet, etiã citra beneficium plerique eiusmodi sacramento fidem suam obstringebãt, seruitiumq; principi profitebantur, non tamen fortasse sine spe aliquod beneficium posteà principe obtinendi. Solebant enim Reges his fidelib. suis beneficia seu feuda vacantia cõferre. Concessionis præceptum Ludouici imp. pro Hispanis, *si beneficiũ aliquod quispiam eorum ab eo, cui se commendauit, fuerit consequutus, sciat, &c.* Sangallensis De gestis Caroli M. lib. 1. cap. XXII. de quodam episcopo: *Hic habuit vnum vasallum non ignobilem ciuium suorum valde strenuum & industrium, cui tamen ille, ne dicam*

dicam aliquod beneficium, sed ne vnum quidem aliquando blandum sermonem impendit: vbi vasallum sine feudo & beneficio nominat. Vid. Capitul. lib. III. c. LXXIII. Possent & alia non pauca eiusdem rei exempla proferri.

TRVSTEM] id est fidem. Leg. Sal. tit. XLIII. Decretio Chlotarij R. cap. 3. Vnde *antrustio*, de quo antea.

VVIRGILDO SVO] Vvirgildus tum vocabatur pecunia quæ pro homicidio, aut alio delicto defuncti heredibus & propinquis soluebatur: fredum vero quidquid ex eadem causa fiscus capiebat. Nam apud Germanos veteres certa pecuniæ summa delicta æstimabãtur, neque homicidium morte lui lex erat. Leg. Baiuuar. cap. I. tit. VII. 3. *Nulla sit culpa tam grauis vt vita non concedatur*, cap. II. tit. I. 4. *Vt nullus Baiuuarius alodem aut vitam sine capitali crimine perdat, id est si in necem ducis consiliatus fuerit, aut inimicos in prouinciam inuitauerit, &c. Cætera vero quæcumque commiserit peccata, quousque habet substantiam componat secundum legem.* Vides facinorosos nec vita nec bonis priuari, nisi in maiestatis crimine, in cæteris pecuniariam fuisse pœnam, quæ *compositio* dicebatur. Idem in reliquis eiusdem æui legibus obtinet. Morem hunc antiquissimum obseruauerat Tacitus: *Suscipere tam inimicitias seu patris seu propinqui, quam amicitias necesse est. Nec implacabiles durant. luitur enim homicidium certo armentorum ac pecorum numero, recipitque satisfactionem vniuersa domus.* Ideoque frequenter in vet. legib. & capitulis hæc verba reperias *de vita componat*, & Capitul. lib. III. cap. X.

si quis conuictus fuerit periurij, perdat manum aut redimat. Vveregildus igitur *compositio* dicitur quæ propinquis præstatur luendi homicidij, aut alterius criminis causa. Præter vett. leg. in quibus sæpius id occurrit Capitul. lib. IV. c. XIII. c. XV. cap. XVIII. *Qui hominem publicam pœnitentiam agentem interfecerit, bannum nostrum in triplo componat, & vuirgildus eius proximis persoluatur.* Burchardus in lege Familiæ. *Ius erit familiæ, vt de vueregeldo fiscalini hominis quinque libræ ad cameram reddantur, & duæ libræ & dimidia amicis eius contingant.* Item *vueregeldum reddat, & cum proximis pacem faciat.* In Vvillelmi Normanni Angliæ R. Legibus apud Rogerium Houedenum Annal. par. post. in Henrico II. *Vuere suum id est pretium redemptionis suæ soluat.* Inde *triniumgeltum*, & *niungeldum* pro triplici & nona compositione in legib. Baiuuar. tit. II. c. XIII. & tit. VIII. c. I. & II. Leg. Alaman. tit. VII.

SOLID. DC. ESSE CVLPABILEM.] quæ Salica & magna est compositio, Leg. Sal. tit. XLIII. & passim. Pragmaticum Regum Lotharij & Ludouici pro ecclesia Parisiensi. *Si forte calliditate iudicis, aut alicuius personæ, ipsæ immunitates alicubi inruptæ fuerunt, priscorum lege id est solidis* DC. *multetur.*

CAP. XIX. PRÆCEPTVM DE CLERICATV] Iam monuimus præceptum apud Gregor. Turon. Marculfum & alios pro diplomate principis accipi. Præceptum igitur de clericatu heic dicitur Regis epistola qua licentiam alicui concedit vt clericus fieri possit. Nam absque principis consensu clericos ordinari mos non erat.

Quod apertè hæc formula testatur. Synodi Aurelianensis I. c. VI. *De ordinationibus clericorum id obseruandum esse decreuimus, vt nullus sæcularium ad clericatus officium præsumat accedere, nisi aut cum Regis iussione, aut cum iudicis voluntate.* Eius rei ratio redditur à Carolo M. apud Ansegisum lib. I. c. CXX. vbi id quoq. renouata cōstitutione sancitur: *De liberis hominibus, qui ad seruitium Dei se tradere volunt, vt prius hoc non faciant, quam à nobis licentiam postulent. hoc ideo quia audiuimus aliquos ex illis non tam causa deuotionis hoc fecisse, quam pro exercitu, seu alia functione regali fugienda. Quosdam vero cupiditatis causa ab his qui res illorum concupiscunt, circumuentos audiuimus, & hoc ideo fieri prohibemus.*

IN PVLETICO PVBLICO CENSITVS NON EST] Pithœus ad tit. XXVI. Leg. Sal. hanc particulam exscribens *polyptico* legit, rectius sanè & concinnius. Sensus namque huius loci hic est Regem licentiam alicui dare clericum fieri, si quidem ingenuus sit, non seruus publicus, aut colonus, siue adscriptitius, qui in publicis rationibus seu polyptychis censitus & inscriptus non sit. Quò pertinet Synodi Rhemensis sub Sonnatio episcopo decretum, apud Flodoard. Hist. Rhem. lib. II. c. V. *Hi vero quos publicus census spectat, sine permissu principis vel iudicis se ad religionem sociare non audeant.* Rationes autem publicæ polyptycha dicuntur. In leg. II. De discussoribus. Cod. Th. quæ initio impp. *polyptica*, dixerant in fine eadē *ratiocinia publica* vocant, quod ibidem etiā rectè Anianus interpretatur. Vegetius De re militari

lib.II.c.XIX.Cassiodor. Variar.lib.v.c.XIV.Plenè autem de polyptichis agit Magnus Cuiacius Obseruat.lib.IV.c.XXVII.

COMAM CAPITIS SVI TONSVRARE] Comam namque clerici ordinandi deponebant. Greg. Turon. lib. III. c.XVIII. de Chlodoualdo Chlodomeris R.F. *sibi propria manu capillos incidens clericus factus est*: lib. IV. cap. IV. de Macliavo Britanno, *Veneticam vrbem expetit ibique tonsuratus & episcopus ordinatus est. Mortuo autem Chanaone hic apostatauit, & demissis capillis vxorem quam post clericatum reliquerat, cum regno fratris simul accepit*: hic enim Macliavus cum clericatui renunciare vellet, demisit capillos, id est comam nutrire cœpit. Inde plerisque synodis cauetur ne clerici comam nutriant. Lubet heic obiter adnotare, cum Childebertus & Chlotarius RR. de fratris filiis interficiendis consilium caperent, Clotildæque matri vtrum illos tonderi an interfici mallet, nuntiarent, tonderi non accipi vt clerici, aut monachi fierent, vt plerique intelligunt, sed an vellet eos à regni successione remoueri, incisa cęsarie, quam prolixam, & venustè comptam Reges, Regiique tum principes alebant. Id apparet ex his apud Greg. Turon. verbis, lib. III. c.XVIII. *vtrum incisa cæsarie, vt reliqua plebs habeantur.*

CAP. XX DE DIVISIONE VBI REGIS ACCESSERIT MISSVS.] Familiæ erciscundæ iudicij formula est, qua Rex diuidendæ hereditatis causa, ad petitionem partium missum sum delegat. Huc planè facit Gregor. Turon. locus lib. IX.c.XXXIII. *in qua causa Theutarius presbyter,*

qui nuper ex referendario Sygiberti regis conuersus presbyterij honorem accepit, acceßit vt hanc diuisionem iuxta regis imperium celebraret. Illud constat iure Romano Prætores coheredibus, aut aliis volentibus à communione discedere, arbitrum dedisse.

ET DECIMA ILLIVS SVMPTVS LITIS] in Ms. vitiosè scriptum erat *suntellitis*, cuius loco *sumptus litis* reposui, quod & scripturæ vestigium & sensus ipse suadebat. Sententia igitur est, Regem decimam illius litis, sumptuum seu expensarum nomine fisco suo quacumque de causa debitam, alicui donare & concedere. Olim namque apud Romanos necessaria erat ex parte actoris cautio decimæ partis litis, calumniæ nomine, qua initio litis cauebat actor ni vicisset reo decimam præstitum iri. Extat in consultatione veteris Iurisconsulti constitutio Diocletiani ex Cod. Hermogeniano (quam inde etiam exscribit Cuiacius Obseruat. VII. c. VI) quæ eius repromissionis decimæ partis meminit, *quippe si per calumniam hoc eum facere confidis, remedio repromißionis initio postulatæ calumniæ decimæ partis eius quod competit, tibi condemnari eum desiderare potes.* Cuius cautionis specimen præbet cap. XXIX. Formular. Legis Romanæ. Hanc obsoletam sustulit Iustinianus leg. vlt. §. antiqua. Cod. De iureiurand. propt. calum. dan. §. Hæc autem Institut. De pœna temere litigant. eandemque postea reduxit non abolito calumniæ iureiurando Nou. CXII. Decimam igitur litis apud Frãcos receptam fuisse probat hæc formula, quæ à Romanis acce-

pta in tantum inualuit, vt non aliæ litium expensæ multis sæculis in vsu fuerint præter decimam rei in iudicium deductę,& pecuniariam mulctam quam emendam dicebant: vt auctor est Petrus Fontanus, qui B. Ludouico R. claruit, cuius ea de re vetus quoque constitutio extat. Tandemque decreuit Carolus IV. R. vbique illud obseruandum, vt victus victori in expensas teneretur, non in prouinciis tantum vbi ius scriptum pro legibus erat, quod optimus doctissimusque senex Ant. Oisellus obseruauit Manual. lib. VI. Id porro heic singulare est decimam litis fisco præstari solitam, verùm sic accipio vt sportularum & iudicij nomine pars illius decimæ fisco competeret. Sane vetustissimo Romano iure quidpiam non dissimile obseruatum ex Varrone & Festo elici potest. Sic enim ille De lingua Latina lib. IV: *Ea pecunia quæ in iudicium venit in litibus, sacramentum à sacro. Qui petebat,& qui inficiabatur, de aliis rebus vterque quingentos æris ad pontem deponebant: de aliis rebus item certo alio legitimo numero assium. Qui iudicio vicerat, suum sacramentum à sacro auferebat, victi ad aerarium redibat.*

CAP. XI. DE CAVSIS ALTERIVS RECIPIENDIS] Vetustissimo Romano iure non licebat per procuratorem agere, Instit. De his per quos agere possumus, sed postea receptum est in pleriisque causis per procuratores etiam experiri. Apud Francos vero illud nō licuisse citra principis rescriptum, docet hæc formula, qua conceditur, vt quidam qui propter simplicitatem rebus suis superesse non potest per alterum

possit agere, quod & veteribus Romanis non ignotum. Auctor ad Herennium lib. II. *Ex æquo & bono ius constat, quod ad veritatem & vtilitatem communem videtur pertinere: quod genus, vt maior annis* LX. *& cui morbus causa est, cognitorem det.* Illud longo post tempore apud nos obtinuisse, vt præter Regem nulli procuratoris habendi absque principis consensu, facultas suppeteret testantur Io. Faber ad §. Vniuersitatis Instit. De rer. diuis. & Brolius in stylo Parlam. Innocentij quoque III. PP. rescriptum ad scholares Parisienses, qui procuratoris constituendi licentiam ab eo petierant, hanc habet ex more Francico dubitandi causam, cap. Quia in causis De procurator.

CLEMENTIÆ REGNI NOSTRI PETIIT] Eadem ratione & ecclesiarum aduocati seu defensores à principe petebantur. Benedictus Leuita Capitul. lib. V. c. XXXI. & lib. VII. c. CCCVIII. Chlotarius R. in Chrono. Besuensi, Vvaldalenus Abas *petiit à nobis, vt inlustris vir Gegolfus omnes causas ipsius monasterij ad prosequendum & redintegrandum deberet recipere. Cui nos hoc beneficium præstitisse cognoscite. Quapropter per præsens hoc præceptum iubemus, vt memoratas omnes causas ipsius monasterij, illustris vir ille ex nostro permissu licentiam habeat prosequi, & vnumquodq. vt iustum est restituat. sic tamen quandiu eorum pariter fuerit voluntas. Data* XV. *KL. Sept. Anno* VIII. *regni domni Chlotarij Regis.*

IN VICE IPSIVS] qui propter simplicitatem, vt dictum est, rebus suis superesse non poterat. Sic accipienda in Legib. Andegauensibus c. XL. *procuration par non puissance.*

ADMALLANDVM PROSEQVENDVMQVE] Admallare id est ante iudicem vocare litigandi causa. Leg. Salicæ tit. LII. 2. *si adhuc supradictum debitum soluere noluerit, debet eum sic admallare, Rogo te iudex vt hominem illum, denominatum, gasachionem meum* (i. aduersarium) *qui mihi fidem fecit, de debito tali, denominato, secundum legem Salicam mihi eum adstringas. Tunc iudex dicere debet, Ego gasachium tuum illum in hoc mallo quod lex Salica habet.* & tit LIII. *Secundum legem habeat admallatum.* Inde *hamallus* leg. Sal. tit. XLIX. *ista omnia vbi suus hamallus est.* Quæ omnia, à *Mallo* seu *placito*, in quo iudicia fiebant, nomen habent, qua de re postea ad incerti auctoris Formulas.

OMNES CAVSAS LVI] Lui corruptè pro illius infinitis locis occurrit, indeque dictio nostra *lui*, eodem omnino sensu, quod semel adnotasse sufficiat.

DIRECTVM FACIAT] nostris *droict*. Gregor. Turon. lib. IV. c. XIV. *desistite ab hac intentione, verbum enim directum non habemus.* Formula sacramenti fidelitatis apud Attiniacum facti, *sicut Francus homo per recte esse debet suo Regi.* Id à *recti* vocabulo mutuatum, vt *Curuo dignoscere rectum* apud Horatium, vnde apud nos eodem sensu, *tort & droict.*

CAP. XXII. PRÆCEPTVM DENARIALE.] Manumissio hæc est per denarium præsente Rege facta. Multis quippe modis apud veteres Francos manumissio procedebat, aut ante regem per denarium, cuius heic editur formula, aut in ecclesia per chartam seu tabulam, aut etiam per epistolam priuatam, quarum formulas, lib.

II. & inter veteres alias videre est. Inde libertorũ alij denariales, alij chartularij, seu tabularij dicti. Benedictus Leuita Capitul. lib. VI. cap. CCVIII. ex Pipini Italiæ R. legibus tit. X. *Homo denarialis non antea hereditare in sua agnatione poterit, quam vsque ad tertiam generationem perueniat. Homo chartularius similiter faciat.* & manumissio quidem per denarium ex lege Salica, Ribuaria, aut alterius aduentitiæ gentis descẽdebat, per tabulam vero seu chartam in ecclesia secundum legem Romanam fiebat, & eadem ratione manumissi per chartã lege Romana vtebantur: illa vero libertatis datio per epistolam priuatam, ex domini manumittentis gente, legem sumebat. Leg. Ribuar. tit. LIX. & tit. LX. qui *de tabulariis*, id est per chartam manumissis inscribitur, & tit. LXIII. vbi plura de manumissionib. & earum forma. Apud Longobardos quatuor manumissionũ species erant. Leg. Longobard. tit. XCI. Luitprandi R. tit. XXXIV. & Astolfi R. tit. VIII. De manumissione in ecclesia, aut per epistolam postea agetur: Hæc vero de qua nunc Marculfus, solenniter auctoritate regis, eoq. præsente, iactato denario per manum seu domini, seu alterius celebrabatur, vt hæc formula ostendit. Eius etiam in veteribus instrumentis aliquot extant exẽpla. In veteri charta ecclesiæ Lugdunẽsis apud FR. Pithœum ad Leg. Sal. tit. XXVIII. *Seruum iuris vestri manu propria, & manu illius excutientes denarium, secundum Legem Salicam, liberum, cum omnibus quæ habet vel adquisierit, fecimus.* Quibus addere placuit & aliud exemplum nondum

editum ex tabulario S. Martini Turonensis: *Carolus imperator Augustus &c. Adalgarius Leuta petiit, vt imperiali more præceptum fieri iuberemus. Decernimus vt more prædecessorum nostrorum, imperatorum & Regum, à manu ipsius Leuthardi denarius excutiatur, vt à præsenti die idem Leuthardus, semper & vbique omnibus locis liberatus valeat vti propria potestate absque alicuius resultatione, aut contradictione, & quoque ei libuerit omnibus modis liber & velut nobili prosapia genitus esset, liberaliter per nostram auctoritatem pergat: Hanc præceptionem manu nostra firmauimus, & annulo nostri imperij sigillauimus. Amalbertus notarius ad vicem Autberti archicancellarij. Data* XV. *KL. Iulij Anno incarnationis dominicæ* DCCCLXXXVI. *Indictione* V. *imperij Caroli* VII.

IACTANTE DENARIO] pro *iactato denario*, vt sæpe *nuncupante* pro *nuncupato*. Igitur excutiebatur nummus de manu ipsius serui qui manumittebatur, vt ex locis supra exscriptis apparet: qui nummus vel argenteus, vel aureus erat, nullo prorsus discrimine. Id enim pro forma & dicis tantum causa, vt apud Romanos in mancipatione. Vet. Formul. apud FR. Pithœum. *Nos vero manu propria excutientes de manu supradicti* N. *denarium vel nummum, vel argenteum, vel aureum, vel dragmam, vel sestertium, vel minam, &c.*

SECVNDVM LEGEM SALICAM] Caput hoc legis Salicæ non extat, eius tamen mentio fit tit. XXVIII. *Si quis seruum alienum ante regem per denarium ingenuum dimiserit.* Ex quo & aliis plerisque argumentis coniicere licet

multo plura fuisse legis Salicæ capita, quam quæ ad nostram memoriam peruenerint. Eodem modo in formulis Incerti auctoris cap. XLVII. *postea ante domnum illum Regem iactato denario secundum Legem Salicam te ingenuam dimisi.* In charta ecclesiæ Lugdunensis apud Pithœum *excutientes denarium secundum Legem Salicam.* Ibidem Vet. Formul. *secundum Legem Salicam eum liberum dimisimus, & ab omni iugo libertatis absoluimus.* De eiusmodi manumissione per denarium ante regem, est etiam titulus specialis in lege Ribuaria tit. LIX. vnde apparet non Legis Salicæ propriam fuisse, sed & aliarum legum. *Si quis*, inquit, *libertum suum per manum propriam, seu per alienam in præsentia regis secundum legem Ribuariam ingenuum dimiserit per denarium, &c.*

SICVT ET RELIQVI MANSOARII] Mansoarij heic dicuntur, qui aliis manentes, siue commanentes, & villici παροικέλοι, mansi, seu mansarij, coloni denique, totidem namque vocabulis appellantur. Mansuarij in continuat. Aimoini li. v. c. xxx. vbi de Normannici tributi exactione à Carolo Caluo R. *vt de mansis indominicatis solidus vnus, de vnoquoque manso ingenuo quatuor denarij de censu dominico, & quatuor de facultate mansuarij: de manso vero seruili, duo denarij de cẽsu dominico, & duo de facultate mansuarij*, quo tamen loco Falcetus non rectè mansum pro homine accipit, disertè enim ibidem cauetur de censu fundi, seu mansi nomine exigendo, & de facultatibus & bonis hominum aliud tantum, hoc est tributum & rei & personæ.

Manſus enim villula eſt coloni vnius habitationi propria, de quo ad Varias Formul. plenior erit dicendi locus. Illud quoque ex hoc continuation. Aimoin. loco aduertendũ, manſos & eorum manſuarios ſeu colonos, alios liberos, alios ſeruiles eſſe, vt & in Flodoardi appendice *manſi ingenuiles & veſtiti* memorantur: cuiuſmodi fuiſſe illos de quibus nunc ſermo eſt, probat manumiſſio per denarium, colonariæ tamen conditionis: coloni namque iure Romano liberi ſunt & res proprias habent Leg. I. De præd. tami. Leg. XVIII. De agricolis & cenſ. lib. XI. Cod. terram tamen dimittere non poſſunt, nec etiam poteſt prædium vendi receptis colonis, Leg. II. eod. tit. De agricolis. Itaque conceſſa non fuit plena libertas, per quam à loco recedendi, & quamlibet partem petendi facultas dabatur. *Maſſarios* dixit Rotharis Longobardorum R. tit. XLIX. & CVI.

CAP. XXIII. CHARTA DE CAVSA SVSPENSA.] Vt dum reipublicæ cauſa quis abeſt, lites & negotia aduerſus eum conquieſcant. Leg. Salicæ tit. I. 4. *Si in iuſſione regis fuerit occupatus manniri nõ poteſt*, quæ tamen abſunt à Reg. Ms. In editione Germanica, *ſi in dominica ambaſcia fuerit occupatus manniri non poteſt*: & in Conſuet. Hannonẽſi, *ſi eum aut infirmitas, aut ambaſcia dominica detinuerit.* Hæ litteræ hodie quoque ex cauſa conceduntur, eaſque litteras ſtatus vulgo nuncupamus. In conſtitutione Philippi Auguſti R. De decimis & crucis expeditione apud Rigordum. *Nullus crucem habẽtium ſiue clericus, ſiue miles, ſiue alius quilibet alicui reſpondebit ſuper hoc vnde*

tenens erat ea die, qua crucem assumpsit, donec abitinere susceptо redierit.

SVORVMQVE AMICORVM AVT GASINDORVM.] Gasindos pro seruis aut fidelibus accipio, qui dominis suis perpetuò adhærent eisque iugiter ministrant: quod ex Marculfo ipso colligi potest, lib. II. cap. XXXVI. in lemmate, *si aliquis seruo suo gasindo suo aliquid concedere voluerit*: initioque capitis ita scriptum est, *iustissimè nostris subleuantur muneribus, qui nobis fideliter & instanti famulantur officio*. mox *fideli nostro illi. Pro respectu fidei & seruitutis, quam circa nos impendere non desistis.* Gasindorum porrò vocabulo vtitur Rachis R. in legibus Longobardicis. tit. VI. 4. *Si enim quicumque liber homo, in seruitio de gasindio regis, aut de eius fidelibus introierit.* In iisdem Legibus Rotharis R. tit. XCI. 13. *si aliquid in gasindio ducis conquisiuit.* In legibus Pipini Italiæ R. tit. XIV. *si forsitan attenderit ad gasindium, vel ad parentem, aut ad amicum suum.*

SEV VNDECVNQVE IPSI LEGITIMO REDIBIT MITTIO] sic scriptum non hoc tantum loco, sed & bis capite sequenti, corruptè quidem & nullo sensu. Itaque difficilis emendatio, præsertim in eiusmodi auctoribus, vbi cauendum ne menda purgando auctoris faciem immutes, quod in Marculfo agere religio fuit. Lucem vero affert formula quæ sequitur, *si aliquæ causæ aduersus eum vel suo mittio surrexerint*: vbi *mittio* pro *missо* scriptum esse clarum est. Sententia igitur huius loci hæc est, vndecumq. aut ipse vt alterius procurator tenetur, aut ipsius etiam procurator, horum omnium

causas donec reuertatur suspensas esse.

CAP. XXIV. CHARTA DE MVNDEBVRDE REGIS] Mundeburdium Germanis scriptoribus tutela est seu defensio & tuitio, vnde & hæc formula: qua princeps episcopo, aut abati tuitionem & defensionem suam impertit, ne à quibuslibet infestentur, atque etiam vt eorum causæ in palatio tantum decidantur concedit: quibus non admodū dissimilia sunt diplomata quæ adhuc hodie ecclesiis dari moris est, eaque dicuntur, *lettres de garde gardienne*. Nam & ex hac formula patet, ecclesiis vt plurimum eiusmodi defensionem tribui. Vnde & Caroli Martelli maioris domus Mundeburdij Bonifacio episcopo dati diploma extat in Pithœi Glossar. in ver. *Missus sancti Petri*, quod huic formulæ plane genuinum, iisdemque clausulis constat Synodi Meldensis c. XLI. *Prouidendum est regiæ maiestati, vt monasteria, quæ ab hominibus Deum timentibus in sua proprietate constructa, prædecessores illius, causa defensionis & mundeburdi susceperunt, vt libera libertate, remota spe hereditaria de illorum propinquitate, ibidem religio obseruaretur, & nunc in allodium sunt data.* Eadem decernuntur in Synodo Ticinensi sub H Lothario & H Ludouico an. DCCCL. apud Canisium c. XVI. *Suggerendum est beatissimis imperatoribus, quia hi qui monasteria & synodochia sub defensione sacri palatij posuerunt, ideo fecisse probantur, quod à nullo melius, quam à summis potestatibus protegenda crediderint, &c.* quæ Synodus Regiaticina à Canisio inscribitur, & de loco inquirendū censet. Ego Ticinensem dixi, quæ regni Longobardici seu Italici regia erat, quod & initium

synodi indicat *in vrbe regia ticino*, quæ verba distincta nullam dubitationem relinquunt: hæc obiter. Synodus Confluentina an. DCCCLX. quæ Caroli & Ludouici RR. fœdera continet. *Volumus vt ecclesiæ & casæ Dei, & episcopi, & Dei homines clerici & monachi & nonnæ, talem mandeburdem & honorem habeant, sicut tempore antecessorum nostrorum habuerunt.* Sanè Gallici episcopatus in regia tutela & defensione perpetuo fuerunt, adeo vt extremis Carolinæ stirpis temporibus, & initio tertiæ regum familiæ, iure regio ciuilibus bellis imminuto, omnibus occupatis, episcopatus tamen in tutela & protectione regum manserint. Chronicon Andegauense de Neustria Hugoni Abati concessa sub Carolo simplici R. *Iste itaque tractus cum ei datus esset ad integrum cum ciuitatibus & comitatibus & abatiis castellisque præter episcopatus solos, qui in regia dominicata retenti sunt.* Rigordus in Philippi Augusti Vita. Nec vero ecclesiis tantum mundiburdium dabatur, sed & aliis personis, vt viduis & orphanis. Capitul. lib. VI. cap. CCXXIII. *Vt viduæ, orphani, & minus potentes sub Dei defensione & nostro mundeburde pacem habeant, & eorum iustitias acquirant.*

SVB SERMONEM TVITIONIS NOSTRÆ VISI FVIMVS RECEPISSE] Sic *in verbo regis* esse Leg. Sal. tit. XIV. & tit. LIX. *rex ad quem mannitus est extra sermonem suum ponet*: quæ tamen quodammodo diuersa sunt. Nam in verbo Regis quis recipiebatur ne ab inimicis lædi aut interfici posset.

Gregor. Turon. lib. IX. c. XIX. *regina Brunichildis in verbo suo posuerat Sicharium & C. Aginnum properans epistolam eius elicuit, vt à nullo contingeretur.* Eod. lib. c. XXVII. de Guntchranno R. qui puellæ quæ Amalonem Ducem vim sibi facientem occiderat *præceptionem tribui iussit, vt in verbo suo posita à nullo vnquam parentum defuncti illius molestiam pateretur.* His respondet tuitionis formula apud Cassiodor. lib. VII. cap. XXXIV. *diuersorum te quemadmodum quereris, dispendiis sauciatum, in castra defensionis nostræ clementer excipimus, &c.*

SVB MVNDEBVRDE VEL DEFENSIONE] Mundeburdium, vt diximus, tutela est, & Longobardicis legibus fœminarum tutor *mundoaldus* & *mundius* dicitur: veteribus Francis *mainbour* & *mainbournie* pro tutela vel cura: apud Frossartem Vol. I. ca. CLV. *fussent en garde, baille, tutelle, cure, manburnie.* Burchardus Decretorum lib. XIX. ex Pœnitentiali Romano: *Rapuisti vxorem tuam, & vi sine voluntate mulieris, vel parentum in quorum mundiburdio tenebatur illam adduxisti?* Sæpe etiam in eiusmodi litteris pro mundiburdio tuitio & defensio dicitur. Gregor. Turon. lib. IX. c. XX. in pactione regum apud Andelaum: *ne à quocumque, vllo vnquam tempore conuellatur, & sub tuitione ac defensione domni Childeberti, &c. debeat possidere.* Sic & in priuilegio Ludouici & Lotharij pro Corbiensi cœnobio, *vt ipsum monasterium sub nostro munimine & defensione, cum cellulis sibi subiectis & rebus vel hominibus ad se pertinentibus confirmare fecissemus,* mox *sub tuitionis atque immunitatis nostræ defensione.* Ex quibus etiam liquet tuitionis clausulam frequentissimè immu-

munitatis priuilegio insertam fuisse, vt & supra cap. III. Otthonis Magni diploma pro ecclesia Mindensi, *anteriorum Regum conscripta, qualiter ipsi præfatæ ecclesiæ res, cum omnibus in ipsis rebus consistentibus sub illorum reciperent mundeburdo.* postea, *mundeburdum & tuitionem nostram.*

TANTVM IN PALATIO NOSTRO] Sic edidi & postulabat sensus, nam in Ms. vitiosè *tam in palatio* legitur. Huc facit locus synodi Ticinensis supra exscriptus, *sub defensione sacri palatij.*

QVAS IN PAGO] legendum *quæ.*

PROLOGVS DE REGIS IVDICIO] Reges nostros olim proprio ore ius dixisse notum est, episcopis & proceribus adsidentibus, præsertim de maioribus causis, & inter episcopos, abates, comites & potentiores personas. Capitul. lib. III. c. LXXVII. lib. V. c. CLVI. & de vassis & fidelibus suis, lib. III. c. LXIV. lib. V. c. XLVI. item ex causa prouocationis, aut negati vel diu dilati iudicij à comitibus, lib. V. c. CXLI. lib. III. cap. VII. & cum quis iudicatum facere negligit, aut se iudicio sistere recusat, lib. II. cap. XIX. Marculfus lib. I. c. XXVI. XXVII. & XXVIII. tũ demum de neglectu regalium constitutionum & decretorum, & ex variis causis, de quibus aliâs singillatim. Illud est quod sæpissime hic auctor *in palatio causam prosequi.* Verum ex his quædam à rege ipso iudicabantur dum ius dicebat: quasdam vero Comes palatij vice regis episcopis etiam & proceribus adsidentibus finiebat, & nihilominus regis nomine iudicata inscripta erant, ac si ipse iudicasset. Huius itaque iudicij for- CAP. XXV.

mula nunc exhibetur, præfationis videlicet, nã rei iudicatæ tot formulæ quot negotia. Nos antiquitatis causa integrum Regis iudicium in causa abatis S. Benigni Diuionensis exscribemus. Veritatem enim & rem gestam repræsentat, quam adumbratam formula tradit, præsertim cum illud ipsum instrumentum visum & laudatum animaduerterim à Io. Tilio rerum nostrarum peritissimo. Est igitur eiusmodi in Chronico Diuionensi, quod litteratissimi viri Caroli Labæi beneficio videre contigit.

CHLOTARIVS REX FRANCORVM VIR INLVSTER *Quotiescumque altercantium iurgia Palatij nostri iudicia, nostrorumque fidelium ac ecclesiarum seu sacerdotum pro quarumcumque rerum negotiis noscuntur aduenire, oportet nobis in Dei nomine iuxta legum seueritatem inquirere, vt deinceps nulla videatur quæstio renouari. Ideoque cum nos in Dei nomine Masolaco in Palatio nostro, vna cum apostolicis viris patribus nostris episcopis, optimatibus, cæterisque Palatij nostri ministris, necnon & Andobello Palatij nostri Comite, qui de ipso ministerio ad præsens nobis deseruire videbatur, ad vniuersorum causas audiendas, iustoque iudicio terminandas resideremus, Aduenientes ibi actores basilicæ domni Benigni, quæ est sub oppidum Diuione constructa, vbi ipse preciosus martyr in corpore requiescit, & vir venerabilis Vulfechramnus aba præesse videtur, videbantur repetere à quibusdam hominibus, dicentes quia anteacto tempore bonæ recordationis parens noster domnus Guntchrannus quondam*

rex per testamenti sui paginam ad ipsam basilicam sancti Benigni villam nuncupatam Elariacum cum adiacentiis, vel omni re ad se pertinente concessisset: & ipsi homines infra ipsum terminum commanentes, ex parte maxima plurima peruasissent, vel ad suam partem contradicerent, & reditus terræ partibus ipsius basilicæ reddere contemnerent, & syluas de ipso agro deuastassent, & terram exinde, aut prata per loca plurima inuasissent, vel vineas plantassent, aut calmas rupissent: E contra illi dicebant, quod ipse princeps domnus Guntchrannus per præceptionem quam in præsenti protulerunt relegendam, in anteressores parentes eorum firmasset: Vbi continebatur quod ab eo tempore quo ipsum agrum Elariacum iam dictus princeps ad memoratam basilicam sancti Benigni contulerat, per munificentiam ipsius principis promouerant, (leg. promeruerant) vt quicquid ex successione parentum habebant, hoc nunc ipsis confirmatum esse deberet. Interrogatum est à nostris proceribus, si cessionem ipsius domni Guntchranni, aut aliorum principum, seu alia instrumenta de ipso agro habebant an non, in præsenti edicere debebant. Sed ipsi professi sunt ad præsens, quod aliud instrumentum nullum vel firmationem magis exinde non haberent quam quod præsentabant. Vnde & ipsis confirmationibus relectis & percursis, inuentum est à fidelibus nostris quod nullum detrimentum vel præiudicium ipsa basilica domni Benigni de ipso agro Elariacensi exinde non pateretur. Etiam & pactionem præsentabant, qualiter antecessor supradicti Vulfechrãni, Richimarus quondam aba, seu & apostolicus vir domnus Berthoaldus episcopus, vna cũ ipsis, vel parentes

eorum de parte maxima de infra termino ipso Elariacense contentionem maximam habuissent: & ipsas terminationes perambulassent & signa posuissent. Proinde nos taliter vna cum nostris proceribus in quantum illuster vir Andebaldus Comes palatij nostri testimoniauit, constitit decreuisse, vt dum hæc causa inter ipsos sicut superius continetur taliter acta, vel inquisita fuisset, per ordinem iubemus ipsum agrum Elariacense, quantumcunque domnus Guntchrannus per testamenti sui paginam ibidem delegauit, postposita & calcata ipsa confirmatione vel reliquis [à domno Guntchranno] & successoribus principibus factis descriptionibus, ne deinceps per ipsos aliqua remoueri videatur causatio, sed quod hactenus tenuisse videntur infra ipsum agrum Elariacense vel vbicumque tam terris, curtiferis, casis, vineis, pratis, syluis, pascuis, aquis, adiacentibusque suis per alia loca cum omni iure teneant, possideant absque sollicitudine, absque alicuius repetitione: Sitque in Dei nomine ad partem sancti Benigni & promissorum subiectorumque eorum euindicatum omni tempore, &c. loci ac re (leg. eius loci ac rei) *sopita causatio.* ABBIEINVS *recognouit & dataui sub die* IX. *KL. Nouemb. in anno* VIII. *regnante domino nostro feliciter Amen. Airardus presbyter recognouit & subscripsit.* Chlotarius ille filius erat Chlodouei Dagoberti F. vt idē chron. testatur, Guntchrannumque R. parentem vocat quod ex maioribus suis vnus, proauique patruus & loco patris fuerit.

VNA CVM DOMNIS ET PATRIBVS NOSTRIS EPISCOPIS] Hi enim in iudiciis regi adfidebant, vt etiam notauit Tillius, qui rectè curiæ seu Parlamenti originem hinc

deducit, illudque ita durasse vsque ad Philippi Valesij tempora, qui amplissimum Parisiensem Senatum à comitatu & consistorio principis separatũ, edicto constituit. Huius quoq; iudicij episcopis & proceribus adstãtibus forma refertur Antiquitatũ Fuldẽsium lib. I. *Anno dominicæ incarnationis* DCCCXXXVIII. *ind.* I. XVIII. *KL. Iulij facta est contentio Gozbaldi & Hrabani abatij, coram imperatore Ludouico & filius eius Ludouico & Carolo, necnon & principibus eius in palatio apud Niomagum oppidum constituto de captura, &c. præsentibus Trugone archiepiscopo, Otgario archiepiscopo, Radolto episcopo, &c. Adalberto Comite, Helphrico Comite, Albrico Comite, Popone Comite, Gobavuino Comite Palatij, Ruadharto similiter Comite Palatij, &c. innumerabilibus vasallis dominicis.*

OPTIMATIBVS NOSTRIS] Ita nobilissimi & regni priores in Appendice Greg. designantur, Capitul. lib. I. c. CXXXII. *vt omnes episcopi, abates, abatissæ, optimates & Comites*, lib. V. c. V. *per consilium sacerdotum & optimatum meorum.* Frequentissimè vero in Annalibus Fuldensibus à P. Pithœo & Mar. Frehero editis. Caroli Calui præceptum de fugitiuis S. Dionysij *statuimus cum communi consensu & consilio totius regni nostri optimatum.* Iidem *priores regni* Gregorio Turonẽsi, *primates* Appendici, *maiores & seniores* Hincmaro, *proceres* infra cap. XXXVIII. *Palatini* in Roberti R. priuilegio pro S. Dionysij cœnobio, *ex sententia Palatinorum nostrorum adiudicauimus.*

PATRIBVS ILLIS] Repetitio, hoc est episcopis illis, qui patres ab ecclesia, dignatione meriti & sacerdotij dicti sunt. Vrbanus PP.

ex Augustino apud Gratianum Distinction. LXVIII.

REFERENDARIIS ILLIS] Referendarios Romani habuerunt, qui supplicum desideria principi referrent, simulque eius iussiones & responsa exponerent, Nouel. x. & CXIII. Cassiodor. lib. VI. cap. XVII. vbi eorum describit officium. Apud Francos vero diuersum quodammodo munus erat. anulum namque principis Referendarium tenuisse Gregor. Turon. ostendit lib. V. c. III. Et eod. lib. cap. XLII. Vrsicinum Vltrogotthæ reginæ Referēdarium facit: subscriptionem etiam regiis litteris apposuisse idem testatur lib. X. cap. XIX. vt Referendarium summi Cancellarij munus sustinuisse apud Gregorium dubitari non possit. Quod & Sigebertus scribit ad annum DCXXXVII. *Referendarius*, inquit, *dicebatur ad quem publicæ conscriptiones referebantur, vt per eum anulo seu sigillo Regis confirmarentur.* Eadem fere Aimoin. lib. IV. cap. XLI. At cum plurium Referendariorum heic fiat mentio, & summorum Cancellariorum primæ regum familiæ diplomata reperiantur, suspicari licet hoc saltem tempore & postea Referendarios in aula Francica plures fuisse, qui scilicet libellos supplices & diplomata subscribenda regibus offerrent. Quod innuere videtur præceptum Dagoberti de fugitiuis S. Dionysij. *Landericus obtulit, Dagobertus Rex subscripsit*: in præcepto immunitatis eiusdem cœnobij, *Dado obtulit*, & in diplomate Chlodouei Dagoberti F. *Gerardus obtulit, Chludouius rex subscripsit.* Nisi forte coniicias ex referendariorum ordine vnum

aliquem anuli principis custodem fuisse. Hodie quidem Magistri libellorum supplicum eorum officio funguntur.

DOMESTICIS] de quibus ad lib. II. c. vlt. commodius tractabitur.

SENISCALCIS] Annales Fuldenses sub an. DCCCXXXVI. *Carlus per Autulfum Senescallum missò exercitu Britones domuit.* Sic & Vita Caroli M. apud Adhemarum, & Sigebertus: qui Audulfus in continuat. Aimoini lib. IV. C. LXXVIII. *regiæ mensæ præpositus* dicitur, eundemque Regino Prumiensis *principem coquorum* vocat: quo etiam officio functos sub tertia regum familia ex vetustiss. vernaculis carminibus obseruat Falcetus Origin. lib. I c. x. vt & plures extitisse, maiorem vero *dapiferum* tunc dictum etiam vexillum regium in acie detulisse. Robertus Monachus S. Remigij Rhemensis Histor. lib. IV. *Ipso die Podiensis episcopus perdidit dapiferum suum, qui suæ acici deferre solebat vexillum.* Inter primas certè regni dignitates hanc fuisse declarant regum tertiæ familiæ diplomata, quæ quidem à dapifero cum quatuor aliis familiæ regiæ præcipuis ministris subscribi consueuerant. Ludouici VI. R. diploma donationis ad S. Dionysium. *Præsentibus ex Palatio nostro, quorum nomina subtitulata sunt & signa, S. Ancelli tunc temporis dapiferi nostri, S. Giliberti buticularij, S. Hugonis Constabularij, S. Vuidonis Camerarij, Stephanus Cancellarius relegendo subscripsit. Anno* MCXII. Innumera eiusmodi litterarum exempla passim reperiũtur, adeo vt vacante dapiferi seu Senescalli officio, subscriberetur in litteris *dapifero nullo.*

Guilelm. Tyrius Hist. belli sacri lib. IV. cap. V. *Alexius megadomestici dignitate (quem nos maiorem seneschallum appellare consueuimus) fungeretur officio, ab imperatore secundus.* Itaque non malè eos in Maiorum domus locum successisse obseruatum est, nam *maioratum & seneschalciam* Hugo de Cleriis vocat. quod munus præclarè describit Hincmarus ex Adhalardo ep. III. c. XXIII. *Quæ videlicet cura, quamquam ad Buticulariũ vel ad Comitem stabuli pertineret, maxima tamẽ cura ad Seneschallum respiciebat, eo quod omnia cætera, præter potus, vel victus caballorum ad eundem seneschallum respicerent.* Eius quoque iura ab Hugone de Cleriis traduntur, qui Ludouico VI. R. vixit, & post Goffridum Abatem Vindocinensem à doctissimo Iac. Sirmondo editus est. Hunc nos hodie *Magnum Magistrum Franciæ* dicimus, de quo plura apud Tillium & Falcetum.

CVBICVLARIIS] Gregor. Turon. lib. VII. c. XXI. *Eberulfum cubicularium* Chilperici R. refert à Fredegunda accusatum, quod is principem occidisset, thesauroscque expilasset: vnde etiam apparet, thesaurorum curam ad cubicularium pertinuisse. Idem lib. X. cap. X. *Chundonem* Guntchranni R. *cubicularium* nominat. Plures fuisse ex hac formula & aliis locis manifestum est. Vnus vero cæteris præpositus fuit, de quo etiam suprascripti loci Gregorij Turonensis accipiendi sunt. Eius officium latè ab Hincmaro exponitur ep. III. c. XXII. (Camerariũ enim cum cubiculario eundem facio) *De honestate vero palatij, seu specialiter ornamento regali, necnon & de donis annuis militum, absque cibo & potu vel equis,*

ad Reginam præcipuè & sub ipsa ad Camerarium pertinebat, &c. Videndi Tillius,& Falcetus Origin. lib. I. cap. XI. Porro hos omnes proceres & regiæ familiæ ministros regij quoque iudicij participes fuisse probat Lex Ribuar. tit. XC. *iubemus vt optimates, maiores domus, domestici, comites, grafiones, cancellarij, vel quibuslibet gradibus sublimati in prouincia Ribuaria in iudicio residentes munera ad iudicium peruertendum non recipiant: quod si quis in hoc deprehensus fuerit, de vita componat.* Quod antè constituerat Gundebaldus R. in præfat. Legum Burgundionum.

COMITE PALATII] Hoc officio functos reperio Trudulfum & Romulfum apud Greg. Turon. lib. IX. c. XII. & cap. XXX. Aigulfum sub Chlodoueo Dagoberti F. R. in diplomate eiusdem regis, Andobellum sub Chlotario eius filio: sub Carolo M. Anselmum, Vvoradum, sub Ludouico Reginarium, Adhalardum, Bertricum, & sub Carolo Caluo Fulconem, Bernardum & alios. In quo versaretur horum officiũ plenè tradit Hincmar. ep. III. c. XXI. in finiendis scilicet controuersiis quæ ad palatium deferebantur, & vt si quid in legib. emendandum esset principi exponeret, & accepto responso emendaret, idemque cap. XIX. Comitem Palatij Archicapellano seu Apocrisiario confert: *præcipuè, inquit, duo, id est, Apocrisiarius, qui vocatur apud nos Capellanus, vel Palatij custos, de omnibus negotiis ecclesiasticis, vel ministris ecclesiæ, & Comes Palatij de omnibus sæcularibus causis vel iudiciis suscipiendi curam instanter habebant: vt nec ecclesiastici, nec sæculares prius domnum Regem absque eorum con-*

sultu inquietare necesse haberent, quousque illi præiderent, si necessitas esset, vt causa ante Regem meritò venire deberet, &c. Non tamen omnium causarum notionem ad illos spectasse certum est, sed tantum de pauperum & minus potentium causis. Capitul. lib. III. cap. LXXVII. *Neque vllus Comes Palatij nostri potentiorum causas sine nostra iussione finire præsumat, sed tantum ad pauperum & minus potentium iustitias faciendas sibi sciat esse vacandum.* Vice tamen regia sedisse & de maioribus etiam negotiis seu regum mandato, seu officij prærogatiua cognouisse, & ex hac formula & Chlotarij R. iudicio, quod supra exscripsimus palam est. Decreta nomine regio inscripta continebant, Regem ex relatione Comitis Palatij iudicasse, aut ab illo & proceribus iam iudicata firmasse. Itaque magna eius Comitis dignitas, magna potestas. Sangallensis lib. II. c. IX. *videntes Comitem Palatij in medio procerum concionantem, imperatorem suspicati, terratenus sunt prostrati.* Quem magistratum in Germanico imperio longo tempore durasse, multáque alia præclara ex iure Saxonico notat P. Pithœus, nunquam sine laude nominandus, Comit. Camp. lib. I. Ex diplomatibus & veteribus instrumentis breuiter & eruditè horum officium descripsit Io. Auentinus Annal. lib. IV. cuius verba lubet adscribere: *Is vicem Cæsaris præsidendo senatui principali defungebatur, fidem imperatoris implorantibus adcrat, iusque reddebat, fiscum Augusti, prædia Salica, redditus regios procurabat, Cæsareum censum exigebat, nihil citra eius authoritatem Duci aut decernere, aut statuere licebat, &c.* Ex quibus quam dissimile sit Senescalli

seu Magni magistri officium, quod plerique hodie confundunt, vel cæco perspicuum est. Illud addam, plures aliquando fuisse Palatij Comites, non in Germanico imperio tantũ, quod Auentinus & Pithœus tetigerunt, sed & in prima & secunda Francorum regum familia. Pipini Maioris domus de rebus S. Dionysij extat iudicium in tabulario eiusdem monasterij, vbi hæc verba reperias, *vbicumque eorum iustitiam inuenimus, sicut proceres nostri, seu Comites Palatij nostri, vel reliqui legis doctores iudicauerunt.* In Tradition. Fuldens. lib. I. vno eodemque tempore, sub Ludouico imp. anno DCCCXXXVIII. atque etiam in eodem iudicio duo referuntur Comites Palatij *præsentibus &c. Popone Comite, Gebavuino Comite Palatij, Ruadharto similiter Comite Palatij, Hattone Comite, &c.* Capitul. lib. III. c. LXXVII. *vt nullus Comes Palatij, &c.*

INDICVLVS COMMONITORIVS] Regiæ sunt litteræ, quibus episcopus ante regem in ius vocatur. CAP. XXVI.

POST VOS RETINEATIS] nostris veteribus scriptoribus *retenir riere soy*, penes se.

LEGIBVS REVESTIRE FACIATIS] id est eius rei quam abstuliisti possessionem ei restituas, iterumque eum vestias secundum formam legis qua ipse viuit. Vestiēdi verbum hoc sæculo frequens. Leg. Baiuuar. tit. XVII. cap. III. *mei anteſeſſores tenuerunt, & mihi in alodem reliquerunt, & veſtita eſt illius manu cui tradidi.* Pipini Maioris domus iudicium de rebus S. Dionysij, *vel casa S. Dionysij exinde vestita fuerat, vel à bonis & Deum*

timentibus hominibus datæ vel collatæ fuerunt, & ipsa casa legitimè & rationabiliter per legem exinde vestitu fuerat. Capitul. lib. IV. ca. XIX. *fideiussores vestituræ*, & C. XLII. *vestitura domni Karoli*, cap. XLV. *nostra vestitura*. Synodus Leptinensis an. DCCXLIII. *ecclesia cum propria pecunia reuestita sit*. In Traditionibus Fuldensibus sæpissime *vestitionis* & *vestitura* testes. In Appendice Frodoardi *vestitus*.

CAP. XXVIII. CHARTA AVDIENTIALIS] Regia quoq; est epistola, qua ad Comitem scribit vt quendam, qui eius iurisdictioni suppositus est, iudicium accipere & iudicatum facere cogat, aut si nolit fideiussorē det ad regis iudicium sistendi causa. Inde dictam *audientialem* puto, quod per eam quis ad principis audientiam vocetur. Vt enim Iurisconsulti *ius* pro loco dicunt, sic *audientiam* tum illi appellabant. Greg. Turon. lib. VII. cap. vlt. Synodi Meldensis cap. LXXVII.

PAGENSIS VESTER] Pagi appellatio latè patet. neque enim vicus tātum hoc nomine dicitur, sed & prouincia, aut saltem non exigua pars prouinciæ. Sic Plinio lib. IV. cap. XVII. *Gessoriacus pagus* non pro vico accipitur, sed pro magno agri tractu & ciuitatis vnius territorio. Sic & septem Heluetiorum pagi apud Cæsarē: quod Gallica lingua retinuit, solita tamen mutatione g in y: *païs* namque dicimus, vt Ios. Scaliger Phœnix ille litterarum obseruat. Greg. Turon. lib. IX. C. IX *quicquid de pago Stampensi vel Carnoteno*. Fredegarius in Appendice Gregor. si quidem illius est, cap. LVII. *concessisse pagum Theloſanum, Chatorcinum, Aganensem, Petrocorrcum, C*

Santonicum. Vnde pagenſes dicti, qui eiuſdem pagi ſunt. Pagis autem vt plurimum præerant Comites, itaque qui eorum ditioni ſubditi erãt *pagenſes* dicebantur. Gregor. Turon. lib. VIII. ca. XVIII. *Vuintrio dux à pagenſibus ſuis depulſus ducatu carut*. Præceptum Dagoberti de mercato S. Dionyſij, *Saxones & Vngarij & Rothomenſes & cæteri pagenſes de aliis ciuitatibus*. Capitul. lib. III. c. LXXIII. *vaſallos ſuos caſatos ſecum non retineat, ſed cum Comite cuius pagenſes ſunt ire permittat*. Eod. lib. c. XLIII. & lib. IV. cap. XIX.

PER FORTIAM TVLISSET] hoc eſt, per vim abſtuliſſet. Vnde noſtris *par force*, Leg. Ribuarior. tit. XI. 4. *Si quis regio aut eccleſiaſtico homini de quacumque libet re fortiam fecerit, & per vim tulerit, in triplum componat*. Leg. Baiuuarior. tit. I. c. V. *per fortiam hoſtilem aliquid prædare*. In lege Salica tit. XIV. 13. *per virtutem*. Formul. Incert. auct. cap. XXXIII.

TVLISSET] i. vi abſtuliſſet. Leg. Ribuar. tit. XI. Leg. Sal. tit. XIV. vetuſtis Francis *tollir* : & inde *male tolte*. Sic infra *tultis fideiuſſoribus*, pro ablatis & acceptis.

ILLE REX VIR INLVSTER] In antiquis regum noſtrorum præceptis & conſtitutionibus nil frequentius, vt *Childebertus vir inluſter* in Decreto poſt Legem Salicam, Chlotarius, Dagobertus, Pipinus, Carolus & alij in tabulario S. Dionyſij, & cæterorum cœnobiorum archiuis. Sic Ennodius Ticinenſis lib. IV. epiſt. X. ad Traſimundum Vandalorum regem ſcribens, *Viro inluſtri* epiſtolam inſcribit, vt ibi doctiſs. Sirmondus notat. Hoc enim titulo nullus CAP. XXIX.

maior in Romano imperio. Tanti enim erat apud exteras gentes illius imperij admiratio, vt cæteri reges eius dignitatibus & honoribus insigniri cuperent & honestari: vt de patricij & Cos. nomine & insignibus, quæ Chlodoueus R. ab Anastasio imp. recepit, Gregor. Turon. lib. II. c. XXXVIII.

ADSALLISSETIS ET GRAVITER LIVORASSETIS] Adsallire heic est adoriri, appetere, impetum facere, aggredi: vnde nostris *assaillir*. Liuorare est vulnerare, & contundere, liuoresque efficere. Leg. Salicæ tit. XLIV. *Si quis collecto contubernio hominem ingenuum in domo sua adsallierit*. Formular. Romanar. ca. XXX. *ipsum adsalliuit, vel ei insidiauit, & res suas ei contradixit, atque violenter super ipsum euaginato gladio venit: vnde liuores & capulaturæ, atque colaphi manifesti apparent*. & cap. XXXI. *me malo ordine assalliuit, vel liorauit*.

RAVPA SVA IN SOLIDOS TANTOS] pro *rauba*. i. veste. Leg. Alaman. tit. XLIX. *quicquid super eum rauba vel arma tulit, omnia sicut furtiua componat*, quod postea per vestimenta explicatur, *De fœmina, si ita contigerit dupliciter componat, vestimenta autem quæ super eam tulit, velut furtiua componat*. Var. Formul. cap. VIII. Raubæ autem vt & vestis appellatio latè pro omni supellectile & vestimentis accipitur, inde *desrober*.

CAP. XXX. COMMVTATIO CVM REGE] Hoc capite multa reperias, quæ inscriptioni non conueniunt. Est enim eiusmodi, *ille Rex, illi Regi*: sed postea inter regem & illustrem virum aliquid conuentum fuisse narratur: tum mentio fit eius

quod rex in animæ remedium dederit, quæ verba ad eccleſiam, aut monaſterium pertinere dubium non eſt. Tantum dicam eo animo ſcriptam fuiſſe videri, vt pluribus commutationis negotiis inſeruiret: vt planum ſit clauſulam aliquam aut quædam verba deeſſe. Cõmutationum autem plures infra formulæ extant lib. II. cap. XXIII. & XXIV. Incert. Auct. cap. XVII. Leg. Rom. c. XXVI. Variar. c. XIV.

LOCELLVM] Eodem exemplo infra lib. II. c. I. facultaticula Synodi Agathenſis c. VII. *caſellæ, mancipiola*, Synodi Aurelianenſis IV. c. XIX. *terrulæ, vineolæ*.

CVM COLONICIS ILLIS] Colonica eſt villa ſeu villula, cùm modo agri quantum Colonus vnus colere poteſt, nec admodũ à manſo diſtat, adeo vt manſus & colonica aliquando promiſcuè dicantur. Synodi Valentinæ ſub Lothario imp. cap. IX. *ſæculares & fideles laici, ſi condere voluerint baſilicas in prædiis ſuis, ſicut edictum piiſſimorum Auguſtorum continet, vnam Colonicam veſtitam cum tribus mancipiis donationis* (al. dotis) *gratia eis conferant*. Edictum illud extat Capitul. lib. I. c. XCI. & in Vita Ludeuuici Pij, & Aimoin. continuat. lib. V. c. X. Synodi Meldenſis c. LXIII. vbi tamen *vnus manſus integer* vbique dicitur, quem *Colonicam vnam* hæc ſynodus vocat. Quod ipſum ibidem & in cæteris conciliis & capitulis *dos eccleſiæ* dicitur. Synodi Coloniẽſis c. IV. c. I. De cenſib. Burchardus lib. III. c. LII. Itaque manſus & colonica non ſemper certam quãtitatem, ſed modo maiorẽ, modo minorem agri modum continebant, quemadmodũ hodie

videmus in illis possessionibus quas *fermes & mestairies* dicimus. Aliquando etiam sub manso colonicam comprehensam reperi. Chron. S. Benigni circa an. MVII. *Fœmina quædam nobilis Aremburgis dicta, mater Letbaldi Matisconensis episcopi, cum eodem filio suo dedit sancto Benigno in villa Lu vocata septem mansa, cum syluaibi adiacente, & seruis qui de prædictis mansis septem colonicas tenebant.* In summa plerumque Colonica, Mansus, Villa, & in Germanicis scriptis diplomatibus & instrumentis Hoba & Hobunna pro eodem accipi debent. Tradition. Fuldens. lib. II. *duas Hobas seruiles*, item *vnam Hobam cum omnibus ad eam pertinentibus*, eod. lib. *trado seruum vnum cum sua Hoba.* Colonia quoque pro Colonica vsurpatur: Flodoard. Hist. Rhem. lib. IX. c. XIX. de Ebone præsule, *Colonias nonnullas ecclesiæ, descriptis per strenuos viros colonis, eorumque seruitiis ordinauit.* Hincmar. De Villa Nouiliaco, *quasi de fisco regis quasdam colonias de ipsa villa obtinuit in proprietatem.* Carolus Caluus an. regni XVIII. Indict. VI. (apud Cochlæum in Histor. Niuernens.) *dedit ecclesiæ Maniacensi mansos* XV. *& colonias* VI. In Tradit. Fuldensib. lib. I. Vuilibaldus episcopus cœnobio Fuldensi, *in supradicto loco nouem trado colonias (hoc sunt Hobunnæ) integras cum omnibus adiacentiis & finibus suis, in arialis, in terris arduriis, in syluis, in campis, in pratis, in pascuis, aquis, aquarumue decursibus, ædificiis, molinariis, mancipiis cum omni supellectili eorum*, ex quibus etiam liquet, quid coloniæ, seu colonicæ nomine veteres intellexerint.

NOS PRO ANIMÆ NOSTRÆ REMI-

DIO

DIO IBI DEDIMVS] Satis apertè declarant hæc verba, ad commutationem cum ecclesia aut monasterio factam hanc clausulam pertinere. Porro commutationes de rebus ecclesiasticis, vt & cæteræ omnes alienationes, synodis & constitutionibus prohibitas fuisse constat. Synodi Meldensis c. XXIII. Synodi Valentinæ sub Lothario imp. cap. XXI. Benedictus Leuita Capitul. lib. V. c. XLVII. Burchardus Decret. lib. III. c. CLXIV. & seqq. Tamen specialiter principi in Synodo Siluanectensi concessum est vt commutationes cum ecclesia facere possit. *Si princeps voluerit rem immobilem sanctis locis præstare, & accipere ab eis aliam immobilem rem, & eo modo permutationem contrahere, liceat hoc facere ei diuina pragmatica sanctione ab eo promulgata.* Quæ verba Iuliani antecessoris sunt Nouellarum interpretis cap. XXXIII. ex Nouel. VII. Aliis vero absq; regis licentia nō licebat: Burchardus lib. III. c. CLXXII. *Ne commutationes rerum vel mancipiorum ecclesiasticorum quælibet persona sine licentia & consensu regio præsumat facere.* Ideoque Flodoardus Hist. Rhemens. lib. II. c. XIX. Ebonem antistitem *imperialia super eisdem commutationibus præcepta* obtinuisse refert. Et Tradition. Fuldens. lib. II. *Conuentione inter se de concambio facta rogatu antedicti Comitis cum scientia & licentia glorioſi Francorum regis Ludouici, &c.*

SI ALIQVIS CONTRA REGIS VOLVNTATEM EGERIT] Hac formula princeps securitatem tribuit ei qui iussu eius aliquem sibi aduersarium aut infidelem occidit, vel expulit, resq; illius in fiscum redegit, quem CAP. XXXII.

ab omni iniuria tutum & innoxium esse iubet, vetatque ne propinquis & amicis illius eo nomine aut armis, aut iudicio eũ persequi liceat. Extat de ea re caput legis Baiuua tit. II. c. VIII. *Si quis hominem per iussionem regis vel ducis sui, qui illam prouinciam in potestate habet, occiderit, non requiratur ei, nec faidosus sit, quia iussio domini sui fuit, & non potuit contradicere iussionem, sed dux defendat eũ & filios eius.* Idipsum statuitur Capitul. lib. v. c. CCXV. *Si quis iussione regis vel ducis illius, qui ipsam prouinciam regit hominem occiderit, non requiratur ei: nec propterea faidosus sit, quia lex & iussio dominica occidit eum, & non potuit contradicere. Princeps vero & successores eius defendant eum, & totam progeniem eius, ne ob hoc pereat, aut malum patiatur. Quod si propterea ipse, aut eius progenies aliquid mali passi fuerint, aut occisi, dupliciter componantur.*

CVM RELIQVIS PARIBVS SVIS] Pares sunt socij & æquales. Sic supra cap. XII. *qui pari suo ex ipsis in hoc sæculo superstes extiterit.* Leg. Ribuar. tit. LI. *qui parem suum superuixerit.* Leg. Alaman. tit. XLV. *Si qua rixa orta fuerit, &c. illi pares sequuntur eum vsque in domum suam cum armis.* Capitul. lib. III. cap. LXXI. *Quicumque &c. parem suum contra hostes communes in exercitu pergentem dimiserit, & cum eo stare noluerit, honorem suum & beneficium perdat*, & cap. LXXII. Capitula Caroli Calui ad Aquitanos an. DCCCLVI. *si talis est causa, vt illum inde familiariter non debeat admonere, ante suos pares illum in rectam rationem mittat & ille iustum iudicium iustitiæ sustineat*: Quod *iudicium sociorum* Burchardus in lege Familiæ vocat.

Si quis (inquit) ex aliquo commissio in manus episcopi cum indicio sociorum suorum peruenerit, ipse cum omnibus possessionibus suis eo diiudicetur. Sic in libris Feudorum passim *pares curiæ* seu *curtis* dicuntur qui ab eodē domino feuda tenent, quasi pares inter se. Friderici imp. constitutio apud Radeuicum lib. IV. c. VII. *Si inter dominum & vasallum lis oriatur, per pares curiæ à domino sub debito fidelitatis coniuratos terminetur.*

FACIENTEM REVELLO] Ita Ms. Legendum vero *rebellem*: nam de eo loquitur qui principi rebellis & infidelis existit.

PRO TALI REVELLO IN VITA ORDINAVERAMVS EVM INSEQVI] Leg. Ribuar. tit. LXXI. *Si quis homo regi infidelis extiterit, de vita componat, & omnes res eius fisco censeantur.* Annales Fuldenses ad ann. DCCCLXI. *Ludouicus Ernustum summatem inter omnes optimates suos quasi infidelitatis reum publicis priuauit honoribus.*

CALVMNIAM] id est actionem: plura ad Formulas Legis Romanæ.

PRÆCEPTVM QVORVM AB HOSTIBVS VEL ALIO MODO FVERINT INSTRVMENTA INCENSA] Certi iuris est instrumentis igne, vel naufragio consumptis, hostium incursu vel alio casu perditis, nullum ex ea re domino præiudicium fieri, modo tamen de eius dominio, debito aut alio iure sufficiens sit alia probatio. L. Sicut, cum seqq. Cod. De fide instrument. Adeo vt quibus casibus per testes probatio iure non admitteretur, tamen instrumenti amissio, & CAP. XXXIII.

eius tenor per testes probari possit. L. Testium facilitatem in fi. C. De testib. Quoties autem casus aliquis eiusmodi contigit, ne postea difficili probatione ius domini deterius constituatur, receptum fuit litteras à principe impetrare, quibus causa cognita, & re probata ex relatione incolarum, cauetur ne amissio ei noceat, sed res quas possidet, securè in posterum sicut antea semper possideat. Sicque eiusmodi litteræ sunt ei omnium instrumentorum instar. Itaque etiam his litteris singillatim res singulas & possessiones omnes recensere moris erat. Appellantur à Flodoardo *præcepta de chartis combustis* Hist. Rhemens. lib. II. cap. XVII. de Tilpino episcopo, qui à Carlomanno R. plura priuilegia obtinuit. *Item de chartis crematis, quarum tunc temporis per negligentiam acciderat exustio, vt res & facultates ecclesiæ, quas eo tempore possidebat, ita permanerent absque diminutione confirmatæ ipsi ecclesiæ per regiam eius auctoritatem.* Extant & aliæ eiusdem rei formulæ inter Formul. incer. auct. cap. XLVI. vbi id ex Romanis moribus descendere dicitur, & Formul. Leg. Rom. cap. XXVII. & XXVIII. A Comite quoque impetrari solitas probat formula XLVI. Incert. auct. Eodem ferè pertinent litteræ, quas hodie *lettres en forme de terrier* appellamus.

REGIO MVNERE] Vide quæ suprà ad c. III. notata sunt.

ALODE] s̃. cap. XII. vbi nos plura.

RELATIONEM BONORVM HOMINVM] vt amissio instrumentorum probaretur, & præterea vt illi adsererent quid his chartis

comprehensum esset,& quæ bona ille tum possideret. Eius formula seq.cap.exhibetur.

ILLE REX ILLI PATRITIO] Patritios olim dictos qui maiorum gentium senatores essent,nemo nescit. Patritiatus demum dignitas sub imperatoribus summa, & omnium honorum apex , quos quasi patres principis Iustinianus ipse agnoscit. §. Filiusfamilias Institut. Quib.mod.ius pat.potestat.solu.l.vlt.De consulib. lib. XII. Cod. & Nouel. LXXXI. Formula patritiatus extat apud Cassiodor.lib.VI. cap. II. quem vnitantum cedere fulgori ait,consulatui scilicet, solámque cæterarum dignitatum successoris ambitionem non timere. quam tamen dignitatum maximam nihil iurisdictionis habuisse ibidem testatur. Patritios quidem legationes obiisse,exercitibus præfectos, summam rerum aliquando tenuisse legimus. quo exemplo fuerunt sub primis Francorum regibus etiã Patritij summæ dignitatis. Itaque Galliarum patritios memorat Synodus Arausicana,à Cæsario Arelatensi contra Faustum Rhegiensem habita: vt & Gregorij magni PP. registrum, vbi Arigium & Asclipiodotum & alios sub Francorum regibus eo munere functos videre est.Ex Gregorio Turon.multis locis liquet sub Guntchranno R.patricios fuisse,qui Rhodano finitimas prouincias regerent, & exercitus ducerent, eamque dignitatem *patriciatus honorem* & *patriciatus culmen* vocat: qua donatos fuisse Agrœculam, Celsum, Pericium,& Mummolum refert lib.IV.c.XXIV. & XLII. Quod etiam ex Appendice Fredegarij apparet, vbi Vltra- CAP. XXXV.

Iuranis Patricios datos Ægilanem, Quolenum, Protadium, Vulfum, Richomerem, Vuillibaldum, illoſque exercitibus præfectos fuiſſe tradit. Inter Duces certè numerari clarè eiuſdem Appendicis Auctor innuit cap. LXXVIII. *Dagobertus de vniuerſo regno Burgundiæ exercitum promouere iubet, ſtatuens eis caput exercitus nomine Chadoinum referendarium &c. qui cum decem Ducibus cum exercitibus, id eſt Amalgario, Æremberto, Leudeberto, &c. Vuilibaldo patricio ex genere Burgundionum, exceptis Comitibus plurimis qui Ducem ſuper ſe non habebant, in Vuaſconia cum exercitu perrexiſſet, &c.* & c.xc. Vuillibaldum *ex patriciatus ſui termino* plurimam ſecum adduxiſſe multitudinem pontificum & nobilium. Ex quibus manifeſtum eſt Patriciis exercitus regendos, prouincias adminiſtrandas datas fuiſſe: in ſumma cum Ducibus eodem munere functos. Ideoque Marculfus ſupra cap. VIII. eadem formula Duces Comites & Patricios à principe inſtitui docet. Sic & Carolum M. Patricium fuiſſe Romanorum, iiſque hoc nomine imperaſſe, infinita diplomata & hiſtorici teſtantur. Patriciorum quoque dignitatem ab Anglis vſurpatam reperio apud Alcuinum ep. II. quæ ad Æthelredum regem & Oſbaldum Patricium ſcripta eſt: cuius etiam Patricij meminit Rogerius Houedenus Annal. par. I. ſub ann. DCCXCVI.

ADTRACTVM] id eſt acquiſitum & comparatum. Paſſim his Formulis & in veteribus inſtrumentis.

SVB NOSTRO SERMONE] hoc eſt ſub noſtra defenſione, tuitione & mundeburde.

Supra cap. XXIV. Leg. Salicæ tit. LIX. *tunc rex ad quem mannitus est extra sermonem suum ponet eum.*

CAP. XXXVI.

VT CAVSAS AVCTORVM ADSVMENDI SVORVM ALIQVIS LICENTIAM HABEAT.] Vt quis iure auctoris sui vti possit, ius commune id præstare videtur, adeo quidem vt ius superueniens auctori meo, ius quoque meum confirmet L. Si à Titio De Rei vindicat. Tamen id confirmandi, & tollendæ dubitationis causa, litteras quoque principis impetratas fuisse docet hæc formula: quibus à principe episcopo vel abati conceditur, siue etiam alteri, qui res ab aliis emerant, quorum auctores sine heredibus decesserant, vt auctorum suorum defensionibus vti, imò & easdem instituere actiones & exercere possent.

INFRA REGNVM VESTRVM] Leg. *nostrum.*

PER QVODLIBET INGENIVM] id est quacumque occasione, aut artificio. Gregor. Turonens. lib. VI. cap. XXII. *Proclamante episcopo & dicente, quod sæpius hic ingenia quæreret qualiter eum ab episcopatu dejceret.* Capitul. lib. II. cap. XXXI. *aliorum suasionibus aut petitionibus, vel aliquo ingenio.* Sic & *malum ingenium* in Leg. Sal. tit. XXXVI. 4. & Capitul. lib. II. c. XXXII. *nullus omnino sub mala occasione, vel malo ingenio res pauperum, vel minus potentum nec emere, nec vi tollere audeat*: olim apud nos *par mal engin.*

HOMALLANDI] siue obmallandi. i. agendi, iudicio experiundi, & alterum in ius vocandi, vt dictum est cap. xxxvi.

SVPER ANNIS CONTRA QVEMCVMQVE SANCIENDI] Hæc videntur esse corrupta. Verum commodè referri possunt ad cõtinuationem possessionis, hoc est vt tempora possessionis auctorum cum eorum possessione continuentur & coniungantur: quod etiam ad vsucapionem Iustinianus extendit. §. Diutina Instit. De Vsucapion. l. 1. Cod. De vsucapione transform.

CAP. XXXVII. IVDICIVM EVINDITALE] hoc est declaratorium, quo rex notum & euidens facit quendam in palatio die dicta iudicio stitisse, aduersarium vero vadimonium deseruisse. Ideoque Comiti mandat, vt contra absentem qui per triduum expectatus non venit sententiam proferat secundum consuetudinem loci, eundemque ad parendum compellat. Eiusdem argumenti formulæ extant in Formul. Incerti Auctor. cap. xxxviii. & Formul. Leg. Rom. ca. xxxiii. quæ proximè huic capiti accedunt. Quibus iungi debet notitia de iactiuis cap. xxii. Incert. Auct.

ADSALLISSET] Adsallire, aggredi, impetere, adoriri, qua de re supra, vt & de Liuorandi quod sequitur vocabulo.

RAVPA SVA] i. vestem, seu in vniuersum aliam supellectilem. Formula cautionis de infracturis, quæ vltima inter Varias est, & *exinde annonam vel aliam raupam in solidos tantos furauit.* Sed de his supra.

IN SOLIDOS TANTOS] id est, quæ tot solidis æstimabatur.

CAVSANTES] aliâs *placitantes*, nobis *plaidans*. Formul. Leg. Rom. c. XXXIII. *rationantes*.

A QVO PLACITO VENIENS] Mallem *ad quod placitum*. Placitum vero generaliter pro die dicta vsurpabant, in qua quid agendum gerendumve esset, quod scilicet sic inter partes pactum conuentum fuisset. Sic conuentus regios in quibus de summa regni tractabatur placita dixerunt, quæ post *parlamenta* dicta. Greg. Turon. lib. VII. c. XIII. & XIV. & aliâs passim. Sic & *placitum legatis dare* ait Greg. Turon. lib. VI. c. XXXIV. pro legatos audire & absoluere. Vnde placitum pro iudicio sumptum, Synodi Turonensis III. cap. XXXV. *pro quolibet placito vel iudicio à qualibet persona munera exigere*. Synodi Arelatensis sub Carolo M. c. XVI. *Ne in dominicis diebus publica mercata, neque causationes disceptationésq. exerceantur*. Synodi Turon. III. c. XXXIX. *placita sæcularia*. Sic *placitum Comitis*, & *placitum centenarij* in Capitul. lib. III. nostris *plaids*. Gregor. Turon. lib. VII. cap. XXIII. *placitum in regis Childeberti præsentia posuerunt*.

PER TRIDVVM SEV AMPLIVS VT LEX HABVIT PLACITVM SVVM CVSTODISSET] Sic c. XXXVIII. Formul. Incert. auctor. & Leg. Roman. cap. XXXIII. ex quo discimus non vno tantum die, sed triduo aduersariũ expectari debuisse. Gregor. Turon. lib. VII. cap. XXIII. *Iniuriosus ad placitum in conspectu regis Childeberti aduenit, & per triduum vsque occasum solis obseruauit. Sed cum hi non veniissent, neque de causa hac*

ab vllo interpellatus fuisset, ad propria rediit. Iunge Leg. Sal. tit. LIX.

ABIECTVS SIT] hoc est vadimonium deseruerit, & defecerit, à deiecti & deiiciendi vocabulo. Formul. Incert. Auct. cap. XXII. *placitum suum exinde neglexit, & iactiuus inde remansit.* Cautio de infracturis Variar. cap. vlt. *& si exinde negligens & iactiuus apparuero.* Leg. Salicæ tit. LII. 3. *quem legitimè habeo adiactiuum vel admallatum secundum legem Salicam.* quo loci videndus Fr. Pithœus.

SOLSATISSIT] id est solem ei occasum fuisse, ante solis occasum iudicio non stitisse, Nam post solem occasum nemo se iudicio sistere poterat. Gregor. Turon. lib. VII. ca. XXIII. *per triduum vsque occasum solis expectauit.* Sic Leg. Salicæ tit. LII. *solem collocare & per singulas admonitiones vel solem culcatum terni solidi accrescant.* Sic olim apud Romanos in legibus Duodecim Tabularum *solis occasu diei suprema tempestas esto,* apud Varronem lib. VI. De lingua Latina. Hunc vero morem solis occasum opperiundi apud Francos multis sæculis durasse, probāt veteres Duelli formulæ, quas doctiss. Io. Sauaro edidit, in quibus ante solis occasum aduersarium vincere necesse erat, aut id nominatim excipiendo sibi cauere. De ciuilibus quoque negotiis illud ipsum Philippus de Beaumanoir testatur, qui sub Philippo III. R. Claromontensis Comitatus in Bellouacis Leges patria lingua scripsit, cuius verba sunt hæc cap. II. ex codice optimi doctissimique viri Ant. Oi-

selli se li aiornemens est fais à releuée ou as vespres, l'euure de la presentatiõ dure iusques à Soleil esconsant, & qui de Soleil luisant se presente il ne puet estre en defaute du iour.

NVLLA SONNIA NVNTIASSET] Sonnia est impedimentum, excusatio: Sunnis in Leg. Sal. tit. I. Leg. Ribuar. tit. XXXIV. Capitul. lib. III. cap. XLV. Ecsonia in Formul. Leg. Rom. cap. XXXIII. nobis *Exoine* de quibus integro capite agit Philippus de Beaumanoir quem modo laudaui, cap. III. *Des Essoines & contremans.* Veteribus quibusdam monimentis *soine.* Non placet hanc vocem deducere ex alia barbarica voce *Exidoniare*, vt quidam scripsere: Nam hæc duo vocabula toto cælo inter se distant, qua de re aliâs. Mallem à morbo suntico, sunnis originem petere.

COMES PALATII NOSTRI TESTIMONIAVIT] Sic infra capite proximo: & in iudicio Chlotarij R. quod supra exscripsimus: quæ verba Comitem Palatij cum proceribus vice Regia cognouisse manifestè ostendunt: nomine tamen regio iudicia inscripta erant, quod & hodie in Senatusconsultis fieri solet.

COMPONERE ET SATISFACERE NON RECVSET] Itaque hoc iure qui defecerat & vadimonium deseruerat causa cadebat. Quod etiam Lege Duodecim Tabularum cautũ fuit, *præsenti litem addicito* apud Gellium lib. XVII. cap. II. verum postea id mutatum. Vlpianus inl. Et post edictum LXXII.

De iudiciis *pronunciabitur non vtique secundum præsentem, sed interdum vel absens si bonam causam habuerit, vincet.* Franci tamen perpetuò obseruarunt vt absens causa caderet, nisi iustam absentiæ causam nuntiasset. Consuetudines Regulæ à Ricardo Abate Floriacensi constitutæ consilio Vicecomitum & Baronum terræ Anno DCCCCLXXVII. *Ille qui die assignata vsque ad horam septimam coram priore non comparuerit, tanquam conuictus iudicabitur.* Illud quoque passim occurrit in veteribus amplissimi Senatus Parisiēsis monimentis. Donec constitutione Francisci I. R. statutum est vt absente reo actor tamen necesse habeat legitimè probare iustam actionis causam. Quod antea à iudicibus ecclesiæ, qui lege Romana vtebantur, obseruatum: Eleutherius PP. apud Gratianum in can. Caueant iudices III. quæst. I.

CAP. XXXVIII. CHARTA PARICLA] *paricla* pro *paricula* scriptum est. Est autem iudicium Comitis Palatij, quo statuit vt quidam qui fugitiuum seruum recepisse accusabatur certa die iuraret cū sex aliis se non fecisse, & ita crimen obiectum purgaret. Et quia neutra pars victa dici poterat, iubentur ambo eius iudicij similia exempla accipere: ideo *paricula* dicitur *charta* quod eiusdem exempli duæ litigantibus dandæ essent. Sic Variar. Formul. cap. XIV. *vnde duas epistolas paricular, vno tenore conscriptas, manu eorum vel bonorum hominum firmatas, inter se fieri & firmare rogauerunt.*

ITEMQVE HOMINEM] Videtur aliquid deesse, desiignatio videlicet quorundam qui eodem crimine accusabantur, quod dictio *item*

demonstrat: deinde quinque denominatos esse dicit, quorum vnus iurare iubetur.

FORTITER VISVS EST DENEGASSE] Gregor. Turon. lib. VII. c. XXIII. *Post hæc in iudicium venit: sed cum fortiter, vt diximus, denegaret, & hi non haberent qualiter eum conuincere possent, iudicatum est vt se insontem redderet sacramento.*

DE QVINQVE DENOMINATIS] ex quinque reis vnus purgari iubetur sacramento, ex quo etiam patet initio capitis quædã deesse.

SVA MANV SEPTIMA] porrectis namque manibus iurabant, tactisque sacrosanctis euangeliis, aut altari, aut etiam quod frequentissimum erat sanctorum reliquiis. Solebant enim non in ciuilibus tantum & leuiorib. causis, sed & in criminalibus cum nulla probatio suppeteret, iusiurandum decernere vt reus crimen purgaret. Leg. Baiuuar. ca. XII. tit. XV. 2. *Iudex causam suam bene cognoscat, & prius vel tacitus inquirat, vt cum veritas latere non possit, nec facilè ad sacramenta veniatur*, paulò pòst, *Nulli liceat periurare, sed sicut iudicatum est cogatur exsolui. In his vero causis sacramenta præstentur in quibus nullam probationem discussio iudicantis inuenerit.* Gregor. Turon. lib. VII. c. XXIII. Formul. Incert. Auctor. ca. II. III. V. In legib. Frisionum *non iuret, sed componat ac si ipse eum occidisset.* Leg. Angl. tit. IX. *si negat cum vndecim iuret, aut campo decernat.* Denique nil frequentius in his legibus. V villelmi Normanni Angliæ R. leges apud Houedenũ, *Si Anglicus appellauerit Francigenam, & eum approbare voluerit iudicio aut duello, volo tamen Francigenã purgari sacramento, non ferro.* Verum non vni tan-

tum reo deferebatur iusiurandum, sed & alios tres, quinque, duodecim, aut amplius prout iudicatum fuerat necesse habebat adducere, qui scilicet idem quod ipse iurarent: qui *iuratores* & *coniuratores* in Lege Salica dicuntur tit. L. LV. LXI. Capitul. lib. III c. IX. vt *sacramentales* & *consacramentales* passim his legibus. Auctor Vitæ S. Eligij Nouiomensis lib. II. c. LI. apud Surium, *lata sententia est vt vir ille cum multis alijs iuraret, sic enim apud Francos in more positum est, verum Abas omnibus alijs remisit iuramentum, ne alterius flagitio implicarentur. Solus ille agri vsurpator procerum sententia iurare iussus est.* Leg. Baiuuar. cap. XII. tit. II. 3. *cum duodecim sacramentalibus iuret de lite sua, vel duo campiones propter hoc pugnent.* Gregor. Turon. lib. VIII. c. IX. *Fredegundis regina, coniunctis primoribus regni sui, id est tribus episcopis & trecentis viris optimis, sacramenta dederunt hunc à Chilperico rege generatum fuisse: & sic suspicio ab animis regis ablata est.* Idem lib. VIII. c. XL. de Pelagio quodam qui res S. Martini abstulerat, *ille electis duodecim viris vt hoc scelus peieraret aduenit.* Capitul. lib. I. cap. LXIII. lib. III. c. IX. & X. lib. V. c. CCI. & CCX. Theganus Treuirensis Chorepiscopus De gestis Ludouici c. XXIX. de Paschalis PP. purgatione: inde frequentissimè *manu quinta, manu sexta, septima, duodecima*, in veterib. legibus, Capitulis, epistolis Romanorum pontificum, & in libris Feudorum. Quæ demum purgatio canonica dicta est, quod ea tantum purgationis species ab ecclesia probaretur: cæteris duelli, ferri candentis, crucis, aquæ calidæ, panis hordeacei damnatis. Ea de re tituli sunt lib. V. Decreta-

liũ De purgatione canonica, & De purgatione vulgari. Iurisiurandi forma refertur Leg. Alaman. tit. VI. solum videlicet reum conceptis verbis iurare, cæteros vero iuratores hoc tantum, credere illum vera iurasse. Innocentius III. PP. in cap. De testibus De purgatione canonica, *illi qui ad purgandam alicuius infamiam inducuntur, id solum tenentur iuramento firmare, quod veritatem credunt eum dicere qui purgatur.* Ex consuetudine tamen iurandi periuria adeo inualuerant, vt iurisiurandi probatio à plerisque reprobaretur, & Burchardus Vuormatiensis episcopus in Lege Familiæ duellum eius loco suffecerit.

SVPER CAPELLAM DOMNI MARTINI VBI RELIQVA SACRAMENTA PERCVRRVNT] hoc est super reliquias S. Martini, quæ in Palatio asseruabantur, quibus etiam tactis Palatinæ causæ iureiurando finiebantur. Solenne fuit iusiurandum publicè in ecclesiis, aut martyrum tumulis & altaribus præstare, aut etiam extra ecclesiam admotis sanctorum reliquiis. Gregor. Turon. lib. IV. cap. XLVI. *requirit hominem alium Vrsum nomine, quem ad altare clam adductum, iurare fecit ac dicere: Per hunc locum sanctum & reliquias martyrum beatorum, &c.* lib. V. cap. XXXII. *Si, inquiunt, est innoxia, super tumulum hoc beati Dionysij martyris sacramentis adfirma. Faciam, inquit pater. Tunc inito placito ad basilicam martyris sancti conueniunt, eleuatisque pater manibus super altarium, iurauit filiam non esse culpabilem.*

lib. VIII. c. XVI. de impij cuiusdam voce, qui peierare consueuerat, *ibo ad basilicam beati Martini, & sacramento me exuens innocens reddar.* Idem de Miraculis lib. I. c. XXXIII. *Quidam tempore Felicis (Biturigum) episcopi, vicinos suos quodam pro crimine impetebat: quos cum plerumque verbis procacibus lacesseret, ac iudicio publicè prouocaret, decretum est sententia primorum vrbis, vt se ab hac noxa qui impetebantur, sacramento purgarent. Ingressique in eius memoratæ ædis altare, cum eleuatis manibus sacramenta proferrent, &c.* Leg. Alaman. tit. VI. *sacramenta sic fieri debent vt illi iuratores manum suam supra capsam ponant.* Capitul. lib. I. c. LXIII. Synodi Meldensis c. XXXIX. *tantum hoc malum est, vt ad sanctuaria martyrum, vbi diuersorum ægritudines sanantur, ibi periuri, licet manifestè interdum vexari non videantur, iusto Dei iudicio à dæmonibus arripiantur, sicut sanctus dicit Gregorius.*

SVPER CAPELLAM DOMNI MARTINI] Capellam pro capsa dici in qua martyrum ossa conderentur, vel hic locus euincit. Nam & super capsam iurare Lex Alaman. tit. VI. dicit. Sic etiam accipitur in Formul. Incert. Auct. cap. III. Euodius De miraculis S. Stephani lib. I. *Capella argentea in qua erat reliquiarum portio.* Reliquias igitur S. Martini in palatio asseruatas innuit hæc formula, vnde capellæ regiæ seu sacello nomen. Sangallensis lib. I. c. IV. *De pauperibus supradictis quendam optimum dictatorem & scriptorem in Capellam suam assumpsit, quo nomine reges Francorum propter cappam S. Martini, quam secum ob sui tuitionem & hostium oppressionem iugiter ad bella portabant, sancta sua appellare solebant.* Hodie vero

capellam

capellam vocamus quam veteres cellam & sacellum dixere.

PERCVRRVNT] i. fieri & præstari solent, à consuetudine quæ impetu & cursu quodam fertur: S. Augustinus Confession. lib. I. c. XVI. *va tibi flumen mortis humani, quis resistet tibi? quandiu non siccaberis?*

DE HAC CAVSA DVCTVS SEDEAT] ductus pro eductus, hoc est extra aleam & periculum positus: non dissimiliter nostris, *se tirer d'affaire.*

CVM LEGIS BENEFICIO] hoc est pretio compositionis, quę Lege statuta est. Videantur veteres Leges.

ÆQVALES PRÆCEPTIONES] eiusdem exempli, inde in titulo *charta paricla* seu *paricula*, Variar. Formul. c. XIV.

VT PRO NATIVITATE REGIS INGENVI RELAXENTVR] Regis est epistola, qua Comitibus & Domesticis mandat sibi filium natum. Ideoque iubet vt in vnaquaque fiscali villa tres serui manumittantur, & lætitiæ & eleemosynæ causa. Eo pertinet & illud Gregor. Turon. lib. VI. c. XXIII. *Dehinc Chilperico regi post multa funera filiorum, filius nascitur: ex hoc iubet rex omnes custodias relaxari, vinctos absolui, compositionesque negligentum fisco debitas præcepit omnino nõ exigi.* Illud præterea in hoc lemmate obseruandum, filium regis regem dici, quod tunc vsitatũ fuisse ex Greg. Tur. apparet, qui lib. III. ca. XXII. Theodebertũ Theoderici R. filium regem vocat: & lib. IV. c. XIII. *intendebat & ipse rex Chramnus minas*, qui tamen perduellis patre superstite. CAP. XXXIX.

Chlotario R. interfectus est. Sic & filiæ regum reginæ dictæ: Gregor. Turon. lib. x. c. xv. de Chrodieldi Pictauensi moniali, *Nolite super me quæso vim inferre, quæ sum regina filia regis.* Rigordus in Philippi Augusti Vita, regis Lusitaniæ filiam, Flandriæ Comiti nuptam, *Reginam Comitissam* vocat. Nec nouo id exemplo. Seruius in Virgilij Eclog. III. in fi. *Regum autem nomina dixit, non quoniam ipsi reges fuerint, sed quia regum filij: vt, Magnum reginæ sed enim miseratus amorem, eum de Ariadne diceret, Pasiphaes reginæ filia.*

ALIORVM DOMESTICORVM SVNT ACTIONIBVS] actionibus. i. officiis & ministeriis, qua de re latiùs supra cap. XI. de Domesticis vero ad c. vlt. lib. II. dicetur.

CAP. XL. PER VESTRAS EPISTOLAS] Formula epistolæ manumissionis, quæ iussu regis à Domestico celebratur extat cap. vlt. lib. II.

VT LEVDE SAMIO PROMITTANTVR REGI] hoc est vt fidelitatis sacramentum regis filio promittatur, quem rex in parte regni sui regem constituit, in Austria aut Neustria fortasse, quod crebrò sub prima regum Francorum familia factitatum. Corrupti vero quid esse in hoc titulo suspicor, aut certè plenius inquirendum censeo. Nam quid *samio* sibi velit, nondum reperi. Fortasse scriptum erat. *Vt leudis sacramentum promittatur regi*: sacramenti vocabulo breuiatim scripto nec postea intellecto.

TAM FRANCOS ROMANOS VEL RELIQVAS NATIONES] Omnes quippe illi permixti habitabant. Sic supra c. VIII. *omnes pe-*

pulsi ibidem commanentes, tam Franci, Romani, Burgundiones vel reliquæ nationes. Romani autem veteres incolæ appellabantur: omnes namque prouinciales Romani imperij, ciues Romani erant posteonstitutionem Antonini, L. In orbe De statu homin. & inde euerso imperio nomen Romanũ retinuere, Leg. Salicæ tit. XXXIV. *Si Romanus Frãcum ligauerit sine causa.* & tit. XLIII. 6. *Romanus homo conuiua regis.* 7. *Romanus homo possessor.* 8. *Romanus tributarius.* Greg. Tur. lib. II. ca. XXXIII. de gũdebaldo R. *Burgũdionib. leges mitiores instituit ne Romanos opprimerent.* Leg. Burgund. tit. XL. *Cæterum si quis posthac barbarus vel testari voluerit vel donare, aut Romanam consuetudinem, aut Barbaricam esse seruandam sciat,* & passim his Legibus. Cassiodor. lib. VII. cap. III. *necessarium duximus illum &c. ad vos Comitem destinare, qui secundum edicta nostra inter duos Gothos litem debeat amputare: si quod etiam inter Gothum & Romanum natum fuerit fortasse negotium, adhibito sibi prudente Romano, certamen possit æquabili ratione distringere. Inter duos autem Romanos Romani audiant.* Vetus Constitutio Chlotarij R. nondum edita, quam eruditissimus Iac. Sirmondus humanitate & liberalitate sua mihi communicauit. *Inter Romanos negotia causarum Romanis legibus præcipimus terminari.* Sed de his, si Deus dederit, aliâs plura.

BANNIRE] id est edicto conuocare. Bannum enim edictum est & denunciatio quælibet. Appendix Gregor. Turon. cap. LXXXVII. *Iussu Sygoberti omnes Leudes Austrasiorum in exercitu gradiendum banniti sunt.* Leg. Ribuar. tit. LXVII. *Si quis legibus in vtilitatem regis, siue in hoste, siue in reli-*

quam vtilitatem bannitus fuerit, & minimè adimpleuerit, si ægritudo eum non detinuerit, *solidis* LX. *multetur*. Capitul. lib. III. c. LXIX. *quicumque homo nostros habens honores in hostem bannitus fuerit.* lib. IV. cap. XXV. *non manniatur sed per comitem banniatur.* Hincmar. ep. IV. ca. XV. Synodus Confluentina an. DCCCLX. *ab hoc die & deinceps de Dei banno & nostro bannimus, vt nemo hæc amplius præsumat.* Sic bannum pro denunciatione & edicto. Capitul. lib. III. c. LXVI. & lib. IV. c. XXIV. & LX. Inde etiam pœna seu mulcta edicto non obtẽperantis bannum dicitur sæpe in capitulis & aliâs. Vt & Heribannum pro mulcta eius qui ad exercitum ire neglexit, quod nos *Ariereban* dicimus. Gregor. Turon. lib. V. c. XXVI. lib. VII. c. XLII. Capitul. lib. III. cap. XIV. & XXXV. Cuius vocis vestigia plura apud nos hodie remanent, siquidem & nuptiarum proclamationem *bannos* appellamus.

MISSO NOSTRO] Legato, qua voce nil frequentius.

EX NOSTRO LATERE] Sic Greg. Tur. lib. IV. c. XIII. *misit rex Imnacharium & Scaptarium primos de latere suo.* Vita Ludeuici Pij, quæ etiam apud Adhemarum extat, & Aimoini continuationi subiuncta est lib. V. c. X. *Eodem anno generalem conuentum Aquisgrani habuit: & per vniuersas regni sui partes fideles ac creditarios à latere suo misit, qui æqui iuris tenaces existentes peruersa corrigerent, omnibusque congruum ius æquo libramine penderent.* Sangallensis lib. II. c. IX. *tunc ex latere Cæsaris directi sunt qui eos honorificè introducerent.* Hodie quidem summi pontificis legatos cardinales *legatos à latere* dicimus.

FIDELITATEM] Gregor. Turon. lib. VII. c. VII. *Priores quoque de regno Chilperici, vt erat Ansoualdus & reliqui, ad filium eius qui erat vt superius diximus quatuor mensium se collegerant, quem Chlotarium vocitauerunt, exigentes sacramenta per ciuitates quæ ad Chilpericum prius aspexerant, vt scilicet fideles esse debeant Guntchramno regi ac nepoti suo Chlotario.* & cap. XIII. de Gararico duce qui *sacramenta de nomine Childeberti susceperat.* Appendix Greg. cap. LXXVI. Capitul. lib. III. c. VIII. *Vt nulli alteri per sacramentum fidelitas promittatur, nisi nobis & vnicuique proprio seniori ad nostram vtilitatem & sui senioris, &c.* & cap. LXXXVIII. Eius porro sacramenti formulam P. Pithœus de litteris optimè meritus edidit, vna cum secundæ regum familiæ historicis.

LEODE] pro fide accipio. Leudes namque apud Gregorium Turonensem ij dicuntur qui fideles regis sunt, & qui nulli præterquam principi obnoxij sunt, quos sequens ætas *barones* dixit. Gregor. Turon. lib. IX. c. XX. in pactione regum apud Andelaum, *leudes illi qui domno Guntchranno post transitum domni Chlotarij sacramenta præbuerunt.* Appendix Gregor. cap. LIV. *Chlotarius cum proceribus & leudibus Burgundiæ Trecassinis coniũgitur*: & passim. Idem leudes baronum nomine comprehendit, c. XLI. *Burgundiæ barones verò tam episcopi, quàm cæteri leudes timentes Brunichildem.* Vnde proculdubio feudum *leudum* siue *leben* hodie quoque Germani vocant, quod iam à Cuiacio, initiò Feudorum obseruatum est. Huc referri posset quod nos *ligium hominium* seu *homagium* dicimus.

SAMIO] Corruptè vt quidem censeo, aut certè plenius inquirendum. Putarem notis *sacramenti* vocem heic scriptam nec intellectam.

PER LOCA SANCTORVM VEL PIGNORA] Appendix Gregor. c. xc. *hi duo Flaochatus & Vuilhibaldus, eo quod multa ad inuicem per loca sanctorum de amicitia obliganda sacramenta dederant.* De eiusmodi sacramento proximè supra diximus.

PIGNORA] reliquiæ sanctorum. Id porrò heic obseruandum in eam rem à rege missas, vt sibi aut filio fidelitatis sacramētum præstaretur.

AD LIB. II.

HVIVS libri titulus in Ms. ita conceptus erat, INCIPIT SCEDOLA QVALITER CHARTÆ PAGENSES FIANT, quod omissum nolui. Igitur superiore libro omnium litterarum & negotiorum formulas tradidit Marculfus, quæ regio nomine & in palatio expediri solerent. Hic vero chartas pagenses continet, eas videlicet, quæ in vnoquoque comitatu & pago in præsentia Comitis, aut Vicarij, aut Centenarij, aut etiam priuatim peragi possent. Nam vt antea diximus ritè & publicè quidpiam perficiendi duo tum legitimi modi: in Palatio ante regem, aut in pago ante Comitem. Pleraq. existunt etiam negotia quæ per epistolam fieri possunt, quorum etiam formulæ secundo libro comprehenduntur. Ideoq.

magnus Cuiacius qui hoc eodem codice vsus fuerat, hanc totius operis diuisionem respiciens hoc titulo sæpe Marculfum laudat, *in Marculfi monachi libro de formulis publicorum priuatorumque negotiorum.* in Pauli sentent lib. IV. tit. VI. etsi non omnia quæ secundo libro traduntur priuata sunt, nam quod ante Comitem peragitur publicum non priuatum est. Vide Capitul. lib. IV. C. XIX. XXVI. XXIX.

DE MAGNARE QVI VVLT XENODOCHIVM AVT MONASTERIVM CONSTRVERE] Xenodochij seu hospitalis, aut monasterij constructio est & dotatio, à priuato quolibet in animæ remedium & peccatorum remissionem facta. Omnes quippe donationes, fundationes & priuilegia ecclesiis concessa his atque adeo superioribus sæculis, hanc remedij animæ causam continent. Vt fallatur Falcetus qui Antiq. lib. V. c. X. nõ ante Dagoberti R. tempora ecclesiis bona in animæ remedium, aut remissionem peccatorum data existimat, sed tantum *ad opus, in vsum luminum & sarta tecta.* Nam vetustissima quæque monumenta etsi pecuniæ vel fructuum destinationem contineant, vt in sarta tecta, aut in vsum luminum sufficerent, hanc tamen causam prætendunt, vt ad veniam à Deo impetrandam dantibus prosint. Saluianus disertissimus ille Massilienſis presbyter integris quatuor libellis Timothei nomine ad Ecclesiam Catholicam, diuites omnes vehementissimè adhortatur, præcipuè eos quos grauium delictorum terror exagitat, quosque peccatorum conscientia excruciat, vt peccare & Cap. I.

labi desinant, tandemque peccata sua misericordiis, largitionibus & eleemosynis redimãt. Gregor. Turon. lib. VI. c. XX. de Chrodino quodam qui domos, vineas, argentum ecclesiis distribuens dicebat. *Sint hæc ecclesiæ data, vt dum de his pauperes reficiuntur, mihi veniam obtineant apud Deum*, & lib. IX. c. XLII. in Radegundis epistola, *quæ alij pro animarum suarum remedio vel sorores ibidem de rebus propriis contulerunt*. Hæc vero formula longam eius argumenti præfationem continet. Qua ratione postea eo vsque progressum est, vt plerique de industria peccarent, quod crederent se donationibus in ecclesiam factis posse crimina quæcumque nullo negotio aboleri: Obeamque causam Synodo Cabilonensi sub Carolo M. reprobata est hæc opinio cap. XXXVI. nimirum aduersus eos qui de industria peccantes per eleemosynas impunitatem sibi promittebant. *Non enim*, inquit, *idcirco quis peccare debet, vt eleemosynam faciat: sed ideo eleemosynam facere debet quia peccauit*. Eodem pertinet quod tum illo concilio, tum in Capitulis res ecclesiæ *patrimonia pauperum & pretia peccatorum* appellantur.

SEV QVIDAM] ita emendaui pro *quidem*, vt constaret sensus.

QVOQVE SCELERIBVS] pro *& sceleribus*.

OPTAT] huius clausulæ quæ durius conscripta mendis etiam non caret, sententia est. Ille scelerum & flagitiorum conscientia excruciatus & Christiano nomine indignus, optat dotatione & constructione monasterij, & eleemosynis peccata sua extingui, quod etiam pas-

sim sacra scriptura spondet: idque adductis rationibus plenius probat, deinde rem ipsam aperit.

COLONICIS] De Colonica dictum est supra lib.I.c.xxx.

REMOTA PONTIFICVM] hæc clausula ad exemptionem ecclesiæ pertinet, ex voto ædificantis vel dotantis, quæ iustissima est causa, qua de re satis ad cap.I. lib.I.

CABALLORVM PRESTVS] prestus, id-est præstationes.

PARAVEREDA] de quibus lib.I. cap.XI.

MINVENDI CAVSAM] Causa pro re, vt nostris *chose*. Gregor. Turon. lib.IV.c.XIII. *multæ causæ per eum inrationabiliter gerebantur*. Capitul. lib.V. c.CCVIII. *si quis causam alterius tulerit de loco suo*.

INFERAT SOCIETATI QVOQVE ET FISCO] aliâs *socio quoque fisco*: vtrumque retineri potest. In pœnis enim fiscum socium adiungebant, vt infra omnibus penè formulis.

PENITVS NON RESERVARI] Leg. *reseruaui*.

PROLOGI] Præfationes sunt variæ quæ donationi ad ecclesiam conueniunt, & omnes remissionis peccatorum & animæ remedij causas continent. Cuius exempli pleraque instrumenta donationum videre est in antiquis ecclesiarum monumentis. CAP.II.

COMAM CAPITIS MEI IBIDEM DEPOSVI] Capitul. lib.I.cap. CXLIII. *Vt liber homo qui in monasterio regulari comam deposuerit, & res suas ibidem deleganerit, promissionem factam secun-*

dum regulam firmiter teneat. In tabulario S. Martini Turonensis. *Ego Galfardus S. Martini humillimus Leuita, &c. dono, trado Deo necnon S. Martino, vbi parentes mei me obtulerunt nouo ordine traditionis per capillos capitis mei illic comam relinquens &c. proprium meum qui ex successione parentum meorum mihi obuenit, &c. Dat. x. KL. Iulij, Anno* XVII. *Regnante domino Karolo Rege.*

CAP. III. PECVLIO VTRIVSQVE SEXVS] Peculij vox variè accipitur. Nam præter notiorē significationem eius quod à patre vel domino filio, aut seruo concessum est, vel quod illi parsimonia & industria quæsierunt, veteres etiam omne patrimonium peculij nomine appellabant, auctore Seruio in Eclog. I. à pecoribus in quibus eorum vniuersa constabat substantia, vnde & pecunia dicta. Vlpianus quoque ea quæ Græci περιφερνα dicunt Gallos *peculium* appellasse testatur. L. IX. §. Dotis, De iure dotiū. Heic vero pro pecudibus peculium vsurpari manifestum est, idque non abs re, cum & peculij vox à pecudibus deducta sit. Sic infra cap. IV. *peculio vtriusque sexus maiore vel minore.* cap. VII. & aliàs sæpè. Synodi Aurelianensis I. C. XVII. *De his quæ parochius in terris, vineis, mancipiis, atque peculiis quicumque fideles obtulerint, antiquorum canonum statuta seruentur.* Rotharis R. in Legibus Longobardorum tit. CV. 19. *Si quis caballum alienum aut quodlibet peculium credens suum esse priserit.*

EA SCILICET RATIONE] Precaria est, de qua postea c. V.

NE QVICQVAM AVRI TALIVM VILITATE] Asteriſco hunc locum notaui, quod

eum integra fide curare & restituere non potuerim. Sensus tamen hic esse videtur, donatorem velle præsentem donationem insinuari gestis municipalibus: etsi non eius fortasse quantitatis sit quę insinuationem desideret: nam ducentorum aureorum donationes, non minoris quantitatis, insinuari solitas ante Iustiniani constitutionem notum est.

SI QVIS VERO] Omnibus ferè huius libri formulis pœna adscribitur, si aduersus eas factum cõmissumue quid fuerit, vt & in Capit. lib. III. ca. XXV. quod tutius est quam ad id quod interest agere, cuius plerumque difficilis probatio, & ad exiguam summam deducitur l. vlt. De prætoriis stipulat.

STIPVLATIONE SVBNIXA] fortasse quod stipulatio antè interuenerat, vel etiam huius clausulæ ea mens est, vt perinde firmum id habeatur, atque si in stipulatum deducta res fuisset. Nam stipulatio commune erat omniũ obligationum astringendarum vinculum: Paulus Sentent. lib. v. tit. VII. Id porrò ex iure Romano petitum, omnibus formulis etiam inferioris ævi adscriptum videre est: cuius loco sæpè in Traditionibus Fuldensibus, *culmo subnixa*: quasi stipulatio à stipula descenderet, quod Isidorus asserit Origin. lib. v. *Stipulatio à stipula. Veteres enim quando sibi aliquid promittebant, stipulam tenentes frangebant, quam iterum iungentes sponsiones suas agnoscebant.* Quamquam credibile sit Isidorum cum hæc scriberet de iure hospitij & tessera hospitali cogitasse: aliam certè stipulationis notationem Varro, aliam quoque Iu-

risconsulti tradunt.

CAP. IV. CESSIO] ex causa donationis. Vet. instrumentum donationis tempore Iustini imp. *huic cessioni atque donationi à me factæ in beatissimo atque apostolico viro sacerdote Rauennatis ecclesiæ ad omnia quæ superiùs tenentur adscripta relegi, consensi & subscripsi, & testes vt subscriberent conrogati, stipulantique vobis, vir beatissime, & actoribus tuis in præsentia constitutis, in verbis solennibus spopondi*, quæ ideo longius exscripsi, quia non longè à nostris formulis absunt.

CAP. V. PRECARIA DE IPSA VILLA DVM VIVIT] Res ecclesiæ alienari non posse multis Synodorum decretis, pluribus etiam imperatorum regumque constitutionibus sancitum est. Illud tamen receptum, vt petenti ad certũ tempus rei ecclesiasticæ vsusfructus non denegetur, si quidem non minus quam alterius tantæ quantitatis quantam acceperat reditus, cum ipsorum prædiorum dominio ecclesiæ derelinquat, L. Iubemus. §. sanè omnis Cod. De sacrosanctis eccles. Synodi Beluacensis cap. XI. Meldensis c. XXII. Solebant & qui res suas ecclesiæ dabant, precibus rogare vt sibi quoad vixissent iis vti frui liceret, vt hæc formula ostendit, & supra huius libri cap. I. III. Incerti Auctor. formul. c. XXVII. Formul. Leg. Rom. cap. VII. Leg. Alaman. tit. II. *Si quis liber res suas ad ecclesiam Dei dederit, &c. & posthæc à pastore ecclesiæ per beneficium susceperit ad victualem necessitatem conquirendã diebus vitæ suæ, & quod spopondit persoluat ad ecclesiam censum de illa terra, &c.* Leg. Baiuu. c. I. tit. I. *posthæc nullam habeat potestatem exinde quicquam auferre, nec*

ipse, nec posteri eius, nisi defensor ecclesiæ illius per beneficium præstare voluerit ei. Instrumentum vero seu chartam, quæ eo nomine cõficiebatur, *precariam & precatoriam* appellabant, quod precib. concessa videretur: Cõcilij Toletani VI. c. V. *Si quis clericorum vel aliarũ quarumlibet personarum stipendiũ de reb. cuiusdam ecclesiæ, episcopi percepit largitate, sub precariæ nomine debeat professionem scribere: vt nec per tẽtionem diuturnam præiudiciũ afferat ecclesiæ.* Synodi Epaunensis c. XVIII. Rhemẽs. sub Carolo M. ca. XXXV. vnde & ipsum negotij genus precaria dicitur. Quod à precarij contractu apertè deductum est, quamuis diuersa sit vtriusq. negotij natura. Nam ad certum tempus precaria cõstituitur non ad domini nutum, & vt plurimum merces siue census in precaria interuenit, non autem in precario quod grãtuitum est. Tãdem omnis concessio vsusfructus rerum ecclesiæ ad certum tempus precaria dicta est, licet qui petit de suo nihil donauerit. Pipinus R. in Synodo an DCCXLII. *vt sub precario & censu aliquam partem ecclesialis pecuniæ in adiutoriũ exercitus nostri cum indulgẽtia Dei aliquanto tẽpore retinæamus, &c. & iterũ si necessitas cogat, aut princeps iubeat, precariũ renouetur & rescribatur nouũ.* Capit. li. V. c. III. ex synodo Leptinẽsi: & lib. VII. c. CIV. *præcipimus vt nullus res ecclesiæ nisi precario possideat, & postquã ipsæ precariæ finitæ fuerint, faciãt potestatiuè speculatores ecclesiæ vtrũ elegerint, aut vt ipsas res recipiant, aut posterus eorũ sub precario & cẽsu habere permittãt.* Videj. c. 39. 40. 41.

SED DVM POSTEA NOSTRA FVIT PETITIO] Flodoard. Hist Rhem. lib. II. c. I. de Mapinio episcopo: *Huius quoque temporibus Suauegotho*

regina Rhemensi ecclesiæ tertiam partem villæ Virisiaci per testamenti paginam delegasse reperitur. Quam partem ipse quoque præsul Teudechildi præfatæ reginæ filiæ vsufructuario per precariam saluo ecclesiæ iure concessit. Ita duntaxat vt post eius obitum, absque vllo præiudicio; sicut ab ea meliorata fuisset, ad ditionem Rhemensis reuocaretur ecclesiæ.

AD BENEFICIVM VSVFRVCTVARIO ORDINE] Sic beneficium pro precario accipit Tertullianus Aduersus Hermogenem: *tribus modis aliena sumuntur, iure, beneficio, impetu, id est dominio, precario, vi, dominio non suppetente*: ideoque & precarium genus liberalitatis esse Iurisconsulti testantur. L. 1. & 11. De precario. Sic & in L. Iubemus. §. Sane Cod. De sacrosanctis eccles. vbi hoc negotij genus describitur. *Pacta conscribat per quæ & tempus, intra quod hoc præstari placuerit, statuatur, & manifestum sit quod quisque acceperit huiusmodi beneficij gratia.* Leg. Alaman. tit. 11. *à pastore ecclesiæ per beneficium susceperit.* Leg. Baiuuar. cap. 1. tit. 1. *per beneficium præstare.* Constitutio Synodi Pistensis an. DCCCLXII. de villis B. Dionysij, *has villas, cum omnibus quæ per precarias aut beneficia, inde homines retinent, &c.* Inde beneficij nomine ea prædia dicta, quæ pro seruitio militari à rege siue etiam ab aliis concedebantur, quæ feuda posteritas dixit: initio nãque vita accipientis finiebantur, & ex certis causis reuocari poterãt. Capitul. lib. 1. c. CXXXII. *qui beneficia regalia tam de rebus ecclesiasticis, quam quæ & de reliquis habere videntur, &c.* lib. III. cap. v. XIX. XX. lib. IV. c. IX. Carolus Caluus R. in diplomate pro ecclesia Rhemensi apud Flodoard.

lib.III.c.IV. *quicquid exinde nos fidelibus nostris beneficiauimus, præsentialiter restituimus.* Hincmarus De villa Nouilliaco, Carolus *dedit villam Nouilliacum in beneficio Anschero Saxoni, qui nonas ac decimas ad partem Rhemensis ecclesiæ vsque ad mortem suam persoluit.* Synodi Meldensis c. XVIII. *vt præcepta illicita iure beneficiario de rebus ecclesiasticis facta à vobis sine dilatione rescindãtur,* & cap. XX. cap. IIII. Itaq; cùm Hadrianus PP. ad Fridericum Ænobarbũ scripsisset *multa se ei beneficia* contulisse, hoc verbo exarsit imperator, quod sic excusat Pontifex apud Radeuicum lib.III.c.XXII. *Licet enim hoc nomen quod est beneficium, apud quosdam in alia significatione, quam ex impositione habeat, assumatur, tunc tamen in ea significatione accipiendum fuerat, quam nos ipsi posuimus, & quam ex institutione sua noscitur retinere. Hoc enim nomen ex bono & facto est editum, & dicitur beneficium apud nos non feudum, sed bonum factum.* Aliquando autem in donationibus ecclesiæ factis nominatim cauebatur, ne in beneficium præstarentur, cuiusmodi exempla sunt in Traditionibus Fuldensibus lib.I. *vt nulli clericorum aut laicorum aliquando res ipsæ quas tradidi in beneficium præstentur, sed ad locum quo præfatus martyr corpore quieuit perpetuò deseruiant.* lib.II. *vt nullius clerici aut laici, aut alterius personæ beneficium nunquam fiat, & si vnquam factum fiat, nos iure hereditario prædictum locum accipiamus, vel successores nostri accipiant.*

PONTIFICIVM NON HABEAMVS] id est potestatem, facultatem, infra cap. VIII. IX. & passim his formulis. Gellius lib.I.c.XIII. *re semel statuta deliberatáque ab eo, cuius negotij id ponti-*

ficium esset. L. I. Cod. Th. De maternis bonis, *ita sint in parentum potestate atque dominio, vt fruendi pontificium habeant, alienandi eis licentia derogetur.* L. III. Cod. Th. De fide catholica, *neque his penitus posthac obtinendarum ecclesiarum pontificium facultatemque permitto.* In veteri instrumento S. Galli Alamannicar. Antiquit. To. II. quo etiam precaria huic formulæ omnino simillima continetur: *absque præiudicio S. Galluni ipsam villam tenere & vsare facias, & nullum pontificium habeas de ipsa villa nec vendere, nec donare, nec alienare, nec minuare, sed in quo possumus semper meliorare faciamus.*

PER HANC PRECATVRIAM] precaturia pro precaria. Synodi Epaunensis ca. XVIII. *Quod clerici etiam sine precatoriis, qualibet diuturnitate temporis de ecclesiæ remuneratione possederunt, in ius proprietatis temporis præscriptione non vocetur.* Flodoard. Hist. Rhemens. lib. II. c. V. ex Synodo Rhemensi sub Sonnatio episcopo, *de his quæ per precatoriam impetrantur ab ecclesia, ne diuturnitate temporis ab aliquibus in ius proprium vsurpentur, & ecclesiæ defraudentur.*

AC SI SEMPER PER QVINQVENNIVM RENOVATA FVISSET] infra cap. XXXIX. *absque vlla alia renouata, vt mos est in cæteris precaria.* Incer. Auctor. cap. XLI. *& vt aliæ precariæ de quinquennio in quinquennium renouantur, istam vero non sit necesse renouandi.* Id institutum nelõginquitas temporis proprietati obsisteret, vt Toletani concilij VI. verbis vtar. Synodi Beluacensis C. XIII. *vt precariæ de quinquennio in quinquennium secundum antiquam consuetudinem & auctoritatem renouentur.* Meldensis C. XXII. Capitul. Caroli

Caroli Calui c. IX. Burchardus lib. III. c. CLXIX. cap. I. De precariis. Precariarū porro præter has formulas exempla extant in Appendice Flodoardi, Adalberonis episcopi tempore: in Veteribus S. Galli instrumentis, quæ Alamannicar. Antiquit. To. II. à Goldasto edita sunt, & in Traditionibus Fuldensibus.

CONTRA HANC EPISTOLAM DONATIONIS NOSTRÆ] Nil frequentius hoc libro, & in Formulis Leg. Rom. quam per epistolam negotium gerere, atque adeo omnes huius libri formulæ in epistolæ modum conceptæ sunt, vt supra *Domino sancto, &c.* infra *Dulcissimis filiis, nepotibus &c.* Receptum illud esse sub Romanis imperatoribus probabile est, paulatim recedente solennium verborum vsu, quibus per multas ambages res agebantur. Itaq. & manumissio per epistolam fieri poterat L. Qui absenti XXXVIII. De adquirenda vel amitt. possess. §. Multis Instit. de libertin. Cautionū quoque & obligationum per epistolā exempla passim occurrunt. Imo & testamenti loco plerunque epistolæ scribi solitæ, vt de Hilarione B. Hieronymus prodit, earumq; epistolarum infinita exempla iurisconsulti proferunt, L. Miles LXXV. De Legat. II. L. Alūnæ. §. vl. De adim. leg. CAP. VI.

CHARTA DONATIONIS INTER VIRVM ET FOEMINAM] de eiusmodi donatione lib. I. c. XII. CAP. VII.

QVOD PARITER IN CONIVGIO POSITI LABORAVIMVS] Leg. Salicæ tit. XLVII. 2. *Si ibi aliquid elaborauit, quia legem noluit audire, amittat.* Leg. Ribuar. tit. XXXIX. 2. *Tertiam partem de omnire quam simul conlaborauerint.*

Tradition. Fuldens. lib. I. *Notitia traditionis Hrunghoten, qualiter ille pro æterna retributione elaboratum suum omne tradidit, hoc est, porcos* LX. *vaccas* VI. *oues* XII. alibi in donatione Benedicti. *De elaboratu meo sunt hæc: boues* XXXIX. *porci* LXXII. *oues* XX. *mappas* IV. *manutergia* II. *plumacia* VI. *opertoria* II. *pallia linea* VI. *puluilli* XIV. *&c.* lib. II. *trado omnem laborem meum.*

CAP. IX. CHARTA OBNOXIATIONIS A PATRE IN FILIIS FACTA] Epistola est qua pater, qui bonorum vxoris suæ præmortuæ vsumfructum à filiis accepit, remunerandi causa illis donat villas quasdam suas, earum tamen vsufructu retento: atque ita se obnoxium reddit, vt ne illas in posterum alienare aut minuere possit. Ideoque hæc formula Obnoxiatio appellatur. Quæ res proximè ad precariam ecclesiæ accedit, de qua infra cap. XXXIX. Nam & in fine additur clausula precariis adscribi solita, vt perinde valeat atque si per quinquennium renouata fuisset.

GENITRIX VESTRA] Leg. *genitrici vestræ.*

E VINDICASTIS] Flodoard. Hist. Rhemens. lib. III. c. X. *res quoque nonnullas, iuraque ecclesiæ, ac mancipia, legibus per aduocatos euindicata recepisse reperitur.*

CAP. X. EPISTOLA CVM IN LOCO FILIORVM NEPOTES INSTITVVNTVR AB AVO] Epistola est codicillorum loco, qua auus nepotes ex filia prę̨mortua ad successionem vocat. Ex quo non dubium est, in lemmate legi debere *in loco filiarum* non *filiorum.* Similis est &

alia inter Formul. Leg. Rom. c. XXII. verum ad legem Romanam ea pertinet, hæc autem quæ indistinctè concepta est, ad Legem Salicam, vt opinor, referenda: etsi de Lege Romana potest etiam accipi: qua de re ad Leg. Roman. Formulas.

DVLCISSIMIS NEPOTIBVS MEIS] Sic in L. Lucius Titius LXXXVIII. §. Quæ marito. De Legatis II. L. Titia XXXIV. §. 1. De Legatis II. & passim: proprium illud liberorum epitheton. *Dulces natos* dixit Virgil. Æn. IV. *Dulces liberos* Horatius.

PER LEGEM] Salicam scilicet. Illa etenim tit. LXII proximiores tantum admittit, & nepotes omnes repellit. Quod Childeberti R. Constitutione innouatum est, *vt nepotes ex filio vel ex filia ad auiaticas res cum auunculis vel amitis sic venirent, tanquam si pater aut mater viui fuissent.* Potest & de Lege Romana accipi, quæ ante Iustinianum ab intestato tertiam partem auiaticæ successionis nepotib ex filia detrahebat, L. IV. Cod. Th De legitimis hereditat. vt opus fuerit hac epistola in vice codicillorum, ne vllam deminutionem paterentur.

QVANDO EAM NVPTAM TRADIDI] hoc est vt dotem matris conferant, si ad eius successionem accedere velint. L. V. Cod. Th. De Legitimis heredit. *Vt mixtis matrum suarum dotibus, aut hereditatem pro rata parte, quam lex dialis censuit cum auunculis partiantur.* Ibid. Amianus *quicquid filia accepit tempore nuptiarum.*

DE PRÆSIDIO NOSTRO] supra lib. I. c. XII. *cum terris &c. seu præsidis domus eorum*, hoc

libro c.vii. *terris, villabus, domibus cum omni præsidio, etiam peculium, præsidium vtriusque generis & sexus.* Gregor. Turon. lib. vi. c. iv. *inruerunt in domos Lupi, & direpto omni præsidio, fingentes se illud in thesauro regis recondere suis cum domibus intulerunt.* lib. ix. cap. xix. in pactione regum apud Andelaum. *Si quid de agris fiscalibus, vel speciebus atque præsidio pro arbitrij sui voluntate facere, aut cuiquam conferre voluerit, in perpetuo auxiliante domino conseruetur.* Ex quibus locis coniicio præsidij nomine pecuniam numeratam, aurum, argentum & alia id genus intelligi. Nam & Celsus in L. Si chorus lxxix. §. i. De Legatis iii. ait Proculum referre *audisse se rusticos senes ita dicentes, pecuniam sine peculio fragilem esse: peculium appellantes quod præsidij causa seponeretur.* Cui conuenit quod ait Constantinus imp. in pecunia veteres robur omne patrimoniorum posuisse. L. xxii. Cod. De administrat. tutor. In Formulis vero Incerti auctoris præsidij nomine pecudum greges, & boum armenta significari videntur cap. xlvii. *etiam peculium, præsidium vtriusque generis & sexus.*

Cap. xi Charta qvi svo nepote aliqvid meliorare volverit] Nolui quid immutare, nam sæculi & auctoris vitium esse videtur. Est autem formula donationis, qua pater nepoti ex filio aliquid donat, vt præcipuum illud habeat, sitque melior eius nepotis conditio, quam cæterorum.

Absqve consortio fratrvm tvorvm] In donatione Haganonis ad S. Martinum anno V. HLudouici imp. *Fridegisi*

Abati trado mansum nostrum dominicatum quem extra consortium fratrum in hereditate habemus in pago Blesensi.

VEL FILIIS MEIS] Leg. *filiorum meorum.* CAP. XII.

VT FILIA CVM FRATRIBVS IN PATERNA SVCCEDAT ALODE] Lege Salica, Ribuaria & aliis, filia in alode seu terra paterna non succedebat. Hac vero formula patrem ad successionem suam potuisse eam reuocare, & veluti heredem cum fratribus instituere manifestum est. Quæ formula apud Cuiacium Obseruat. VIII. edita extat.

INTER NOS CONSVETVDO TENETVR] Consuetudinem vocat Leges Salicas, Ribuarias & similes: meritò, cum multo ante vsu receptæ quam in scriptis redactæ sint. Sic autem Leg. Salicæ tit. LXII. *De terra vero Salica nulla in mulieris hereditate transeat portio, sed virilis sexus totam terram proprietatis suæ possideant*, quæ diuersa ab editis, ex Ms. Reg. exscripsi. Leg. Ribuar. tit. LVIII. *sed dum virilis sexus exuterit, fœmina in hereditatem auiaticam non succedat.* Leg. Saxon. c. XXXIX. *Pater aut mater defuncti, filius non filiæ hereditatem relinquant.* Leg. Anglionum tit. VII. *hereditatem defuncti filius non filia suscipiat: si filium non habuit qui defunctus est, ad filiam pecunia & mancipia, terra vero ad proximum paternæ generationis consanguineum pertineat.* quod & olim Armeniis placuisse, & à Iustiniano imp. sublatum docet Noù XXI.

TERRA PATERNA] Alode, Leg. Ribuar. tit. LVIII. *terra auiatica*, in Leg. Saxon. & Anglion.

hereditas. Vide supra ad c. XII. lib. I.

CAP. XIII. SI QVIS EXTRANEVM HOMINEM IN LOCO FILIORVM ADOPTAVERIT] Adoptio est, quæ tamen propriam legem continet. Fit enim ab eo qui rebus suis superesse nō potest, ideoque statim bonorum suorum possessionem in adoptatum transfert, ea conditione vt victum & vestitum quamdiu vixerit ei suppeditet.

PACTVM INTER PARENTES DE EORVM HEREDITATE] Diuisio paternæ hereditatis inter fratres, vt & Formul. Incert. auct. c. XXXIX. Leg. Rom. XXV. Parentes autem heic & alibi non ratò dicuntur non propriè & ex vsu veterum, sed in ea significatione quam vulgo hodie retinemus, pro quibuscumque proximis vel consanguinitate iunctis. Gregor. Turon. lib. V. c. V. *cuius parentes condolentes propinqui exitum &c.* lib. VI. c. XXXVI. *coniuncti parentes grauissimis clericum tormentis subdentes interimere voluerunt.* Qua voce etiam vsos antiquiores, Spartianum & Lampridium cum aliis plerisque, doctiss. Casaubonus ad Marci imp. Vitam notat.

NON A IVDICIARIA POTESTATE COACTI] fratres quippe communem hereditatem consensu diuidentes pietatis officio funguntur, inquit Papinianus in l. vlt. Familiæ erciscundæ.

SCRIPTVRARVM SERIE ALLIGARI] In charta absolutionis Henrici II. Angliæ R. apud Houedenum Annal. part. post. *Ne in dubium veniant quæ geruntur, & vsus habet & com-*

munis consideratio vtilitatis expoſcit, vt ſcripturarum ſerie debeant annotari.

LIBELLVS DOTIS] quo pater ſponſi, ſponſæ dotem conſtituit. Nam apud Germanicas illas gentes, vt Tacitus ſcribit *dotem non vxor marito, ſed maritus vxori offert.* Leg. Burgundionum tit. XLII. & tit LXII. mulier *ſi ad alias nuptias tranſierit, omnia perdat, dote tamen ſua, quam à marito ſuo acceperat, quandiu vixerit vtatur, filio proprietate ſeruata.* Leg. Ribuar. tit. XXXIX. *De dotibus mulierum. Si quis mulierem deſponſauerit, quicquid ei per tabularum ſeu chartarum inſtrumenta conſcripſerit, perpetualiter inconuulſum permaneat.* Quibus verbis libellus dotis dēſignatur, cuius ſpecimē hoc capite extat. Leg. Saxon. tit. VII. & VIII. in Tilliana editione c. XLV. & XLVI. Leg. Alamann. tit. LVI. Sic dotem accipit Gregor. Turon. lib. VI. c. XVIII. vbi legatos refert in Hiſpaniam à Chilperico R. miſſos ad inſpiciendam dotem, quæ eius filiæ conſtitui deberet: & in pactione regum apud Andelaum lib. IX. *de ciuitatibus quas Galeſuindam germanam domnæ Brunichildis tam in dote quam in morghangeba hoc eſt matutinali dono in Franciam venientem certum eſt adquiſiſſe, &c.* Sic in Synodo Triburienſi ſub Arnulpho R. c. XXV. *dotare*, vbi de Franco qui vxorem è Saxonia duxit, nec eam lege Francorum deſponſauit vel dotauit. In charta libertatum Ioannis Angliæ regis: *Aſſignetur viduæ pro dote ſua tertia pars totius terræ mariti ſui, quæ ſua fuit in vita, niſi de minori dotata ſit ad oſtium eccleſiæ.* Illud ipſum eſt quod *dotalitium* dicitur à Clemente III. PP. in cap. Plerumque De donation. inter. vir. & vxo. CAP. XV.

& quod nos hodie *doarium* appellamus. Eiusmodi dotis cōstitutio à Vvillelmo Siciliæ R. in Ioannam Henrici II. Anglię R. filiā facta, extat in Annalib. Rogerij Houedeni. Est & alia libelli dotis formula c. XXXVII. Formular. Incert. Auctor. quibus addere visum est libellum dotis non dissimilē, à doctiss. viro. Ioh. Belio mihi concessum, qui circa annū MXL. conscriptus est.

Cum Dominus omnipotens & excelsus condidit hominem ad imaginem & similitudinem suam, dixit, Non est bonum esse hominem solum, faciamus ei adiutorium simile sibi. Propterea relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna: non tamen duo, sed vna caro. Et quod Deus coniunxit homo non separet. Igitur ego in Dei nomine Adam, dilectissima sponsa mea nomine Heldigardis, dono tibi, donatumque esse volo de rebus meis seu de beneficiis meis quæ sita sunt in pago Andecauis in villa quæ dicitur Chelzei, & alia villa quæ vocatur Nandulia, de ecclesiis, de vineis, de pratis, de censu, de frixingis, de obligis, & de omnibus reddituris, tibi medietatem dabo. Et in alia Comitate in pago Dunensi in villa quæ dicitur Vallarias, quæ teneo de filiis Alboldi per testimonia Geylæ fœminæ Hugoni, de ipsa villa medietatem. Et super fluuium Lid vnum pharinarium, quæ est super quatuor & solidis quinque: & de super via chalcedæ arpenn. de vineis tres. In burbio S. Valleriani medietatem de mansionibus, & de areis similiter medietatem. Quod si quis LIBELLVM *hunc* DOTIS *aliquid calumniauerit, auri libras V. coactus exsoluat.*

QVOD BONVM FAVSTVM FELIX PROSPERVMVE EVENIAT] Hæc à Romanis desumpta sunt, quos boni ominis causa

in pleriſque negotiis ita præfari ſolitos notum eſt. De relationibus Coſs. Suetonius lib. III. c. XV. QVOD BONVM FOELIXQVE SIT CAIO CÆSARI. De nuptiis Iuuenalis.

ſignatæ tabulæ, dictum Fœliciter.--

DE DISPONSANDIS MARITANDISQVE ORDINIBVS] Hæc non ſatis conueniunt, quibus tamen rudera & fragmenta quædam ineſſe vetuſtiſſimarum iuris Romani formularum coniicere licet. Videntur enim hæc verba ſignificare, has nuptias ex præſcripto Legis Iuliæ De maritandis ordinibus fieri, & procreationis liberorum, quæ cauſæ, inquit, neceſſariæ ſunt. Veteres namq; Legibus Iuliis, ad nuptias præmiis & pœnis adigebantur.

PROCREATIONI LIBERORVM] Vetuſtiſſima hæc quoque clauſula, tabulis nuptialibus adſcribi ſolita. B. Auguſtinus De ciuitate Dei lib. XIV. c. XVIII. *Quid concubitus coniugalis, qui ſecundum matrimonialium præſcripta tabularum procreandorum fit cauſa liberorum?*

DONATIONISQVE ANIMO] Separatur heic donatio à dote, etſi ab vna eademq; perſona ſponſo ſcilicet vel eius patre fiant: ℸ. *ſimiliter & in dotis titulum.* Sic apud Gregor. Turon. lib. IX. c. XIX. *dos* & *matutinale donum* ſeu *morghangeba* diſcernuntur.

INTER AVRVM ET ARGENTVM] inter pro *præter*, ſæpè hoc libro & aliâs paſſim.

IN SVA DOMINATIONE REVOCARE] vt liberam habeat facultatem ea omnia in ſuam poteſtatem reuocandi, vel de his pro arbitrio diſponendi.

CAP. XVI. SI ALIQVIS PVELLAM INVITAM TRAXERIT] Libellus est dotis, quæ à viro constituitur qui contra voluntatem parentum puellam rapuit, re tandem composita, ideoque epistola compositionalis vocatur. Trahere autem heic & infra ca. XXIX. pro rapere accipitur, vt in Leg. Sal. tit. XIV. *Si puer regis vel litus ingenuã fœminam traxerit, de vita componat.* Formul. Leg. Rom. c. XVI.

RAPTO SCELERE MEO CONIVGIO SOCIAVI] Legi posset *raptam scelere, meo coniugio sociaui*, siue *rapto scelere* quasi per rapinæ scelus: in L. III. Cod. Theod. De raptu virgin. *coniugium raptus scelere contractum.*

FACIENTE CONTVRNO] Nullus sensus: itaque asterico notaui. Legendum opinor *facto contubernio*, id est copiis contractis, opesociorum & amicorum. Sic Leg. Salicæ tit. XVI. *Si quis villam alienam adsalierit, ipse & omnes qui connecti fuerint quod in eius contubernio fuissent, &c.* & tit. XLIV. *Si quis collecto contubernio hominem ingenuum in domo sua adsallierit.*

VITÆ PERICVLVM INCVRRERI DEBVI] Illud est ex Lege Romana, L. II. Cod. Th. De raptu virg. Lege autem Salica tit. XIV. crimen raptus vt cætera ferè delicta, pecunia tantum æstimatur.

DRAPPOS] vestes, supra lib. I. c. XII.

CAP. XVII. QVALITER IN VNO VOLVMINE TESTAMENTVM DVARVM PERSONARVM CONDATVR] Formula est testamenti mutui inter coniuges, quod post Nouellam Theodosij & Valentiniani frequentari cœpit:

antea quippe vix licebat, quia & captatoriæ institutionis speciem referre videbatur. Theodos. & Valentinianus Nouellar. lib. II. tit. IV. *in vnius chartæ volumine supremum votis parib. condidere iudicium, septem testium subscriptionibus roboratum: cui nos æternam tribui firmitatem legis huius definitione censuimus. Quoniam nec captatorium dici potest, cum duorum fuerit similis affectus, & simplex religio testamenta condentium.* quò pertinet L. Captatorias De heredib. instituend. *Captatorias*, inquit Papinianus, *non eas Senatus improbauit quæ mutuis affectionibus iudicia prouocarent.*

SANA MENTE INTEGROQVE CONSILIO] Testamentum Gregorij Nazianzeni episcopi ζῶν καὶ φρονῶν, καὶ ὑγιεῖ γνώσει, καὶ ἐῤῥωμένοις τοῖς λογισμοῖς διεθέμην τὴν διαθήκην μοῦ ταύτην.

VT QVOMODO DIES LEGITIMVS] Leg. *vt quando.*

DIES LEGITIMVS POST TRANSITVM NOSTRVM] in Ms. legebatur *legitonos*, cuius loco *legitimus* legendum esse nemo negauerit. Apud Brissonium, qui hanc formulam exscripsit vitiosè exaratū est *dies vltimus*, præter sensum & Ms. fidem. Legitimus autem dies aperiendarum tabularum testamenti fuit post mortem testatoris, intra triduum vel quinque dies. Paul. Sentent. lib. IV. tit. VI. Gregor. Turon. lib. VI. c. XLV. *multi meliores natu qui vi compellebantur abire, testamenta condiderunt, resque suas ecclesiis deputantes, atque petentes vt cum in Hispanias puella introisset, statim testamenta illa tanquam si iam essent sepulti reserarentur.*

RECOGNITIS SIGILLIS VT ROMA-

NÆ LEGIS DECREVIT AVCTORITAS] Paulus Sentent. lib. IV. tit. VI. *tabulæ testamenti aperiuntur hoc modo, vt testes, vel maxima pars eorum adhibeantur qui signauerint testamentum: ita vt agnitis signis rupto lino aperiatur & recitetur, atque ita describendi exempli fiat potestas, ac deinde signo publico obsignatum in archium redigatur: vt si quando exemplum eius interciderit, sit vnde peti possit.*

GESTIS REIPVBLICÆ MVNICIPALIBVS] L. Testamento Cod. De testament. L. in hac Cod. De donation. Eiusque rei formula extat j. cap. XXXVII.

RELIQVI HEREDES EXHEREDES SINT] Testamentum B. Remigij Rhemensis episcopi apud Flodoard. Hist. Rhemens. lib. I. c. XVIII. *Hæc ita do, ita lego, ita testor. Cæteri omnes exheredes estote suntote.* Testamentum Gregorij Theologi, Nazianzeni: Εαὶ οὖν συμβῇ με τελευτῆσαι χήρευθεν, ἔστω μου κληρονόμος Γρηγόριος ὁ διάκονος ἡμῶν μονάζων, &c. οἱ δὲ λοιποὶ πάντες ἔστωσαν μου ἀπηλλοτριωμένοι. Inde inter cæteros exheredare, quod hac verborum formula fieri consueuisse Theophilus auctor est.

ID VT FIAT DETVR PRÆSTETVR IMPLEATVR] Hadoindi Cenomanensis episcopi sub Chlodoueo R. Testamentum apud Brissonium, *ita vt vbicumque aliquid per hoc testamentum meum dedero, legauero, daríque iussero, id vt detur, fiat, præstetur fidei tuæ heres mea committo.*

SED DVM IN VILLIS QVIBVSDAM] Post varia legata adscripta, coniugi villas quasdam relinquit, in compensationem earum quas antea aliis legauit, in quibus quod stante con-

iugio adquisitæ essent, vxori tertia pars competebat.

TERTIAM HABERE POTVERAT] Gentes illæ quæ ex Germania in Galliis sedes posuerunt, vxoribus tertiam partem concedebant rerum quas mariti stante coniugio adquisierant. Leg. Burgund. tit. XLII. & tit. LXII. *filius vnicus defuncto patre tertiam partem facultatis matri vtendam relinquat, si tamen maritum alium non acceperit.* Leg. Ribuar. tit. XXXIX. *Si virum superuixerit* L. *Sol. in dotem recipiat, & tertiam partem de omni re quam simul conlaborauerint sibi studeat vindicare.* Capitul. lib. IV. c. IX. vbi de collaboratione in beneficio seu feudo tantum agitur. Appendix Greg. Turon. c. LXXXV. Simile quid moribus nostris obseruatur, per eam societatem bonorũ quæ inter coniuges intercedit. Apud Saxones media pars vxori cedebat: Leg. Saxon. tit. VII. Apud Baiuuarios cum filiis in portionem vocabatur & *qualem vnus ex filiis vsufructuariam portionem* auferebat, Leg. Baiuuar. c. XIV. tit. VII.

AD VASSOS NOSTROS] Vassi fideles, qui seruitium exhibent, nomen retinemus, *vassaus*. Leg. Alaman. tit. XXXVI. 4. *qualiscumque persona sit, aut vassus Ducis, aut Comitis*, & tit. LXXIX. 3. *& Dominus eius* XII. *vassos infra domum habet.* Leg. Baiuuar. c. II. tit. XV. *siue regis vassus siue ducis omnes ad placitum veniant.* Capitul. lib. II. cap. XXIV. *vassi & vasalli nobis famulantes.* lib. III. c. LXIV. & LXXIII. Capitula episcoporum Rhemensis & Rhotomagensis prouinciarum in Carisiacensi palatio ad Ludouicũ R. an. DCCCXVIII. *in comitatu drudorum*

atque vassorum, apud Falcetum Antiquit. lib. ix. c. xv. *Drudi* pro fidelibus à Germanico vocabulo *Drouu* fides.

ET VT HÆC PAGINA HVIVS TESTAMENTI IN DISCEPTATIONEM VENIRE NON POSSIT] Testamentum B. Remigij. *Huic autem testamento meo dolus malus abest aberitque. In quo si qua litura vel charaxatura fuerit inuenta, facta est me præsente, dum à me relegitur & emendatur.* Bertchranni Cenomanensis episcopi testamentum apud Brissonium, *si quæ litura, si quæ caraxaturæ, si quæ litteræ adiectæ sunt, vel detractæ, ego feci fierique iussi, dum meam mihi sæpius prælego voluntatem, & omnia per singula recognosco, vel emendo.* Clausula testamentis adscribi solita. Vlpianus iu L. 1. De his quæ in testam. delentur. *Et ideo & si nouissimè (vt solet) testamento fuerit adscriptum:* LITVRAS INDVCTIONES SVPERINDVCTIONES IPSE FECI: *non videbitur referri ad ea quæ inconsulto contigerunt.*

CARAXATVRÆ] deletiones, maculæ, inquinamenta ab atramẽto, Sic in testamento B. Remigij, & Bertchranni episcopi, locis proximè adductis. Gregor. Turon. lib. VII. c. XXXVI. *tunc es pictor ille qui tempore Chlotarij regis per oratoria parietes, atque cameras caraxabas:* & lib. IX. c. V. *vasa per domos diuersorum, signis nescio quibus caraxata sunt, quæ res nullo vnquam modo aut eradi potuit, aut deleri.*

SVPERDICTIONES] superscriptiones, quæ deletis imponi solent. Cæterum heic videtur omissa clausula codicillaris, quam B. Remigius & Hadoindus Cenomanensis episcopus

non omiserunt, *id codicillorum vice valere præcepi, si iuris aliquid videbitur defuisse*, qua omissa testamentum minus perfectum vim codicillorum non habebat. L. 1. De iure codicillorum.

ANTE TRIBVNAL CHRISTI PRO VIOLATA DEFVNCTI VOLVNTATE COMPELLATVR SVBIRE NEGOTIVM] Gregorij Theologi Testamentum : Τοῦτῳ μὲν τῷ διαθήκην κυρίαν καὶ βέβαιον εἶναι βούλομαι ὑπὸ πάντα δικαστήρια καὶ πάσης ἐξουσίας. εἰ δὲ καὶ ὡς διαθήκη μὴ ἰσχύσειεν, ὡς βούλησιν αὐτῷ εἰ ἦν κωδίκελλον αὐτῷ ἰσχύειν βούλομαι. Ὁ δὲ ἐπιχειρῶν αὐτῷ ἀναιρέτειν δώσει λόγον ἐν ἡμέρᾳ κρίσεως, καὶ ἕξει τὸν λόγον πρὸς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ ἁγίου πνεύματος.

PROHEREDIBVS] qui loco heredum fuerint, vt pro tutor qui tutor non est, sed tutoris loco.

SECVRITAS PRO HOMICIDIO FACTO] Omnibus Germanicis gentibus, quæ Gallias insederũt, mos erat priuatas inimicitias armis persequi: quæ praua consuetudo adeo inualuit, vt nec principes imperio, nec legum auctoritate per sexcentos fermè annos aboleri potuerit, quinimmo legib. id non omnino prohibebatur, sed tantum nimia licentia certis finibus coercita erat. Itaque qui vnum ex propinquis & omnes aduersos habebat, adeo vt si aliquis occisus aut vulneratus, aut malè multatus ab inimico quodam priuato fuisset, continuò illius propinqui, affines & amici aduolabant suam & suorum iniuriam armis vindicaturi. Sed aliquando pace per amicos facta vel etiam in iudicio secundum leges transige- CAP. XVIII

batur, quo casu securitatis cautiones interponi solitæ, quarum exemplum hoc capite continetur, & in Formul. Incert. Auctor. cap. XXIII. & Formul. Leg. Rom. cap. XXXIX. Tacitus de Germanis *suscipere tam inimicitias seu patris, seu propinqui, quam amicitias necesse est.* Exempla passim extant, præcipuè apud Gregorium Turonensem, vt lib. V. c. V. & XXXII. lib. VI. c. XVII. lib. VIII. c. XVIII. lib. X. cap. XXVII. Præcipuum vero est quod pluribus ab eodem refertur lib. VII. c. XLVII. de Sichario & Austresigilo, quorum Austresigilus à Sichario cum quibusdam aliis interfectus, Sicharius à propinquis defuncti petitus, post varia dissidia, discrimina, cædes, ægrè euasit, tandemque compositione facta, intercessione episcopi ipsius Gregorij Turonensis & iudicum, argentum ab ecclesia Turonensi pro Sichario solutum est, & securitas ei ab aduersariis data. *Tunc*, inquit, *dato ab ecclesia argento, quæ iudicauerant accepta securitate componunt, datis sibi per partes inuicem sacramentis, vt nullo vnquam tempore contra alteram pars altera mussitaret, & sic altercatio terminum fecit.* Qui mos priuatæ vindictæ (quam *faidam* dicebant) reprobatur in Capitul. lib. V. c. CLXXX. sed vt facile appareat, pessimam consuetudinem prævaluisse, nec potuisse coërceri, *nescimus qua pernoxia inuentione à nonnullis vsurpatum est, vt hi, qui nullo ministerio publico fulciuntur, propter sua odia & diuersissimas voluntates pessimas, indebitum sibi vsurpant in vindicandis proximis, & interficiendis hominibus vindictæ ministerium: & quod rex saltem in vno exercere debuerat, propter terrorem multorum, ipsi impu-*

impudenter in multis perpetrare non metuunt propter odium. Quod tandem grauius exarsit extremis secundæ regum familiæ temporibus, & initio tertiæ. Namque & Ius belli priuati factum est, de quo nos fortassè aliquando plura.

PRO IPSA CAVSA SOLIDOS TANTOS] delicta enim certa pecuniæ summa æstimabantur, vt dictum est ad cap. XVIII. lib. I. Gregor. Turon. lib. IX. cap. XIX. de Sichario ad Chramnisindum: *magnas mihi debes referre gratias, dulcissime frater, eo quod interfecerim parentes tuos, de quibus accepta compositione aurum argentumque superabundant in domo tua.*

VENDITIO] Formul. Incert. Auctor. cap. XIV. Leg. Roman. c. V. & VIII. CAP. XIX.

DVPLAM PECVNIAM QVANTVM A VOBIS ACCEPI] cautio est duplæ euictionis causa, in venditionibus solita interponi, vt & cap. prox.

NEQVE IMAGINARIO IVRE] Imaginaria enim venditio nulla est, L. Nuda LV. De contrah. empt. CAP. XX.

ME VOBIS VENDIDISSE] Venditorem Leges suæ rei perpetuò dixisse, non emptorem notat Cuiacius Obseruat. XXIII. c. XXXI. CAP. XXII.

NON FVREM, NON FVGITIVVM] Sic in Formul. Leg. Rom. c. IX. In seruorum venditionibus id promitti & præstari solebat. Varro De re rustica lib. II. c. X. de pastoribus seruis, *in horum emptione solet accedere peculium, aut si excipiet, stipulatio intercedere sanũ eum esse, furtis noxisue solutũ.* Vlp. in L. Si ita quis XXXI. De euiction. *sanũ esse, furem non esse,* & in l. XXXII. *furem non esse, fugitiuum*

non esse, erronem non esse. L. IV. L. Quod si nolit XXXI. §. I. De ædilitio edicto.

NEQVE CADIVVM] malum, improbum: idioma Italicum integrum retinet *cattivo*. Vnde & nostris *chetif*.

PROBOS ATQVE PRÆSENTES] Sic Genes. XXIII. Abraham pro agro quem emebat appendit quadringentos siclos argenti *probatæ & publicæ monetæ*: quo loci Chaldæus paraphrastes vertit, *argenti quod per mercatores recipiebatur in vnaquaque prouincia*.

CAP. XXIII CONCAMBIVM DE VILLIS] Concambium pro permutatione frequentissimè apud Marculfum & cæteros formularum auctores, vnde *concambiare* & *concamiare* apud eosdem pro commutare & permutationem facere. Leg. Sal. tit. XXXIX. Leg. Baiuuar. cap. XV. tit. VIII. *commutatio hoc est quod cambias, talem qualem emptio habeat firmitatem*. In libris Feudorum lib. I. tit. XXII. *Cambium*, & aliâs sæpè.

CAP. XXV. CAVTIONES DIVERSO MODO FACTÆ] Cautionis vocabulum pro repromissione & chirographo accipitur, etiam sine satisdatione, vt *cautio creditæ pecuniæ* in L. Minor XL. De minorib. & in L. Lecta XL. De rebus creditis, vbi cautionis creditæ pecuniæ formula exscribitur, cuiusmodi sunt illæ quæ hoc cap. & proximis exhibentur: quibus debitor cauet se pecuniam à creditore accepisse, eamque certo die soluturum spondet, addita dupli pœna si debitor cessauerit. Quamuis Romano iure pœnam vltra legitimum modum vsurarum stipulari non liceret.

KL. ILLIS PROXIMIS] singulis Kalendis fœnebrem pecuniam veteres locabant, vnde & Kalendarium: Martial. lib. VIII. *Centum explicẽtur paginæ Kalendarum.* Fœnebris enim pecuniæ ratio menstrua erat. B. Basilius in Psalmum XIV. Homel. II. de debitore, φοβεῖται τὰς μῆνας, ὡς τόκων πατέρας.

ET QVOMODO] Leg. *& quando*: similiter & cap. seq. CAP. XXVI.

ABSQVE VLLO EVACVARIO] apocha euacuatoria de qua c. XXXV. CAP. XXVII.

QVI SE IN SERVITIO ALTERIVS OBNOXIAT] Formula est qua is qui supplicio liberatus est, soluta eius nomine ab aliquo pecunia, *statum ingenuitatis suæ obnoxiat*, id est ei qui redemit seipsum subiicit, addicit & in seruitutem tradit. Gregor. Turon. lib. VI. cap. XXXVI. *clericum sub precio venundari procurant, ea videlicet ratione, vt aut esset qui redimeret, aut certè morti addiceretur obnoxius. Cumque hæc Aetherio episcopo delata fuissent, misericordia motus datis viginti aureis eum ab imminenti exemit interitu.* Leg. Baiuuar. c. II. tit. I. §. Licebat autem vnicuique se in seruitutem dare vt dicam §. ad Leg. Rom. formulas. CAP. XXVIII.

IAM MORTI ADIVDICATVM DE PECVNIA VESTRA REDEMISTIS] Veteribus quippe Legibus crimina pleraque ita vindicabantur, vt aut reus capite plecteretur, aut pecunia redimeretur. Leg. Salicæ tit. LII. & passim.

CHARTA DE AGNATIONE SI SERVVS INGENVAM TRAHIT] Hac formula dominus serui qui puellã ingenuam rapuit, so- CAP. XXIX.

pita controuersia, cauet vt qui agnascerentur ex his nuptiis liberi & ingenui permanerent, non serui. Est & alia sub eodem capite formula. Nam si mulier spontè seruo alieno conjuncta sit ex Senatusconsulto Claudiano libertatem amittebat, vt etiam Lege Salica. Heic vero ius illud à domino remittitur, vt qui ex his nascentur liberi sint, nec possit eos vt seruos vindicare, aut manum iniicere.

AGNATIONEM TVAM] quod ex te natum erit: adgnasci pro nasci sæpe apud iurisconsultos.

IN MEO INCLINARE POTVERAM SERVITIO] mulier quæ se alieno seruo iunxisset SC. Claudiano libertatem & substantiam amittebat. Tacitus Annal XII. quod à Vespasiano renouatum diu in vsu remansit, & à Gallis obseruatum hinc apparet: sed in Oriente tandem Iustinianus antiquauit. Idipsum Lege Salica cauetur tit. XIV. 7. *Si ingenua fœmina quemcumque de illis* (seruis) *sua voluntate sequuta fuerit, ingenuitatem suam perdat.* Eodem iure Longobardi vsi sunt. Sic & ingenuus qui alienam ancillam vxorem duxisset, seruus efficiebatur, Lege Salica tit. XIV. II. tit. XXVII. 3. Quibus conueniunt quarundam Galliæ prouinciarum leges, *en formariage le pire emporte le bon.*

CAP. XXX. LIBELLVS REPVDII] exemplum est diuortij, consensu coniugũ facti, quod aliquando licuit L. Si constante Cod. De repudiis: atque etiam bona gratia matrimonium dissoluitur, inquit Hermogenianus in L. LXII. De donat. inter vir. & vxor. quod legi euangelicæ aduersum conciliorum decretis reprobatum est, & à Iustiniano quoque Nou. CXVII. Tamen vsum

eiusmodi diuortij etiam inter Christianos inualuisse hæc formula ostendit: est & alia adhuc eiusdem argumenti Leg. Rom. c. XIX.

SIVE AD SERVITIVM DEI IN MONASTERIO] Ex hac causa mutuo consensu olim diuertebãt. Nou. CXVII. c. X. & plurib. probatur à Gratiano XXXIII. q. V. sed tandem receptũ est, vt non aliter id ratum esset, nisi vterq. continentiam profiteretur. Synodi Rhemensis c. III. Nicolaus PP. ad Carolũ Regem. Burchardus lib. IX. c. XLVI. cap. I. cap. Cum sis De conuersione coniugatorum.

AVT COPVLÆ MATRIMONII SOCIARE] ex hoc loco apparet tum in vsu fuisse, vt post diuortiũ mutuo cõsensu celebratũ vir & vxor matrimoniũ cũ aliis contrahere possent, quæ cõsuetudo Christianæ legi cõtraria meritò reprobata est. Conciliũ Africanũ C. LXIII. Burch. li. IX. c. LXXII. ex decretis Inno. PP. *De his requisiuit dilectio tua, qui interueniente repudio aliis se matrimonio copulauerunt, quos in vtraq; parte adulteros esse manifestum est.*

INCIPIVNT INGENVITATES] Variæ sunt manumissionis formulæ, per chartam, seu per epistolam, quas tum *ingenuitates* vocabant, vt apud Greg. Tur. lib. VIII. c. XLI. Synodi Aurelianensis IV. c. IX. *si de seruis ecclesiæ libertos fecerit episcopus in ingenuitate permaneant.* & apud veteres sæpissimè. Fortasse quod libertinitatis ab ingenuitate discrimina ab vsu recessissent, & ad solã manumittẽtis domini volũtatẽ attẽderetur, qui pro arbitrio libertis leges dicebat, vt nõ paucis probari posset exẽplis. Igitur Marculfi sæculo manumissio triplex, vt antea diximus per denariũ ante regẽ, in ecclesia, & per epistolã priuatã: CAP. XXXII.

de primâ actum est cap. XXII. lib. I. de manumissione in ecclesia est cap. XII. Formul. Leg. Rom. vbi plura. Hoc autem capite chartæ sunt & epistolæ priuatæ quibus libertatem dominus seruo suo concedit. Per epistolam manumissionem olim datam probat L. Qui absenti, De adquir. possess. & Caius lib. I. Institut. seu potius Aniani, aut cuiuspiã alterius epitome. Qui ita manumissi erãt *chartularij & tabularij* dicebãtur, vt & qui in ecclesia seruitute liberati fuerant, Capitul. lib. VI. c. CCVIII. Eiusmodi manumissionũ exempla posterioris quidẽ ętatis, sed quę his formulis in multis conueniant subiecimus.

PIISSIMVS *dominus noster Iesus Christus salutem humani generis paterno amore desiderauit: inter alia præcepta quæ fidelib. suis dedit, vt æternæ vitæ gaudia possent adipisci, præcepit eis debitores suos à debitis illorum absoluere, quo ipsi ad summum iudicem suorum commissorum veniam valeant expectare. Tantæigitur authoritatis præmio compulsi, dominæque Ermangardis Comitissæ gratia precibusque animati, nos Canonici S. Laudi hunc fidelem nostrum Radulphum, ecclesiæ nostræ vinculo seruitutis obnoxium, ab omni debito seruilis conditionis pro animabus nostris, Goffridique Comitis excellentißimi, qui potißimus ecclesiæ nostræ fundator & ornator extitit, omniumque benefactorum nostrorum absoluimus, vt deinceps cum omni fructu suo licentia liberali donatus in quamlibet partem mundi eat, nec cuiquam successorum nostrorum eum ab arbitrio suo reuocare liceat. Actum Andegauis in claustro S. Laudi* IV. *KL. Octobris anno ab incarnatione Domini* MCXII. *Indictione* V. *concurrente epacta* I. *Luna* III. *Paschali PP. sedem Apostolicam obtinente, Ludouico in Gallia*

regnante, Fulcone adolescente Consulatum Andegauensem regente, Reginaldo episcopo Andegauensem ecclesiam gubernante.

Præsentibus & videntibus istis imposuimus nos Canonici S. Laudi manus nostras super caput Radulfi, ob fauorem & confirmationem libertatis, videlicet, Rodulphus sacerdos, Rothardus sacerdos.

Aliud eiusdem ævi.

Ego Fulco Comes Andegauorum, & mea soror Ermengardis hunc fidelem nostrum Benedictum nobis vinculis seruitutis obnoxium, ab omni debito seruilis conditionis pro anima patris nostri Fulconis, & pro remissione malefactorum nostrorum, absoluimus, vt deinceps cum omni fructu suo licentia liberali donatus, in quamlibet mundi partem eat, nec cuiquam successorum nostrorum eum ab arbitrio suo reuocare liceat.

TANQVAM SI AB INGENVIS PARENTIBVS] his verbis non tantum libertas data, sed & iura ingenuitatis cõcessa videntur: quod miror, nam à principe more Romano impetranda erant: nisi dixeris barbaris vndique Gallias occupantibus hunc morem ab vsu recessisse. Ex quo factum vt id omne ex dominorum arbitrio & beneficio penderet. Et inde paulatim manumissio ingenuitas dicta. Nec vero ad Nouellam Iustiniani quis referat, per quam ingenuitatis iura omnibus libertis dedit: cum satis constet ius Iustinianeum tunc Gallis ignotum fuisse.

LIBERTINITATIS OBSEQVIVM] ius patronatus.

PECVLIARI CONCESSO] peculiare pro peculio. Burchardus lib. II. c. XXVI. & XXX. Vetus

Libertatis instrumentum sub Henrico I. R. *peculiare quod nunc habetis, vel quod deinceps assequi potueritis, sicut vobis placitum fuerit, absque calumnia possideatis, & quietè prout volueritis disponatis.* Peculium manumisso inter viuos tacitè datum videbatur, si ademptum non esset. L. Si Sticho LIII. De peculio. L. I. Cod. De peculio eius qui mer. lib. Heic autem nominatim conceditur, seu dubitationis tollendæ causa, siue quod tum non aliter seruo manumisso peculium competeret, quam si specialiter donatum fuisset: quod facilius crediderim. Burchardus li. II. c. XXIII. ex concilio quodam Toletano: *De rebus illorum, vel peculiari, qui à dominis propriis libertate donantur, vt ad gradus ecclesiasticos promoueri debeant, statutum est, vt in potestate dominorum consistat, quicquid ante libertatem habuerunt, vtrum illis concedere voluerint, an sibi retinere.*

DEFENSIONEM ECCCLESIÆ] Manumissi in ecclesia sub eiusdem ecclesiæ tuitione consistebant, Leg. Ribuar. tit. XL. Denariales qui ante regem liberati fuerant, regem patronum & defensorem habebant. Itaq; si quis eos occidisset, pretium compositionis chartularij quidem ecclesiæ soluendum erat, Denarialis autem regi, iisque rex aut ecclesia si absque liberis decessissent succedebant. At qui per epistolam ita manumittebantur, vt nullum obsequium manumissor retineret, solebant defensionem regis aut ecclesiæ, aut etiam alterius potentis expetere, vt esset qui eorum libertatē tueretur, & ab omni iniuria eos vindicaret. Tādemque constitutum est, vt quibus alius patronus & defensor deesset, horum occisorum

pœna regi soluereturCapitula Caroli M. Leg. Baiuu. addita. *Qui per chartam ingenuitatis dimissi sunt liberi, vbi nullum patrocinium & defensionem elegerint similiter Regi componantur* XL. *sol.*

INFERAT TIBI CVM COGENTE FISCO LIB. I.] Capitul. lib. III. c. XXVIII. *Si quis per chartam ingenuitatis à domino legitimè libertatem est consecutus, liber permaneat. Si vero aliquis eum iniustè inseruire tentauerit, & ille chartam ingenuitatis suæ ostenderit, & aduersarium iniustè se inseruire velle comprobauerit, ille qui hoc tentauerit mulctam quæ in charta descripta est soluere cogatur.*

INGENVITAS POST DISCESSVM] Alia manumissionis est epistola, qua post mortē dominus seruū libertate donat. Greg. Tur. lib. IX. c. XXVI. Ingoberga Chariberti R. vidua, *subitanea ægritudine fatigata, migrauit à sæculo, multos per chartulas liberos derelinquens.* CAP. XXXIII.

EVACVATORIA] Euacuatoria tum dicebatur apocha, qua creditor profitebatur sibi solutam fuisse pecuniam: ab euacuāda obligatione, idque cautione amissa. Nam heic appareret cautione reddita euacuatoriā non dari, quasi redditio chirographi satis esset ad solutionem probandam. L. II. De pactis. CAP. XXXV.

VACVA ET INANIS PERMANEAT] inde *Euacuatoria.* B. Augustinus De cura pro mortuis, *vbi esset recautum, quo illa cautio vacuata fuerat indicauit*, qui locus à Cuiacio iam notatus est ad tit. De apochis lib. X. Cod.

SI ALIQVIS SERVO SVO GASINDO SVO ALIQVID CONCEDERE VOLVERIT] Forma heic traditur donationis, qua dominus seruo qui iugiter ei ministrabat, CAP. XXXVI.

aliquantulum agri concedit ab omnibus colonariis functionibus omninò liberum & immune. *Gasindi* autem nomine vt lib. I. ca. XXXIII. diximus, is seruus significabatur, qui non in agris, sed domi ministrat, quem vett. quædam aliæ formulæ & Capitula *ministerialem de intus casa* vocant.

MANSELLVM] paruum mansum, qua de re ad lib. I. c. XXII.

PASCVARIVM] Vectigal ex animalium pastione.

AGRARIVM] Vectigal agro impositum, quod in quibusdam Galliæ prouinciis nomen retinet *agrier*, seu vulgo *champart*, *terrage*. Leg. Bainuar. cap. I. tit. XIII. *De colonis vel seruis ecclesiæ qualiter seruiant vel qualia tributa reddant, hoc est agrarium, prouideat hoc iudex, secundum quod habet donet, &c.* Heic porro vocula vna reponi debet, quæ in regio exemplari vetustate exesa legi nõ potuit, sed ex alio restituimus. Ea est *vel carropera*, quo nomine operæ continentur quæ carris seu plaustris fieri debent. Adnunciatio Caroli R. apud Pistas c. XXIX. *Vt illi coloni tã fiscales quam & ecclesiastici, qui sicut in polipticis continetur, & ipsi non denegant, carropera & manopera ex antiqua consuetudine debent, & margilam & alia quæque carricare, quæ illis non placent renuunt, quoniam adhuc in illis antiquis temporibus forte margila non trahebatur, quæ tempore aui ac domni & patris nostri trahi cœpit, & de manopere in scuria battere nolunt, & tamen non denegant quia manoperam debent, quicquid eis carricare præcipitur de opera carroperæ quando illam facere debent, sine vlla differentia carricent, & quicquid eis de*

opera manoperæ quando illam facere debent, præcipitur, similiter sine vlla differentia faciant. Apud Anſegiſum Capitul. lib. I. c. LXXXI. *carralia opera.*

RIGA] tributi & vectigalis ſpecies. Vetus Formula *in ea ratione vt riga exinde in cultura dominica arare & recondere faciam*, item *in ea ratione vt riga & alios reditus terræ perſoluam.*

GESTA IVXTA CONSVETVDINEM ROMANORVM QVALITER DONATIONES VEL TESTAMENTA LEGANTVR] CAP. XXXVII. Conſtantius in L. I. Cod. Th. De ſponſalibus teſtatur, patrem ſuum nullam voluiſſe liberalitatem valere, ſi actis inſerta non eſſet, hoc eſt vt Anianus interpretatur nullam donationem de quibuſcumque rebus valere poſſe ſi geſtis non fuerit allegata. L. Data. L. In hac Cod. De donationibus. Itaque teſtamenta publicari & inſinuari neceſſe erat L. Teſtamenta Cod. De teſtamentis. Publicabantur autem teſtamenta & donationes in vrbe apud Magiſtrum cenſus, in prouinciis apud prouinciarũ rectores, vel ſi præſtò non fuiſſent apud Magiſtratus municipales, aut ſi ciuitas illa vel oppidum in qua donatio celebratur non habeat magiſtratus, apud defenſorem plebis L. VIII. Cod. Th. De donationibus. Huius inſinuationis & publicationis forma hoc capite continetur. Geſta vero pro publicis actis paſſim dicuntur in conſtitutionibus imperatorum, & Aniani interpretatione. L. Data. Cod. De donationibus: *geſta confici ſuper rebus etiam alibi collatis vbicumque ſufficit*, & L. in donationibus XXXI. Cod. eod. *geſtis alligari.* In L. VIII. Cod. Th. De Donationibus *geſtorũ*, inquit

Honorius *confectionem siue ante traditionem siue post traditionem fieri oportebit, vt instrumentum quo continetur munificentia apud acta publicetur.*

OMNI CVRIA ILLIVS CIVITATIS] Notum est Ciuitates sub Romano imperio Curiam seu Senatū, Duumuiros seu magistratus municipales, & Defensores plebis habuisse, oppida autem Defensores tātum. In ciuitatibus, quæ curiam & magistratus habebant publicatio & insinuatio actorum fiebat. Anianus ad L. IV. Cod. Th. De testamētis. *Testamenta omnia, vel reliquas scripturas, apud Censuales in vrbe Roma voluit publicari, hoc est, vt in reliquis regionibus apud Curiæ viros testamenta, vel quæcumque scripturæ actis firmari solent gestorum alligatione muniantur.* Inde sæpissimè in veteribus donationum formulis, *gestis municipalibus alligare.* Formul. Leg. Rom. c. III. Incerti Auctor. c. LIV.

OPTIME DEFENSOR] De defensoribus ciuitatum tituli sunt in vtroque Codice, de quibus etiam agitur Nou. XV. Apud eos fiunt insinuationes testamentorum & donationum, testationes, depositiones, qua de causa & archiuum habent siue scrinium & scriniarium, & exceptores. Alij sunt defensores ecclesiarum siue aduocati, alij quoque defensores illi qui à summis pontificibus ad curanda in prouinciis S. Petri patrimonia seu possessiones delegabātur, quorum officium à Pelagio PP. in epistolis, & in Registro Gregorij latè exponitur.

PATERE IVBEATIS] quæ sequuntur vsque ad verba *prosequere quæ optas*, in regio exemplari deerant, sed ex c. LIV. Formul. Incer.

Auct. facilè fuit restituere, quod ex ingenio Cuiacius præstiterat ad Pauli Sent. lib. IV. tit. VI.

TEXTVS MANDATI] Mandatum, vt testamentum siue donatio apud acta publicetur. In fine testamenti Hadoindi Cenomanensis episcopi, apud Brissonium, subiicitur eiusmodi mandatum. *Magnificis in Christo & sancta ecclesia filiis Bodilonno & Audrãno Hadoindus episcopus. Rogo & supplico charitati vestræ, vt cum me dominus & creator omnium de hoc sæculo migrare præceperit, Cenomannis ciuitatem ire faciatis, & ibi testamentum meum cum apertum fuerit vobis prosequentibus, apudq; publica, gestis municipalibus faciatis allegare, vt quod vnicuique per ipsum testamentum sanctis, ciuibus, vel propinquis meis visus sum delegasse, vestra dispensatione vnusquisq; iuxta ipsam delegationẽ percipere valeat, & quicquid exinde egeritis, gesserit, ratũ & firmissimum debeat permanere. Quod mãdatum manu nostra firmauimus, &c.* quæ cũ Marculfo omnino cõueniũt. Sic in For. Incer. Auct. c. LV. & Leg. Rom. c. II. CAP. XXXVIII

POST RECITATIONEM MANDATI] Sequitur cõtinuatio Gestorum & recitatio Testamenti.

ARCIPIBVS PVBLICIS] archiis, archiuis, scriniis: notum est.

PRÆSTARIA DE RE ECCLESIÆ AB EPISCOPO FACTA] Precaria proprie dicebatur libellus quo quis res ecclesiæ vtendas sibi dari rogabat, qua de re huius lib. c. V. Præstaria autem vocabatur epistola qua episcopus vel abas rẽ ecclesię concedebat: præstationis charta, Tradit. Fuldẽs. l. I. *ea ratione vt per vestrã præstationis chartã ad vitã meã illud habere possim*, quod alibi sic exprimitur, *vt quod trado per vestrã præstariã ad vitam meã possideã.* CAP. XL.

Hincmarus Ludouico R. apud Flodoard. Hist. Rhemens. lib. III. c. XX. *qualiter sanctus Clodoaldus (villam Dudiciacum) sancto Remigio dederit, & quomodo Carolus Pipini regis filius eandem villam apud Tilpinum archiepiscopum obtinuerit in præstariam.* Idem lib. III. c. XXVI. ex eiusdem Hincmari epistolis *Bernardo Comiti Tolosano propinquo suo, pro rebus Rhemensis ecclesiæ in Aquitania coniacentibus, quas ille in præstariam sibi concedi petebat.*

CAP. XLII. INDICVLVS EPISCOPI QVI AD ALIVM IN RESVRRECTIONE DOMINI EVLOGIAS DIRIGIT] Solebant olim episcopi in præcipuis solēnitatibus vt in Paschate aut Natali Domini, litteris coepiscopos, reges & amicos visitare, & eulogias mittere, quo pertinet hoc Marculfi caput cum tribus sequentibus. Eulogia vero benedictio est, atque etiam res quæcumque siue panis, seu sal, seu vinum, aut aliud eiusmodi cui benedictio illa accessit eulogia dicitur. Eulogiæ quidem nomine sal, aut panem cathecumenis datum fuisse loco cōmunionis ex Synodo Carthaginensi & B. Augustino notat eruditiss. Fr. Pithœus in Glossar. vnde & loco communionis quæ singulis dominicis diebus fiebat postea receptum est, vt panis benedictus fidelibus non communicantibus daretur. Honorius in Gemma animæ lib. I. cap. LXVII. Eulogiarum autem mittendarum morem antiquissimum esse constat. B. Augustinus ep. XXXIV. *Panis quem misimus, vberior benedictio fiet dilectione accipientis benignitatis vestræ.* Paulinus epistola ad Alypium quæ est XXXV. inter epistolas B. Augustini: *hunc panem eulogiam esse*

tu facies dignatione sumendi. Gregor. Turon. lib. IV. c. XVI. *Chramnus ab basilicas ad antedicto sacerdote susceptus est, ibique comedens panem ad Childericum pertendit.* lib. VI. c. V. Chilpericus *postulat vt accepta benedictione discedere, &c. hæc dicens aquam manibus porrigi iubet, quibus ablutis facta oratione, accepto pane, gratias Deo agentes, & ipsi accepimus & regi porreximus, &c.* lib. VIII. cap. II. *Surrexi ad occursum eius, & data oratione deprecor, vt in mansione mea eulogias B. Martini dignaretur accipere. Quod ille non respuens benigno animo ingressus hausto poculo, admonitis nobis, ad conuiuium lætus abscessit.* Flodoardus Hist. Rhemens. lib. II. c. XI. de S. Rigoberto episcopo: *Hic venerabilis præsul Pipinum maiorem domus regiæ traditur amicissimum habuisse, cui eulogias pro benedictione crebrò solebat mittere.* Ad eulogias pertinet quod in Vita Ludeuuici Pij dicitur Carolum M. filium interrogasse *cur rex cum esset, tantæ tenuitatis esset in re familiari, vt nec benedictionem quidem nisi ex postulato sibi offerre posset, &c.* Sangallensis lib. I. c. XIII. Capitul. lib. VI. c. LXV.

SVPPLICATVRIO PRO EO QVI IN MONASTERIO CONVERSARE DESIDERAT] Preces sunt seu potius commendatitiæ litteræ Abati factæ, vt in cœnobio aliquẽ qui monachus fieri cupit recipiat. Conuersare enim tũ vsurpabatur pro monachum fieri. Capitul. lib. I. c. LXIII. in lemmate *de conuersione liberi hominis*, alibi *conuersio morum.* Gregor. Turon. lib. IX. c. XXXIII. de Teuthario presbytero *qui nuper ex referendario conuersus presbyterij honorem accepit.* Quò pertinet titulus De conuersionẽ coniugatorum, apud Gregorium. CAP. XLVIII.

CAP. XLIX. INDICVLVS GENERALIS AD OMNES HOMINES] Indiculus pro omni epistola & libello accipitur, vt libro 1. diximus. Hic autem qui generalis dicitur epistola est commendatitia episcopi, vt verisimile fit, qua is qui limina apostolorum peregrinationis causa petit omnibus episcopis commendatur & principibus per quorum ditiones iter facturus est.

NON VT PLERISQVE MOS EST VACANDI CAVSA] Ideo concilio Cabilonensi sub Carolo M. c. XLIV. & XLV. prohibitum est Romam siue Turonum absque licentia episcopi sui adire. *Sunt pauperes*, inquit, *qui vel ideo id faciunt, vt maiorem habeant materiam mendicandi.* Burchardus lib. XIX.

CAP. LII. QVALITER EX ORDINATIONE REGIS PRO NATIVITATE FILII SVI DOMESTICVS, &c.] Superiore libro formula est mandati regij ad Domesticos & Comites dati quo iubet princeps, vt propter filij natiuitatem in vnaquaque fiscali villa tres serui manumittantur. Hoc autem capite forma proponitur, qua Domesticus, vt regio mandato satisfaciat, seruos fiscales manumittit.

DOMESTICVS] Dignitas fuit non contemnenda, sub prima & secunda regum nostrorum familia. Nam inter præcipuos regni ministros domestici sæpe enumerantur, & in præfatione Leg. Burgundion. *Sciant itaque Optimates, Comites, Consiliarij, Domestici, & Maiores domus vestræ.* & cum munera in iudicio accipere prohibeantur, eos quoque iudicasse dici potest: Sic Leg. Ribuar. tit. XC. *vt Optimates, Maiores domus, Dome-*

Domestici, comites, grasiones, cancellarij, vel quibuslibet gradibus sublimati in prouincia Ribuaria in iudicio residentes munera ad iudicium peruertendum non recipiant. Hos etiam regi iudicanti adsediſſe probat Marculfus ipſe lib. 1. dum inter miniſtros & officiales qui regi adſiderent Domeſticos recenſet. Quod autem proprium Domeſticorum munus fuerit, nō ſatis conſtat. Nec enim iidem ſunt, qui aulæ Conſtantinopolitanæ Domeſtici, quos planum eſt Scholis palatinis & militaribus excubiis præfuiſſe, de quibus tit. De domeſticis & protectoribus in vtroque codice. Apud Francos vero expenſas regi ad placita proficiſcenti ſuppeditaſſe & neceſſaria quæque præparaſſe domeſticos ex Gregorio Turonenſi apparet. Sic enim ille lib. IX. cap. XXVIII. *fuerunt etiam ad hoc placitum multi de regno eius tam Domeſtici quam Comites ad præparanda regalis expenſæ neceſſaria.* Ex hoc tamen Marculfi loco, nil clarius eorum officio: quippe *Domeſticus* dicitur *ſuper villas regis*, vt planum ſit Domeſticos villis fiſcalibus & fundis dominicis præfuiſſe & omnes reditus curaſſe.

AD VETERES FORMVLAS INCERTI AVCTORIS.

NOTITIA DE COLONO EVINDICATO] Exēplum eſt ſententiæ inter Aduocatum ſeu Defenſorem eccleſiæ, qui vindicat aliquem in colonū fundi eccleſiaſtici, & ipſum colonū qui aſſerebat ſe liberum. Sed cū id probare non potuiſſet, nec die dicta ad ſacramentum cum aliis CAP. I.

præstandum adfuisset, conuictus ipse agnouit se colonum. Itaque per Vicarium Comitis Aduocato redditus est. Qua de re conficitur instrumentum, vt omnibus id notum fiat. Vnde & Notitia appellatur.

ADVOCATVS SANCTI ILLIVS] Defensor siue protector ecclesiæ, aut monasterij qui res & iura eius tam in iudicio quam extra iudicium tuetur & actiones exercet, Ἔκδικος. Nã ex Synodo Carthaginensi cap. LXXV. inducta est aduocatorum defensio pro causis ecclesiæ.

CASAM DEI] ecclesiam, alibi *donatio ad casam Dei*, & passim.

ADRHAMITVM] promissum. Adrhamire enim non est iurare, sed cauere se certa die & certo loco iuraturum: *de sacramento fidem facere* in Leg. Ribuar. tit. LXVIII. Capitul. lib. III. cap. LVIII. *vt si sacramenta ad palatium fuerint adrhamita in palatio perficiantur.* lib. IV. c. XXVIII. *vbi antiquitatis consuetudo fuit de libertate sacramenta adhramire vel iurare*, & cap. XXIX. Leg. Sal. tit. XXXIX. j. cap. prox. *vnde tale sacramentum per suam fistucam visus fuit adhramire.*

TENSANDVM] retinendum, vt libertatem retineret.

RACIMBVRGIOS] Comites non soli, sed adsidentibus septem vt plurimum consiliariis ius dicebant, qui *Racimburgi* vel *rachimburgi* dicebantur. Leg. Salicæ tit. LII. 3. *Tunc grafio congreget secum septem Rachimburgios.* & tit. LX. Leg. Ribuar. tit. LVII. Capitula Pipini R. *si causa sua ante ipsum Comitem fuit & ante Racemburgos.* j. c. VI. Eosdem Scabineos dictos esse existi-

mo, si quidem Scabinei iudices erant, & septem numero Comiti adsidebant. Capitul. lib. III. c. XL. *vt nullus ad placitum banniatur, nisi qui causam suam quærit, aut si alter ei quærere debet: exceptis scabineis* VII. *qui ad omnia placita præesse debent.* Qua occasione lubet exscribere ex Besuensis monasterij Chronico Comitis & Scabineorum iudicium, quo tam hæc formula, quam sequentia capita quæ eodem fere pertinent, non parum illustrantur.

Notum fiat posteris, & memoriæ commendetur quod ante illustrem virum Hildegarium Comitem, seu Iudices quos Scabinos vocant, & quamplures personas qui cum eo aderant in Montaniaco villa in mallo publico ad multorum causas audiendas & recta iudicia terminanda, ibi veniens Becto episcopus [Lingonensis] & Aduocatus suus Burgoardus nouem legitimos testes ibi præsentauit, quorum nomina hæc sunt, Simeon, Agano, Bertchrannus, Gouo, Machirius, Adalardus, Gerino, Gerento, Syrannus. Isti testificauerunt & iurauerunt de finibus Besuensis monasterij quod à fine Pontense, & à fine Vendobrinse & Vvaurense, & Tillense, & Vetusnimense, & Bustellense, & Bustense, & Lucense & Burburense, & Berecholpo villare, per istas marcas inter ipsos fines immunitas sit S. Petri ad integrum, & in alio loco bosco communitas ad integrũ: & ab ipso fine Bustulense vsq. ad viam petrosam, & deinde vsq; ad stradam fractam, & deinde vsque ad finem Burburenensem immunitas est S. Petri ad integrum. Per istas marcas euntes ipsi nouem testes quos supra nominauimus, misso secum Balacterio illustri viro, ab Hildegario Comite, & à suis Scabinis, dixerunt, & per iudicium testificauerunt, quod à tempore Pipini Regis & deinceps per tempora

domni Caroli imperatoris vidissent inde legitimas vestituras ad partem S. Petri haberi, ita vt nec Aldo, nec heredes sui vllam legitimam vestituram exinde vnquam habuissent, sed per legem & per iustitiam vestitura S. Petri fontis Besuensis erat. Tunc ipsi scabinei vnanimiter iudicauerunt quod omni tempore ipsæ res per illas marcas ad partem S. Petri essent vindicatæ atque legibus conquisitæ. His præsentibus testibus Balacterio, Madaberto, Beato, Eppleno, Baldrico, Ausino, Vvormerio, Milone, Albrico notario, Feilagio, Leudumo, Arberto, Vvalterius præsens fuit & subscripsit. Data notitia die mercoris proxima in mense Maio Anno II. *regnante Domno nostro Lugdouico Rege atque Imperatore.*

PRO COLONO] Coloni liberi quidem non serui erant, obnoxiæ tamen sortis & conditionis. Leg. Alaman. tit. IX. & XXIII. *Liberi ecclesiastici quos colonos vocant*, quos tamen frequētissimè seruis adiungi & connumerari reperias: nam ad tributa & seruiles operas tenebātur. Leg. Baiuar. c. I. tit. XIII. *De colonis vel seruis ecclesiæ qualiter seruiant, vel qualia tributa reddant, &c.* Adnunciatio Caroli apud Pistas c. XX. *Si quis reputatus fuerit mensuram adulterasse & cum maiori modio vel sextario annonam vel vinum accepisse, vt cum minori mensura venundaret, si liber homo est, aut secundum suam legem se inde sacramēto idoneum reddat, aut &c. si autem colonus vel seruus inde reputatus fuerit, aut iudicio Dei se examinet, aut si inde conuictus fuerit, hoc vt supra diximus vnde mensuram adulterauit perdat: insuper & virgis nudo corio vapulet.* Sanè iure Romano vt antea diximus, nec prædia receptis colonis vendi legariue poterant, L. Si quis inquili-

nos CXII. De legatis I. L. II. L. XII. De agricolis & cens. Cod. lib. XI. In donatione Haganonis ad S. Martinum Turonensem imperante Ludouico: *Fridegiso Abati trado mansum nostrum indominicatum, &c. cum hominibus ibidem commorantibus quos colonario ordine viuere constituimus.*

RECOGNOVIT ET RECREDIDIT] Recredere eiusmodi scriptoribus restituere est & reddere. Iuo epist. CCLXXV. *dicit Comes quod libenter reddet aut recredet Comitem Niuernensem.* Vetus instrumentum in tabulario S. Martini Turonensis anno III. Rodulfi R. *& sic ex ipsis decimis sese recredidit & per fistucam guerpiuit.*

VICARIVS] Comitis, Gregor. Turon. lib. X. C. V. *responderunt hoc Animondi Vicarij dolo qui pagum illum iudiciaria regebat potestate factum fuisse,* & lib. VII. C. XXIII. de Armentario Iudæo qui Turonum ciuitatem venit *ad exigendas cautiones, quas ei propter tributa publica Iniuriosus ex-vicario, ex-comite vero Eunomius deposuerant.* Quibus locis videtur Gregorium sensisse de Vicario qui per prouinciam vices Comitis agebat, quique postea Vicecomes appellatus est. Erāt enim & alij minores Vicarij, quorū singuli sub eodem Comite certis territoriis præerant, ideoque à Vvalafrido plebanis & parochis ecclesiarum comparantur. Capitul. lib. II. C. XXVIII. *habeat vnusquisque Comes vicarios, & centenarios suos secum.* Hincmarus ep. IV. cap. XV. *Comites & Vicarij, vel etiam Decani plurima placita constituunt.* Idem Epistola pro episcopis Galliæ & Germaniæ ca. III.

Regum Comites in ciuitatibus suis, & Comitum Vicarij in plebibus. Inde frequenter veteribus instrumentis *in pago illo, in Vicaria illa.* Hodie *Viguiers.*

ACCIPERE DEBERE] Leg. Ribuar. tit. LXI. *Hoc itaque constituimus, vt quicumque in causa victor extiterit, semper iudicium conscriptum accipiat.*

CAP. II. CHARTA SACRAMENTALIS] qua statuitur, vt qui pro colono vindicatus se liberum asserit, manu sextadecima propinquorum, certa die in basilica sancti alicuius iuret se liberum esse.

IN MALLO PVBLICO] Mallus, placitum maius, vbi maiora negotia à Comite finiebantur Leg. Salicæ tit. I. XLVI. XLVIII. LVI. LIX. LX. Capitul. lib. III. c. XXVIII. LI. LVII. & lib. IV. c. XXVIII. *Vbi antiquitus consuetudo fuit de libertate sacramenta adrhamire vel iurare, ibi mallum habeatur & ibi sacramenta iurentur. Mallus tamen neque in ecclesia neque in atrio eius habeatur. Minora vero placita Comes siue intra suam potestatem, vel vbi impetrare potuerit habeat. Volumus itaque vt domus à Comite in loco vbi mallum tenere debet constituatur, vt propter calorem solis & pluuiam publica vtilitas non remaneat.* Adnunciatio Caroli R. apud Pistas cap. XXXII. *Vt confinitanei & vicini Comites in vna die, si fieri potest, mallum non teneant, maximè post octauas Paschæ, propter Francos homines & Aduocatos, qui ad vtrumque mallum non possunt occurrere, sed mittant sibi inuicem missos, & si vnus die Lunis mallum habuerit, alter die Iouis, aut die Lunis sequentis hebdomada mallum habeat. Et ne graue ei sit qui suum mallum interiecit, qui vno anno primus tenuerit mallum, sequenti anno consentiat alteri primum tenere. Et si sacramenta*

legalia in primo die Lunis post Paschа iuranda deuenerint, aut in aliis feriis quando mallum tenere debuerat, mittat quisque Comes Missum suum qui ipsa sacramenta auscultet, ne ipsi homines iectiui inueniantur, & ipse sic mallum suum teneat, vt barigildi eius & aduocati qui in aliis Comitatibus rationes habent ad suum mallum occurrere possint. Synodi Meldensis c. LXXVI. Passim in formulis quæ sequuntur.

APVD PROXIMIORES PARENTES SVOS] Inde in Lege Salica tit. LXIII. qui cognationi renunciat dicere debet *quod se de iuramento & de hereditate & de tota illorum ratione tollat.*

NOCTES] Tacitus de Germanis. *Nec dierum numero vt nos, sed noctium computant, sic constituunt, sic condicunt vt nox ducere diem videatur.* Sæpissimè in Lege Salica, Capitulis, historicis, veteribus instrumentis, vt ad Capitula Caroli M. doctiss. Fr. Pithœus obseruat. Quo fit vt ad hęc vsque tempora plerique *annuit* quasi *hac nocte* pro *hodie* vsurpent.

IECTIVVS] s. ad Marcul. lib. I. c. XXXVIII. Adnunciatio Caroli R. apud Pistas cap. XXXIII. *multi inde contendunt, & se inter se iectiscunt.* postea *suum sacramentum se iurare debere contendant, & contra causatores suos, si ad hoc audiendum non venerint iectiscant.* CAP. VI.

RACHIMBVRGIS] de quibus s. cap. I. CAP. IV.

MISSOS DOMNI ET GLORIOSISSIMI REGIS] Missos dominicos, j. hoc ipso capite. Pipinus Maior domus in diplomate pro S. Dionysio. *Omnibus episcopis, abatibus, ducibus, comitibus, domesticis, grasionibus vegariis, centenariis, vel omnibus missis nostris discurrentibus, seu quacumq.* CAP. VII.

iudiciaria potestate præditis. Quater in anno à principe legati per prouincias mittebantur, vt siquid episcopi aut comites negligentius egissent, per eorum admonitionem corrigeretur: hisque quibus à Comite ius dictum non esset illi dicerent,& pleraque negotia regis nomine perficerent, aut ad eum referrent, constitutiones quoque principum seu capitula ab iis per prouincias transmittebantur & annunciabantur. Capitul. lib. II.c.XVIII.XXVI.XXVII. XXVIII. lib.III.cap.XIV.XVII.LXXXIII.LXXXV.LXXXVIII.& passim. Horum officium præclarè describit Flodoardus Hist. Rhem.lib.II.c.XVIII.

ATQVE ELIDIATA SIT] Corrupta hæc sunt,sed ita restituenda crediderim, *vt ipsam terram ipse Abas habeat euindicatam atque elitigatam,ne sit post modum ex hac re omnique tempore subita causatio.* Elitigata pro extrà litem & controuersiam posita, quæ vox frequentissima est in Variis Formulis.

IN GRAFIA ILLA]in illo Comitatu.Grafiones enim Germanica lingua pro iudicibus & Comitibus vsurpantur,Auentinus lib.VII.ad an.MCCLXXXV.*Eodem anno Cæsar VIII.KL. Ianuarias Augustam in confinio Rhetiæ atque Vindeliciæ concilium procerum conuocat. Albertum Hallusium in classem præfectorum quos nos Graphios , litteratores Comites vocant,refert.* Rigordus In Vita Philippi Augusti R. ad an. MCCVIII. *Eodem anno quidam Comes Palatinus , qui eorum lingua Landgraf vocabatur,id est Comes Palatij,&c.* Sic enim ex veteribus libris legendum est. Carlomannus R.in Synodo an.DCCXLII. *Decreuimus quoque vt secundum ca-*

nones vnusquisque episcopus in sua parochia sollicitudinem habeat, adiuuante Grafione qui defensor ecclesiæ eius est, vt populus Dei paganias non faciat. Ibi enim Grafio Comes est. Sic in Lege Salica & veteribus aliis Legib. Grafionis vocabulũ accipitur.

INGENVITAS] Exemplum manumissionis à Senonensi quodam archiepiscopo factæ Ludouico Pio imperante, qua secundum eius constitutionem archiepiscopus seruum suum in ecclesia manumittit, vt ad sacros ordines possit promoueri. CAP. VIII.

STATVIT VT EPISCOPI ATQVE ABATES] Vita Ludeuuici Pij. *Considerans idem piissimus imperator, non debere Christi ministros obnoxios esse humanæ seruituti, &c. statuit vt quicumque ex seruili conditione, conciliante scientia & morum probitate, ad ministerium altaris adsciscerentur, primum manumittantur à propriis dominis, vel priuatis, vel ecclesiasticis: & tunc demum gradibus altaris induantur.* Quæ eadem continuationi Aimoini inserta sunt lib. v. cap. x. Capitul. lib. I. cap. LXXXVIII. *De seruorum ordinatione &c. statutum est vt nullus episcoporum deinceps eos ad sacros ordines promouere præsumat nisi prius à dominis propriis libertatem consecuti fuerint* : & quæ sequuntur quod ipsum iisdem verbis refertur ex incerto quodam Concilio Toletano à Burchardo lib. II. cap. XXXI. & ab Iuone Decreti par. VI. cap. CLXXXII. Antea etiam id sæpe constitutum : nam & in eandem sententiam citatur ab eodem Burchardo & Gratiano auctoritas Leonis PP. Præterea Synodi Aurelianensis III. sub Childeberto R. cap. XXI.

nominatim cautum apparet, *vt nullus seruilib. colonariisq; conditionib. obligatus, iuxta statuta sedis apostolicæ ad honores ecclesiasticos admittatur, nisi testamento aut per tabulas constiterit eum absolutum.* Eodem pertinet Nouel. CXXIII. §. Si seruus c. XVII.

PERMISSV IPSIVS LIBERTATE DONENT] innuit seruos ecclesiarum, de quibus heic agitur, non potuisse manumitti etiam ordinandi gratia, sine principis auctoritate, cum alienationis species videatur.

HLVDOVICI AVGVSTI AVCTORITATE QVÆ SENONIS IN ARCIBO ECCLESIÆ EPISCOPII SERVATVR.] Capitul. lib. I. cap. LXXXVIII. *De ecclesiarum vero seruis communi sententia decretum est, vt archiepiscopi per singulas prouincias constituti nostram auctoritatem, suffraganei vero illorum, exemplar illius penes se habeant. Et quandocumque de familia ecclesiæ vtilis inuentus aliquis ordinandus est, in ambone ipsa auctoritas coram populo legatur, &c.* Burchardus lib. II. cap. XXXII. Synodi Triburiensis c. XXV.

IN ARCIBO] archio, archiuo.

EPISCOPII] domus episcopi. Synodi Meldensis c. XXVI. *Suggerendum est & ex diuino mandato intimandum regiæ maiestati, vt episcopium quod domus episcopi appellatur &c. venerabiliter ac reuerenter introeat, & secundum sanctam prædecessorum consuetudinem, quando orationis & debitæ susceptionis gratia in transitu conuenienti ciuitatem ingressus fuerit, habitaculis episcopalibus reuerenter inhabitet.*

CENSEO TE ATQVE STATVO ANTE SACRI ALTARIS CORNV] Manumissio in ecclesia ante altaris cornu solita cele-

brari Formul. Leg. Rom. c. XII. Capitul. lib. I. c. LXXXVIII. *in ambone ipsa auctoritas coram populo legatur, & coram sacerdotibus vel coram fidelibus laicis ante cornu altaris, sicut in nostra auctoritate continetur, remota qualibet calliditate libertatem consequatur, & tunc demum ad gradus ecclesiasticos promoueatur.* Exemplum manumissionis apud Burchardum lib. II. c. XXVI. *ego Burchardus Vormatiensis ecclesiæ episcopus quendam ecclesiæ nostræ famulum nomine Eberhardum, sacris ordinibus oblatum, ad altaris cornu, nobilium virorum in præsentia per hoc auctoritatis testamentum statuo, ita vt ab hodierno die & tempore bene ingenuus atque ab omni seruitutis vinculo securus permaneat.* Seruos autem qui manumittebantur vt clerici fierent alibi quam in ecclesia manumitti non potuisse docet idem Burchardus cap. XXVIII.

CIVEMQVE ROMANVM APPELLARI] qui in ecclesiis manumittebantur, ciues Romani, non Latini fiebant, maximamque libertatem consequebantur, ex constitutione Constantini L. I. Cod. Th. De manumiss. in eccles. Ideoque hæc clausula instrumentis libertatis apponi solita. Formul. Leg. Rom. c. XII. B. Gregorius PP. Regist. lib. V. epist. XII. *vos Montanum atque Thomam famulos sanctæ Romanæ ecclesiæ, cui, Deo adiutore deseruimus, liberos ex hac die ciuesque Romanos efficimus, omneque vestrum vobis relaxamus seruitutis peculium.* Cuius tamen appellationis Caroli M. & Ludouici Pij sæculo non aliam vim fuisse existimo, quam vt Lege Romana manumissi vterentur.

NVLLI HOMINVM QVICQVAM

DEBEAS SERVITII ATQVE OBSEQVII] Hinc apparet non tantum seruos sed etiam libertos qui obsequiis erga patronos tenerentur ordinari non potuisse. Debet enim ab aliis immunis esse qui diuinæ militiæ aggregandus est, vt Leonis PP. verbis vtar. Synodus Toletana apud Burchardum lib. II. cap. XXV. *Quicumque libertatem à dominis suis ita percipiunt, vt nullum sibimet in eis obsequium patronus retentet, isti si sine crimine capitali sunt, ad clericatus ordinem suscipiantur, quia directa manumissione absoluti esse noscuntur, qui vero retento obsequio manumissi sunt, pro eo quod adhuc patrono seruituti tenentur obnoxij, nullatenus sunt ad ecclesiasticum ordinem promouendi, ne quando voluerint eorum domini fiant ex clericis serui.*

CANONICIS ADMONITI SANCTIONIBVS VT SI QVA DEINCEPS PRÆDIA] In Capitulis idipsum statuitur: lib. I. c. LXXXVIII. *Si post ordinationem aliquid adquisierit, illud obseruetur quod in canonibus de consecratis nihil habentibus constitutum est.* Canonicæ autem sanctiones illæ, de quibus heic & in Capitulis, sunt synodorum decreta quibus statuitur, vt clerici qui nihil habentes consecrati sunt si postea aliquid adquisierint, id omne ad ecclesiam pertineat. Synodi Carthaginensis III. c. XLIX. *Placuit vt episcopi, presbyteri, diaconi vel quicumque clerici, qui nihil habentes ordinantur, & tempore episcopatus vel clericatus sui agros vel quæcumque prædia nomine suo comparant, tanquam rerum dominicarum inuasionis crimine teneantur, nisi admoniti ecclesiæ eadem ipsa contulerint*, Burchardus *vt vnusquisque presbyter res quas post diem consecrationis acquisierit, propria ec-*

clesiæ relinquat. Idem Burch. lib. III. c. CXVIII. ex Synodo Rhemensi refert hæc verba. *Inuestigandum si nihil patrimonij habens presbyter quando promotus est ad ordinem ecclesiasticum postea emerit prædia cuius iuris sint, quoniam ecclesiæ ad quam de nihil habente promotus est esse debent, iuxta canonicam authoritatem.* Eadem verba extant in cap. I. De peculio clericorum, quæ tamen citantur ex concilio Arelatensi.

MANDATVM] continet simplex mandatum seu procurationē litigādi causa, vt & similis est apud Marculfum lib. I. c. XXI. & li. II. c. XXXI. CAP. IX

TRACTVRIA PRO ITINERE PERAGENDO] Tracturia pro Tractoria. Nā heic forma quædā quasi Tractoriæ refertur, qua episcopus eum cui ob delicta pœnitentię causa peregrinatio indicta fuerat commēdat iis ad quos iter faciens peruenerit, vt sciant non alia ex causa illum peregrinari, nec vagari. Itaq. rogat vt ei mansionem & focum, panem & aquā præstēt. De Tractoria dictū est ad Marcul. li. I. c. XI. CAP. X.

CENTENARIIS] Singuli Comitatus in Centenas seu territoria quædam diuidebantur, quibus Minores Iudices præerant sub Comitis dispositione, qui à Centena Centenarij dicebantur. Synodi Cabilonensis sub Carolo M. cap. XXI. *Comitibus & iudicibus hoc summopere obseruandum est vt iuste iudicent:* paulò pòst. *Sed & ministros quos Vicarios & Centenarios vocant iustos habere debent.* Qui tamen non de omnibus causis, sed de minoribus tantum iudicabant. Capitul. lib. IV. cap. XXVI. *Omnis controuersia coram Centenario definiri potest, excepta redditione terræ,*

& mancipiorum, quæ non nisi coram Comite fieri potest. lib. III. c. LXXIX. *Vt nullus homo in placito Centenarij neque ad mortem, neque ad libertatem suam amittendam aut ad res reddendas vel mancipia iudicetur: sed ista in præsentia Comitis vel Missorum nostrorum iudicentur.* Centenarios porro per pagos statutos esse scribit Vvalafridus Strabo, & planè eosdem cum Vicariis facit, quos etiam cum presbyteris ecclesiarum baptismalium qui minoribus presbyteris præsunt comparat.

DECANIS] Minimi sunt iudices sub Centenariis, & à Vvalafrido minoribus presbyteris conferuntur. Hincmar. ep. IV. c. XV. *Comites & Vicarij, vel etiam Decani plurima placita constituunt, &c.*

CAP. XII. LITTERÆ COMMENDATITIÆ] Clericis sine proprij episcopi licentia peregrinari non licebat, nec peregrinantes ab alio episcopo suscipi & admitti poterant, nisi ab episcopo suo commendatitias litteras impetrassent. Synodi Calchedonensis can. XIII. Ξένους κληρικοὺς καὶ ἀγνώστους ἐν ἑτέρᾳ πόλει δίχα συστατικῶν γραμμάτων τοῦ ἰδίου ἐπισκόπου, μηδὲ ὅλως μηδαμοῦ λειτουργεῖν. Synodi VI. in Trullo can. XVII. Synodi Agathensis c. XXXVIII. *Clericis sine commendatitiis epistolis episcopi licentia non pateat euagandi.* Synodi Epaunensis c. VI. Burchardus lib. II. cap. CXXXVII. CXXXVIII. CXLI. *Formatæ* vt plurimum apud Latinos scriptores hæ litteræ appellantur. Optatus Mileuitanus lib. I. de Syricio PP. *cum quo nobis totus orbis commercio formatarum in vna communionis societate concordat,* siue quod certa forma certisque notis conceptæ essent, siue

etiam à forma seu sigillo quod addebatur, vt putat eruditissimus Iac. Sirmondus in Notis ad Goffridum: cui posteriori sententiæ suffragari videtur quod dicitur in Synodo Cabilonensi sub Carolo M. cap. XLI. presbyterum qui proprio loco dimisso ad alium migrat litteras habere debere *in quibus sint nomina episcopi & ciuitatis plumbo impressa.* Est etiam in Ordine Romano epistola, quo episcopi à Pontifice Romani consecrati ad ciuitates suas remittuntur & officij admonentur quæ *Formata episcopo danda nuncupatur*, cum tamen commendatitia non sit, quod aliis confirmari posset exemplis. Illud autem obseruandum non tantum clericis peregrinantibus formata opus esse, sed nec episcopis remota loca petere absque metropolitani formata licuisse: ideoque Laudunēsem episcopum nepotem suum Hincmarus reprehendit quod absque metropolitani epistola extra diœcesim sæpe profectus esset. Quod ius Formatæ episcopis dandæ Vigilius PP. ep. VII. Auxanio Arelatensi episcopo tribuit, cui vices suas commiserat. *Nullus*, inquit *de Pontificibus tuæ per has vices ordinationi commissis in longinquis quibuslibet locis audeat proficisci, nisi solenni more (sicut decessore nostro prædecessori vestro similiter concedente consueuerant) Formatam vestræ charitatis acceperit.*

MAGNONI] Carolo M. imperante vixit Magno Senonensis archiepiscopus cuius est hæc Formata, quod & annus his litteris adscriptus ostendit. Ille est qui Notas iuris collegit & Carolo M. dicauit, quibus ipse hos præfixit versiculos. *Hæc iuris σημεῖα libens Rex accipe Carle.*

Offert deuotus quæ tibi Magno tuus.

ET VT CERTIVS CREDATIS, GRÆCA ELEMENTA] Solebant episcopi in formatis seu commendatitiis litteris, ne qua fraus fieret, vti certis quibusdam notis & symbolis, litteris videlicet Græcis quæ certum numerum exprimerent. Quod quomodo fieret exponit Atticus in fine Synodi Calchedonensis. Iuo Decreti Par. VI. cap. CCCCXXXIII. Gratianus Distinct. LXXIII. additis duabus harum epistolarum formulis, quarum vna Burchardi est lib. II. C. CCXXVII.

CAP. XIII. INGENVITAS] De ingenuitate ad Marculf. cap XXXII. lib. II. abundè diximus.

TESTAMENTVM ETIAM FACIENDI] Saluianus Ad ecclesiam catholicam lib. III. *illi testamenti faciendi arbitrium dant libertis, tu tollis liberis.* Quod plenæ libertatis qua ciues Romani efficiebantur proprium erat, non Latinę. Verum hoc sæculo, eiusmodi differentiam euanuisse antea monui.

DEFENSIONEM VEL MVNDEBVRDEM ECCLESIARVM] Marculfus lib. II. C. XXXII. Concilium Toletanum V. C. LXXII. *Liberti qui à quibuscumque manumissi sunt, atque ecclesiæ patrocinio commendati existunt, sicut regulæ antiquorum patrum constituerunt, sacerdotali defensione à cuiuslibet insolentia protegantur, siue in statu libertatis eorum, seu in peculio quod habere noscuntur.*

CAP. XVIII. CHARTA AGNATIONIS] qua dominus serui cui se ingenua iunxit illis indulget, vt qui ex eis nascentur, liberi permaneant. Marculfus lib. II. C. XXIX. vbi plura.

TRADI-

TRADITORIA DE TERRA] Forma est traditionis agri antea venditi. CAP. XIX.

VEL TERRAM VEL HERBAM VISVS FVIT TRADIDISSE] j̃. cap. XLIII. *per terram vel herbam sicut lex est ad partem sancti illius visus est tradidisse.* Sic Leg. Baiuuar. cap. XVII. tit. III. *ea ratione firmet per quatuor angulos campi, aut designatis terminis, per hæc verba tollat de ipsa terra vel aratrum circumducat, vel de herbis aut ramis, sylua si fuerit, ego tibi tradidi & legitimè firmabo per ternas vices.* Non dissimilis est traditionis forma quæ ab Innocentio III. PP. describitur in cap. II. De consuetudine. *hanc conferendi formam esse proponis, quod in huiusmodi donationibus modicum terræ consueuit in manu accipere, vel in extremitate pallij manu prælati ecclesiæ sustinetur, aut super altare ponendum sub testimonio videntium & audientium sub dicta forma quæ scotatio vulgariter appellatur.* De aliis traditionum modis nonnulla notauimus ad Marcul. lib. I. c. XIII.

EXITVM FECISSE] in signum scilicet traditionis exibat, loco cedebat, vacuamq. possessionem in alterum transferebat: aliâs tamen *exutum* scriptum est, vt sit sensus, eum possessione se exuisse, vt alius eavestiretur, si sæculi verbis vti licet, vtrumque retineri potest.

NOTITIA DE SERVO VENDITO] instrumentum venditionis serui. CAP. XXI.

NOTITIA DE IACTIVIS] qua notum fit quendam vadimonium deseruisse. Marculf. lib. I. cap. XXXVII. vnde petenda huius capitis interpretatio. CAP. XXII.

SECVRITAS] Marcul lib. II. c. XVIII. CAP. XXIII.

VT ILLAM LEVDEM VT LEXERAT SOLVERE DEBERET] Leudis, pretium cōpositionis pro homicidio. Leg. Salicæ tit. XLIII. II. *Si autem qui præcipitatus est mortuus fuerit tota leude sua componatur.* 12. *medietate leudis eius componat, ille vero qui eum occiderit secundum legem eum componat.* Leg. Frisionum tit. II. *expositor nec iuret, nec leudem soluat, sed inimicitias propinquorum occisi patiatur donec se cum eis reconciliet.*

CAP. XXV. MANDATVM] eius qui propter morbum vel ætatem rebus suis superesse non potest. Marculf. lib. I. c. XXI.

CAP. XXVII. PRECARIA] de precaria iam satis ad Marculf. lib. II. c. V.

CAP. XXVIII. PRESTARIA] præstationis charta. ſ. ad Marculf. cap. XL. lib. II.

CENSVM AD LVMEN VEL SACRIFICIVM SOLIDOS TANTOS] In precariis ab ecclesia concessis solebat merces quædam seu census annuus interuenire. Synodus Leptinensis, *ea conditione vt annis singulis de vnaquaque casata solidus id est duodecim denarij ad ecclesiam vel monasterium reddantur.* Flodoard. Hist. Rhem. lib. III. c. XX. ex Hincmaro, *quomodo Carolus Pipini regis filius eandem villam apud Tilpinum archiepiscopum obtinuerit in præstariam, ea conditione vt capellas ad ipsam pertinentes cum nonis & decimis episcopus Rhemorum retineret, & rex duodecim libras argenti in luminaribus ecclesiæ daret, & quod hunc censum tam ipse rex quā successores eius persoluerunt.* Quē censum in recognitionē dominij præstari idem Hincmarus innuit apud eundē lib. III. c. XXVI. *ne forte suggeratur imperatori, quod cupiditate illectus hunc*

censum repetat, quem in suos vsus nunquam redegerat: sed cupiens euadere periculum, ne silentio suo in diebus suis census ipse depereat, & ipsa villa in alodem vertatur.

NOTITIA DE HOMINE FORBATVDO] Formula iurisiurandi quod præstare tenetur is qui adgressorem interfecit, nimirum ob tutelam corporis sui & vim repellendo occidisse. Eiusdem argumenti est cap. xxx. Formul. Leg. Rom. CAP. XXIX.

COLPVS] ictus vt vett Glossæ apud Pithœū rectè interpretantur, nostris *coup*. Leg Salic. tit. XIX. *Si quis ingenuus ingenuum fuste percusserit, & tamen sanguis non exierit vsque ad tres colpos, pro vnoquoque ictu* CXX. *denarios, qui faciunt sol.* III. *soluat.*

FORBATVDVM] Sic in Form. Leg. Rom. cap. XXX. Decretum Childeberti R. *iudex loci illius solatio collecto ipsum raptorem occidat, & iaceat forbatudus.* quasi forbatudus pro iure cæso diceretur. Quod apertius traditur in Leg. Ribuar. tit. LXXIX. *De homine forbatudo. Si quis hominem super rebus suis comprehenderit, & eum ligare voluerit, aut super vxorem, seu super filiam, vel his similibus, & non prævaluerit ligare, sed colpus ei excesserit, & eum interfecerit, coram testibus in quadrinio in ciuda eum leuare debet, & sic* XL. *seu* XIII. *noctes custodire, & tunc ante iudicem in arabo coniuret quod eum de vita forfactum interfecisset. Sin autem ista non adimpleuerit, homicidij culpabilis iudicetur.*

INFRA NOCTES XLII.] numerus respondet Legi Ribuariæ, cuius particulam modo adscripsi: in qua tamen ex hoc loco pro XIV. legendum esse putarem XLIV. alij viderint.

SICVT LEX EST] Leg. Ribuar. tit. LXXIX.

APVD TRES ALOARIVS] Sic j. c. XXIII. *post ipsum tres aloariæ & XII. conlaudantes iurauerunt.* Plenius tamen inquirendum censeo.

ET LINGVAS EORVM LEGIBVS DIREXERVNT] hoc est secundum leges iurauerunt eum qui iurauit vera dixisse. Formul. Leg. Rom. cap. XXXI. *similiter testes sibi similes visores & cognitores, secundum quod ei iudicatum fuit, post ipsum iurauerunt, vt quicquid iam dictus ille de hac causa iurauit verum & idoneum sacramentum dedit.* Leg. Alam. tit. VI. §. ad Marculf. lib. I. c. XXXVIII. Fortè legēdum *dixerunt*, vt j. c. XXXIII. & XXXIV.

CAP. XXX. INDICVLVS REGALIS] Regia epistola qua rex Comiti mandat, vt cuidam qui queritur, quod alij res suas retinerent, ius dicat, aut si illi satisfacere recusent cogat eos fideiussores ante regem iudicio sistendi causa dare. Marcul. lib. I. cap. XXVII. & XXVIII. Quid sit Indiculus ad cap. VI. Marculfi expositum est.

IN VESTRO MINISTERIO] Ministerium pro territorio. Capitul. lib. II. c. XVIII. *sicut in capitulis quæ de hac re illis Comitib. dedimus, in quorũ ministeriis moneta percutitur constitutũ est*, & passim.

SVPER NOCTES TANTAS] i. intra tot dies. Nam spatia temporis nō numero dierum, sed noctium finiebant, vt antea dictum est.

CAP. XXXI. ALIVS INDICVLVS] Immunitas est militiæ, quæ seni à rege cōceditur.

DE OMNI HOSTE] exercitu. Capitul. lib. III. c. IX X. *quicumque homo nostros habens honores in hostem bannitus fuerit.* Appendix Aimoini

lib.IV.cap.LVI *rebellantibus Saxonibus paganissimis, qui contra Rhenum fluuium consistunt strenuus vir Carolus hostem mouit Francorum.* Adnunciatio apud Pistas cap.XXVI. *Vt pagenses Franci qui caballos habent vel habere possunt cum suis Comitibus in hostem pergant.* Nostris *host.*

ARRIBANNO] seu *Heribanno*, pœna est pecuniaria eius qui ad expeditionem post principis bannum seu edictum profectus non est. Gregor.Turon.lib.v.cap.XXVI. *Post hæc Chilpericus rex de pauperibus & iunioribus ecclesiæ vel basilicæ iussit bannos exigi pro eo quod in exercitum non ambulassent.* & lib.VII.cap.XLII. *post hæc edictum à iudicibus datum est, vt qui in hac expeditione tardi fuerant damnarentur.* Capitul.lib.III.cap.XIV. *De Heribanno volumus vt missi nostri fideliter exactare debeant.* & cap.XXXV.& LXVIII. In Legib.Longobardorum heribanni mulcta est LX. solidorum.

DISMANARE] i.de domo extrahere.

NOTITIA DE COLONITIO] s.C.I.IV.V. CAP. XXXII.

NOTITIA DE HERBIS MALEFICIS] CAP. XXXIV. Iusiurandum mulieris, quę veneficio hominem occidisse accusabatur, quod scilicet potionem maleficam ei nunquam temperasset aut propinasset.

MALLAVIT] in ius seu ad mallum Comitis vocauit.

HERBAS MALEFICAS TEMPERASSEM] Leg Sal.tit.XXI. *De maleficiis. Si quis alteri herbas dederit bibere, & mortuus fuerit* VII.*den.qui faciũt sol.*CC.*culpabilis iudicetur.*2.*si vero biberit & mortuus non fuerit, &c. ille qui dedit pro aliquo maleficio culpabilis iudicetur.* Greg.Tur.lib.VI.cap.XXXV.de

Mummolo qui maleficij incusatus est, quod herbam se habere ad tormina & dysenteriam sanandam professus sit: apud eundem Gregorium *per herbarum venena*. Inde *enherber*.

CAP. XXXV. CESSIO] donatio à patre vni ex filiis facta, vt præcipuum illud habeat. Similis est apud Marcul. lib. II. cap. XI. quæ in nepotem confertur.

CAP. XXXVI. EVACVATORIA] apocha, s. ad Marculf. lib. II. cap. XXXV.

CAP. XXXVII. LIBELLVS DOTIS] de libello dotis s. ad lib. II. cap. XV.

MANCIPIA STANTIA] villici, qui fundum exercent, & inter instrumenta fundi numerantur.

CAP. XXXIIX. INDICVLVS REGALIS] Videndus Marcul. lib. I. cap. XXXVII.

APVD NOSTRVM SIGNACVLVM] *Apud* heic dicitur pro *cum* aut *per*, quod non raro in illius sæculi auctoribus occurrit. s. cap. II. *apud proximiores parentes suos octo* iuret. & cap. XXIX. in f. Itaque quod heic dicitur *apud nostrum signaculum* sic accipiendum est, *per litteras annulo seu sigillo nostro firmatas*. Nam vt diximus indiculo sigillum non addebatur.

MANNITVM] Mannire, in ius vocare, Leg. Sal. tit. I. & aliâs sæpissime, quasi *monere*.

CAP. XXXIX. ÆQVALENTIA VEL PACTVM] Diuisio hereditatis inter fratres, quæ æqualẽtia heic appellatur, quod æquis partibus fiat. Marculf. lib. II. cap. XIV.

ÆQVALENTIA DIVIDERE] æqua lance. Inde huius capitis titulus. Marculf. lib. II.

cap. XIV. *æqua lance inter se visi sunt diuisisse vel exæquasse.*

CVM OMNI DESVPER POSITO] *suprapositio* passim in Formul. Leg. Rom. j. cap. XL. *vna cum superpositis.* apud Iurisconsultos *cum omnibus quæ ibi erunt* : clausula in venditionibus, donationibus, legatis, diuisionibus hereditatis frequentissima.

PECVLIVM PRÆSIDIVM] de peculij & præsidij voce ad lib. II. Marculfi.

DONATIO AD CASAM DEI] Casa Dei pro ecclesia, quasi domus Dei. Hincm. Ep. VII. c. XXXV. *Prouidendum est etiam vt de nihil habentibus promoti presbyteri non præsumant quæ de facultatibus ecclesiæ comparauerunt vendere, vel quasi ad Casam Dei tradere, nisi ad ecclesiam cuius propria esse debent.* CAP. XL.

GRAFIA ILLA] Comitatu illo. s. ad cap. VII.

APVD IVGALEM MEVM VISA SVM CONQVISISSE] Tertiam videlicet rerum stante coniugio quæsitarum. Plura ad lib. II. cap. XVII.

DE FILII MEI LVCTVOSA HEREDITATE] Ita Papinianus apud Iustinianum L. vlt. Cod. De instit. & substitut. *Luctuosam hereditatem ad matrem venire curaut.* Iustiniano *tristis successio.* Institut. De senatusconsul. Tertullian. in pr.

EMVNITAS SANCTORVM] priuilegium immunitatis monasterio à rege concessum, qua de re plura ad cap. III. lib. I. CAP. XLIV.

HOMINIBVS VASSIS NOSTRIS.] Fortasse Legendum *omnibus vassis nostris*, aut

saltem addendum *hominibus & vassis nostris.*

IN CVRTIBVS VEL VILLIS] Villas etiam Curtes dictas fuisse hic locus ostendit, Sic in diplomate Caroli R. pro Corbeiæ cœnobio *villas seu curtes vel ea quæ deinceps in parte ipsius ecclesiæ voluerit diuina pietas augeri.* & in Traditionibus Fuldensibus lib. II. *iugerum curtiferum* dicitur in quo ædificium rusticum & villula esset. Leg. Salicæ tit. VI. *canem custodem domus siue curtis.* Olim quidem *Cortem* Romani dixere eam villæ partem quæ mœnibus cincta est, & in qua permulta rustica opera exercentur. Varro De re rustica li. I. & Palladius lib. I. Sanè in Synodo Confluentina an. DCCCLX. aliter accipitur: curtem enim aulam & comitatum principis vocat: *in hostem & ad placitum siue ad curtem veniens.*

RETRIBVTIONES EXACTANDAS] Exactare pro exigere. Marculfus lib. I. cap. II. Diplomata Ludouici & Caroli Calui pro S. Germano, quę interseruntur continuationi Aimoini lib. V. cap. X. & XXXIII. *Neque seruitia ab eis exactet, neque parauueredos aut expensas ad hospitum susceptiones recipiat.* Capitul. lib. III. C. XIV. *Heribannum exactare.*

CAP. XLV. INDICVLVS REGALIS] Exemplum immunitatis vectigalium à Carolo R. cõcessæ.

NVLLAS VENDITAS] Vectigal est rerũ in foro & publicis nundinis, cuius mentionem in Gallicis quibusdam vetustis instrumentis legisse memini: hodie quidem rerum immobilium εἰσδεκτικὰ dicuntur *ventes.*

RODATICVM] Capitul. lib. VI. C. CCXIX. *Vt*

nullus homo præsumat tholoneum per vias, nec per villas rodaticum, nec pulueraticum recipere. Hodie *Rouage*, quod vectigalis genus ex vino vendito colligitur. *Rotaticum* in diplomate Dagoberti R. de mercato S. Dionysij, vbi varia tributorum nomina recensentur, & in præcepto cõfirmationis Pipini R. de eodem mercato, *nec de nauigiis, nec de portib. nec de carnis, nec de saumis vllum theloneum vel foraticum seu rotaticum, vel pontaticum, vel portaticum, vel salutaticum, seu cespitaticum, siue mutaticum vel aliquam exactionem aut consuetudinem exigere.*

FORATICVM] Præcepta Dagoberti & Pipini, quæ modo exscripsimus. Diploma Ludouici & Lotharij in continuat. Aimoini lib. v. cap. x. hodie certè *Foragium* ius illud vocamus, quod ex vino minutatim vendito debetur.

PONTATICVM] quod in pontib. pro transitu datur. Capitul. lib. III. c. XII. *Placuit nobis, vt antiqua & iusta tholonea à negotiatoribus exigantur, tam de pontib. quamq; de nauigiis seu mercatis.* Idē Carolus imp. & Ludouicus prohibuerũt theloneũ exigi vbi necesse nõ est fluuiũ per pontẽ transmeare, & ne quis cogatur ad pontũ ire thelonei causa. Cap. li. IV. c. XXXI. In Legib. Benearnensiũ *põtage.*

SEV MERCADA] mercatus.

COMMERCIVS] negociationis socius.

NEGOTIVM] Negotium, pro re vænali, merx. Sic negotium pro mercatura in Capitul. lib. I. c. CXXXI. *Si hoc propter necessitatem comparat, vt sibi habeat & aliis tribuat, negotium dicimus.*

RELATVM QVOD DICITVR APENNIS] De instrumẽtorũ amissione vel exustione, quæ hostiũ incursu, aut quolibet alio casu accidit, satis multa

CAP. XLVI.

ad xxxiii. cap. lib. i. vbi litterarum principalium exemplum proponitur quæ ab eo qui iacturam passus erat impetrari solebant, ne difficili postea probatione eius iura deteriora fierẽt. Heic autem similis quædam formula exhibetur, non tamen à rege, sed à comite data. Qua, sedente in iudicio comite, testes adhibentur qui alicuius domum cum mobilibus rebus, chartis & instrumentis quæ inerant, incendio consumptam testentur. Ideoque comes eius rei testationem in scriptis redactam concedit, vt res omnes quas hic antea possidebat, in posterum securè etiam possideat.

CHARTVLAM RELATIONIS QVÆ DICITVR APENNIS.] Sic in Formul. Leg. Rom. cap. xxviii. Quæ autem eius nominis origo sit, mihi planè non liquet, & fortasse mendum est. Sanè dubitaui num legendũ esset *à pari*, quod eandem & parem vim habeat atq; instrumẽta amissa: quam vocem *à pari & apparibus* eodem ferè sensu hac ætate vsitatam fuisse reperio. In Registro B. Gregorij lib. vii. est epistola vt episcopi cum mulieribus non habitent, quæ ad plures Defensores & subdiaconos scripta est: additur *apparibus*, i. omnib. eodem exemplo, nam etsi pluribus sit inscripta, ad vnum tantum loqui Gregoriũ manifestum est. Sic eod. lib. ep. cxii. accipienda est epistolæ inscriptio: *Syagrio, Betherio, Virgilio & Desiderio episcopis Galliarum apparibus.* Et apud Hincmarum ep. vi. c. xxviii. Zozimus PP. *ad Aurelium & vniuersos episcopos per Africam constitutos, vniuersosque episcopos per Gallias & septem prouincias constitutos, & vniuersos*

episcopis per Hispaniam constitutis à pari, hoc est eodem exemplo. Aliorum sit iudicium.

CHARTVLAM RELATIONIS QVÆ DICITVR] apparet heic *appennis* vocē deesse. CAP. XLVII.

HEREDITORIA] Libellus seu epistola, qua pater filiam naturalem, quam ex propria ancilla susceperat ad hereditatem suam vocat aliâs non successuram.

IACTANTE DENARIO] iactato denario ante regem. Manumissionis modus, de quo ad lib. I. cap. XXII.

REDEMPTIONALE] seu *charta redemptionalis*, per quam seruus seipsum de peculio suo redimit, & dato pretio libertate à domino donatur, ita vt ab obsequiis omnibus & iure patronatus liber & immunis permaneat. Quod ita demū procedit si sciat dominus nūmos peculiares esse. Alioqui enim, vt est in Leg. Baiuu. c. XV. tit. VII. *Si quis seruus de peculio suo fuerit redēptus, & hoc dominus eius forte nescierit, de domini potestate non exeat, quia non precium, sed res serui sui dum ignorat accipit*, quod caput exscripsit Benedictus Leuita Capitul. lib. V. cap. CCVII. CAP. XLVIII.

IN AMICTO] In veste, ex qua amictus dictione supplendæ lacunæ, s̄. cap. XV. & XVI.

HEREDITORIA] Cum Lege Salica filia in antiqua patris alode non succederet, tamen hac formula ad hereditatem admitti potest, vt cum fratribus portionem ferat. Marculf. lib. II. cap. XII. *vt filia cum fratribus in paterna succedat alode.* CAP. XLIX.

LEX SALICA CONTINET] tit. LXII.

APVD GERMANOS TVOS] i. cū germanis tuis.

CAP. L. CAVTIO DE VINEA] oppigneratio est vineæ pro debito, cum antichresi.

ARIPENNOS TANTOS] mensura est terræ, vt & iugerum, acra, bannaria, arialis, opera. Gregor. Turon. lib. v. cap. XXVIII. *statutum fuerat vt possessor de propria terra vnam amphoram vini per aripennem redderet.* hodie *arpent.* Glossæ vett. *Arpendium*, πλέθρα: quam vocem Scaliger in Diras Valerij Catonis Latinam esse contendit, quasi *aruipennium.* Reperio tamen apud Columellam De re rustica lib. v. cap. I. Gallos semiiugerum *arepennem* vocasse: nunc certè vt plurimum pro integro iugero accipitur.

CAP. LI SECVRITAS] de securitate Marculf. lib. II. cap. XVIII. & s. cap. XXXI.

CESSISSET] pro cecidisset.

CAP. LII. DONATIO AD FILIOS] naturales videlicet, non ex iustis nuptiis procreatos. Pertinet hæc formula ad Legem Romanam.

LEX ET CONSVETVDO EXPOSCIT] Iure Romano filij naturales patri ex testamẽto heredes esse poterant in assem: atque adeo in substitutione facta, si sine liberis aliquis decesserit, Papinianus existimauit deficere conditionem, si naturales liberi extarẽt L. Ex facto XVII. §. Si quis ad Senatusconsult. Trebel. L. Generaliter §. vlt. Cod. De instit. & substit. Lege tamen à Valeriano Valente & Gratiano lata, is qui legitimos filios vel nepotes, aut patrem vel matrem haberet, non poterat naturalibus liberis plus vncia relinquere: quod si non essent iusti liberi nec pater aut mater, vsque ad tres vncias filij naturales cõsequi possunt. L. I. Cod. Th. De naturalib. filiis. Anastasius postea cõstituit vt si

quis cõcubinã vxoris loco habuerit & filios ex ea ſuſceperit, illis poſſe omnem hereditatẽ relinquere, non extantib. aliis, L. Iubemus Cod. De naturalib. liberis. Sed id Iuſtinianus immutauit & ad ſemiſsẽ reduxit L. Humanitatis eod. tandemque reuocauit Nou. LXXXIX. vt in aſſem inſtitui poſſent. In Galliis autem veterem vſum ſeruatum fuiſſe docet hæc formula, nec obſeruatam Valẽtiniani conſtitutionẽ de trib. vnciis: quò pertinent hæc verba, *conſuetudo expoſcit*, maximéq. propter cõmixtionẽ exterarũ gẽtiũ qui naturales liberos à legitimis vix diſcernebant.

BENE INGENVAM] impari tamen dignitate, alioqui ſolo affectu vxor eſſe potuiſſet.

NATVRALES APPELLANTVR] Innuit ſine dotalib. inſtrumẽtis nõ intelligi matrimoniũ, nec legitimos naſci liberos. Modeſtinus tamẽ inter regulas iuris refert in liberæ mulieris conſuetudine non concubinatũ eſſe, ſed matrimoniũ. L. In liberæ De ritu nupt. Quod ita intelligẽdum eſt ſi quidẽ affectu & honore vxoris ſit habita. Sane. n. inquit Vlp. niſi dignitate nihil intereſt. L. Item legato De legatis III. & Papinianus cũ dixiſſet donationes in concubinã collatas non poſſe reuocari, adiicit, *an autem maritalis honor & affectio pridẽ preceſſerit, perſonis cõparatis, vitæ cõiunctione cõſiderata perpẽdendũ eſſe, neq; enim tabulas facere matrimonium*. L. Donat. XXXI. De donat. Sed poſtea receptũ eſt & Theod. iure probatũ, vt inter impares honeſtate perſonas nõ aliâs cõſtaret matrimoniũ niſi dotalib. inſtrumẽtis cõſcriptis, nec aliâs legitimi eſſent liberi. L. Si donat. C. de nupt. L. III. C. Th eo. Quo referri pñt huiꝰ formulæ verba, ſed talis cauſa, &c. Non dubito

hoc ius postea à Iustiniano immutatum, vt etiã inter impares legitima essent matrimonia sine instrumentis dotalibus L. Imperialis. §. immo Cod. De nuptiis. Quam legem idem refixit Nouel. LXXIV. fixit rursum Nou. CXII. exceptis illustribus viris, quos non aliter matrimonium contrahere voluit nisi dotalibus instrumentis confectis: cæteros ex solo affectu vxores dücere. Sed Iustinianeum ius necdum in Galliis vsu receptum fuisse iam antea animaduertimus.

CAP. LIII. MANDATVM] Forma mandati ad insinuandam & publicandam superiorem donationem: quo facto eiusmodi naturales liberos legitimos effici & legitimam percipere patris successionem docet hæc formula.

CAP. LIV. GESTA] Insinuatio & professio apud acta municipalia, stabiliendæ & firmandæ donationis gratia. De eiusmodi gestis vide Marcul. lib. II. cap. XXXVII.

CAP. LV. EPISTOLA] à procuratore scripta, qua se ex mandato donationem insinuasse refert.

CAP. LVI. GESTA MANVMISSIONIS] Acta sunt manumissionis in ecclesia celebratæ, ex parte tamen mutila.

ILLE DIACONVS TESTATVR] primus diaconorum siue archidiaconus. Præerat ille libertatibus quæ in ecclesia dabantur, manumissionisque tabulas conficiebat, vt hæc formula testatur. Leg. Ribuar. tit. LX. qui *seruum suum pro animæ suæ remedio, seu pro precio, secundum legem Romanam liberare voluerint, vt in ecclesia coram presbyteris, diaconibus seu cuncto clero, & plebe, in manũ episcopi seruum cum tabulis tradat, & episcopus ar-*

chidiacono iubeat, vt ei tabulas secundum legem Romanam qua ecclesia viuit scribere faciat, & tam ipse quam omnis procreatio eius liberi permaneant, & sub tuitione ecclesiæ consistant. Statuit etiam eadem Lex Ribuaria, vt si in iudicio controuersia existat vtrũ aliquis liber an seruus sit, & manumissionis tabulæ in dubium vocentur, vt archidiaconus & testes ante regem vel episcopum hac de re iurent: & si verè manumissum fuisse asseuerauerint, mulcta XLV. solidorum archidiacono debetur. Sin minus, seruum cum pari mulcta domino archidiaconus restituere iubetur, ex quibus non parum lucis huic capiti accedit. Idipsum testatur Amalarius Treuirensis, vbi de archidiaconi officio agit, non quidem in vulgatis, sed in Ms. Codice S. Victoris Parisiensis. *Gesta*, inquit, *libertatum episcopo defert.* Ebo De ministris Rhemensis ecclesiæ, in Archidiaconi officio, *libertates liberorum cum testibus probare, alienorum seruorum ad gradus venire volentium exigere: potestatem etiam habens libertatem ecclesiastica propria de familia facere, & alienis exigere.*

VINDICTAQVE LIBERARE] impropriè. Nã aliud est vindicta manumittere, aliud in ecclesia, sed quia vetustissimus plenæ libertatis dandæ modus erat per vindictam, vt manumissi ciues Romani fierent, ideo hoc nomine in manumissione ecclesiæ vsus est, quæ post constitutionem Constantini eandem vim obtinuit.

DONATIONEM BONÆ MEMORIÆ CONSTANTINI] Constat manumissionis in ecclesia Cõstantinum auctorem fuisse, quod

præsertim honori ecclesiarum tributum est, sed & libertati, cuius adipiscendæ apud magistratus propter varias ambages maior tum erat difficultas. Tres igitur editæ sunt à Constantino de ea re constitutiones: quarum vna est in Cod. Th. tit. De manumissionibus in ecclesia ad Osium episcopum, eaque postrema, nimirum Crispo & Constantino Cos. Est alia huic prior in Cod. Iustinianeo De his qui in ecclesiis manumittuntur, ad Protogenem episcopum Sabino & Aradio Rufino Cos. *Iamdudum placuit*, inquit Constantinus, *vt in ecclesia catholica libertatem domini suis famulis præstare possint, si sub aspectu plebis, adsistentibus Christianorum antistitibus id faciant, vt propter facti memoriam vice actorum interponatur qualiscumque scriptura*, ex quo apparet præcessisse & aliam quæ non extat. Sane Sozomenus histor. eccles. lib. I. cap. IX. asserit tres Constantinum fecisse Leges de manumissionibus in ecclesiis. Auctoris verba quia huic formulæ lucem afferunt visum est adscribere: ἄξιον μὴ παραλιπεῖν τὰ νενομοθετημένα ὑπ' αὐτοῦ περὶ τῶν ἐν ταῖς ἐκκλησίαις ἐλευθερουμένων, τῆς πολλῆς διαφερείας ἔσης περὶ τὴν κτῆσιν τῆς ἀμείνονος ἐλευθερίας ἢν πολιτείαν Ῥωμαίων καλοῦσι, τρεῖς ἔθετο νόμους, φιλοτίμως πάντας τοὺς ἐν ταῖς ἐκκλησίαις ἐλευθερουμένους, ὑπὸ μάρτυσι τοῖς ἱερεῦσι, πολιτείας Ῥωμαϊκῆς τυγχάνειν. ταύτης τῆς εὐσεβοῦς ἐφευρέσεως, εἰς ἔπι γνῶ ὁ χέων φέρει τὸν ἔλεγχον, ἕως κεκτοιῶτος τὸν περὶ τούτου νόμους, προγεγράφεσθαι ἐν τοῖς γραμματείοις τῶν ἐλευθερίων. Quæ postrema non est assequutus Latinus Tripartitæ interpres, sed ex hac formula interpretationem claram & certam accipiunt.

Huius

Huius manumissionis præclarum extat exemplum apud Ennodium Ticinensem episcopum de Gerontio Agapiti seruo, vbi elegantissimum ex B. Augustini sermonibus nondum editis locũ adfert eruditissimus Sirmõdus. Est etiam ea de re Aurelianensis inscriptio, quam multi exscripsere, quam tamen posterioris ætatis esse existimo, circa tertiæ regum nostrorum familiæ primordia.

EA TAMEN CONDITIONE] Etsi nulla lacunæ nota in Ms. heic apponatur, quædam tamen deesse manifestum est, ea scilicet quæ ad gesta manumissionis de qua agitur pertinent.

AD VETERES FORMVLAS SECVNDVM LEGEM ROMANAM.

DONATIO ECCLESIÆ] Donationum eiusmodi exẽpla varia Marcul. tradit li. II. CAP. I.

IN CONDITA ILLA] In designandis locis solent hæ formulæ *conditæ* vocabulum vsurpare, quod nec apud Marculfum & Incerti auctoris formulas reperitur, nec etiam alibi facilè occurrit. Quo nomine certum locum & territorium designari apparet. Sic in donatione Haganonis ad S. Martinum Turonensem cuius particulas antea protulimus. *Fridegiso Abati trado mansum nostrum dominicatum, quem extra consortium fratrum in hereditate habemus, in pago Blesensi, in condita ponte Lapidense, in villa Bliderico, &c. partibus S. Martini tradimus cum hominibus ibidem commorantibus, quos colonario ordine viuere constituimus, &c. Data* XVII. *KL. Iunij Anno* V. *HLudouici*

serenissimi imperatoris. In alio vet. instrumento eiusdem cœnobij, *in pago Blesensi, in condita Cabriniacensi, in loco nuncupante Aluarias.*

CVM OMNI SVPRAPOSITO] Synodi Meldensis c. XVII. *Vt res ecclesiasticæ tempore principatus vestri ablatæ ex integro præsentaliter restituantur & restitutæ conseruẽtur, sicut tempore aui & patris vestri fuerunt, excepto superposito, quod ad vsus possidentium absumptum est.* Suprapositum Græcis ἐνθήκη. In L. Titia XXXIV. §. Lucius Titius De Legatis II. Βούλομαι ἀυτῷ παρ' ἑαυτῆς λαβεῖν χωρίον. Γάζαν αὐτῷ τῶν ἐνθήκων ἀυτῆς πάσαν. Quæ Papiniano *Dotes prædiorum*, L. II. De instruct. & instrument. leg. appellantur etiam *reposita*. L. si mihi Mæuia XCII. §. vlt. De Legatis III. Enthecã dixit B. Augustinus quicquid naui imponitur, Sermon. Ad fratres in eremo. Can. Nolo XII. q. I.

CAP. II. MANDATVM] vt superior donatio apud acta publicetur, & insinuetur. Marculfus lib. II. cap. XXXVIII. Incert. Auct. cap. LIV.

CAP. III. GESTA] Marculf. lib. II. cap. XXXVII. Incert. Auct. cap. LIV.

VENDITIO] Marcul. lib. II. c. XIX. XX. XXI. Incert. Auct. cap. XIV.

CONDITA ILLA] s̃. cap. I. & passim his formulis.

CAP. V. CALVMNIAM VEL REPETITIONEM] Calumnia vt antea monuimus in veteribus instrumentis & apud Marculfum & alios formularum auctores pro actione accipitur. Inde vetustis vernaculis scriptorib. *calãger*, & antiquissima quæque diplomata calumniam *calange* interpretãtur. Rogerius Houedenus Annal. part.

poſter. de controuerſia inter Caſtellæ & Nauarræ reges, cuius Hēricus II. Angliæ R. arbiter erat: *Calumnia regis Caſtellæ. Rex Aldefonſius Caſtellæ & Toleti conqueritur & petit à rege Sanctio Nauarræ auunculo ſuo ſibi fieri reſtitutionem, &c.* poſtea, *Tunc ſurrexerunt epiſcopus Pampelunæ & alij nuntij regis Nauarræ, & nihil eorum quæ ab aduerſariis ſuis proponebantur contradicentes, ſcriptum quoddam, in quo petitiones & calumniæ & allegationes ſuæ ſcribebantur protulerunt in hac forma. Calumnia regis Nauarræ. Petit Sanctius rex Nauarræ Cudeio monaſterium, montem de Oca, &c.*

OBLIGATIO] Precariæ ſpecies eſt, quæ Obnoxiatio à Marculfo appellatur lib. II. c. IX. CAP. VI.

PRECARIA] Marculf. lib. II. cap. V. & XLI. Incert. Auct. cap. XXVII. & XLI. CAP. VII.

VENDITIO DE SERVO] Marculf. lib. II. cap. XXII. CAP. IX.

VENDITIO DE SEMETIPSO QVALITER HOMO LIBER VENVNDETVR] CAP. X. Quod heic dicitur de libero homine qui ſeipſum vendit, non omnino conuenit cum iure Romano, de eo qui ad pretium participandum venundari paſſus eſt, ideoq. ad libertatem proclamare non poteſt, nec manumiſſus priſtinam ingenuitatem recipit. L. v. L. Et ſeruorum XXI. De ſtatu hominum L. VII. De liberale cauſa, quod etiam in deſuetudinem abiiſſe Græci notant, lib. XXIX. Baſilic. Non enim ſeipſum vendebat, ſed ob participationem pretij ab alio vænire patiebatur, ignorante emptore: nam ſi ille ſciens liberum emerit, ad libertatem venditus proclamare poteſt L. Liberis VII. §. Si quis

sciens De liberali causa. Heic vero liber homo pretio accepto emptori scienti prudentique seipsum addicit. Quo pertinet insignis locus B. Augustini in Sermon. *Hic mos solet inter ementem vendentemque seruari, vt is qui se alieno cupit dominio mancipare aliquid pretij pro iactura propriæ libertatis & addictione propriæ seruitutis à suo consequatur emptore.* Gregor. Turonensis lib. VII. cap. XLV. de fame quæ per Gallias grassabatur, *Grauiter tunc negotiatores populum spoliauerunt, ita vt vix vel modium annonæ aut semimodium vini vno triente venundarent: subdebant se pauperes seruitio vt quantulumcumque de alimento porrigerent.* Leg. Baiuuar. cap. VI. tit. V. *quamuis pauper sit tamen libertatem suam non perdat nec hereditatem suam, nisi si spontanea voluntate alicui tradere voluerit, hoc potestatem habeat faciendi.* Quinimo & seipsum pignoris loco dare mos erat, Leg. Baiuuar. cap. II. tit. I. 5. *Si vero non habet, ipse se in seruitio deprimat & per singulos menses vel annos quantum lucrare quiuerit, persoluat cui deliquit, donec vniuersum debitum restituat.* Capitul. lib. III. c. XXIX. *Liber qui se loco vuadij in alterius potestate commiserit, &c.* Tacitus etiam refert Germanos aleæ ita deditos fuisse, vt extremo ac nouissimo iactu de libertate & de corpore contendant. *Victus*, inquit *voluntariam seruitutem adit: quamuis iunior, quamuis robustior alligari se ac vænire patitur.*

CAP. XI EPISTOLA COLLECTIONIS] Formula est qua matriculari ecclesiæ alicuius testantur se puerum expositum collegisse, & certo pretio eum vendidisse secundum Legem Romanam. De expositis infantibus varium fuit

ius, nec olim satis certum. Id indicat Plinij ad Traianum consultatio, & eiusdem Traiani rescriptum de his qui liberi nati, expositi, & in seruitute educati sunt, quos vocant τροφίμους: de quorum conditione & alimentis cōsulenti Plinio Traianus non putat adsertionem denegandam iis qui ex eiusmodi causa in libertatē vindicabuntur, nec ipsam libertatem redimendam pretio alimentorum. Tamen propter alimenta quasi vice pignoris retineri potuisse ostēdit M. Quintilliani Declamatio CCLXXVIII. De exposito quem pater recepit: *Vis*, inquit, *scire quam pater non fueris, recipere illum nisi solutis alimentis non potuisti, & tibi vt pater esse incipias emendus.* Quo etiam pertinet Diocletiani cōstitutio in L. Pater XVI. C. De nuptiis. Constantinus vero statuit vt qui proiectum de domo voluntate patris vel domini collegerit, ac suis alimentis ad robur prouexerit, eundem retineat sub eo statu quo voluerit, id est siue vt filium, siue vt seruum, nec posse patrem vel dominum repetere L. I. Cod. Th. De expositis. Multo magis si dominus vel patronus exposuerit, omnis repetitio denegatur aduersus eum qui misericordia ductus collegit, L. II. eod. in qua adiicitur, *si modo testes episcopalis subscriptio fuerit subsecuta, de qua nulla penitus ad securitatem possit esse cunctatio.* Extant etiam ea de re varia synodorum decreta. Synodi Arelatensis II. c. XXXII. *Si expositus ante ecclesiam cuiuscumque fuerit miseratione collectus, contestationis ponat epistolam. Et si is qui collectus est, intra decem dies quæsitus agnitusque non fuerit securus habeat qui collegit. Sanè qui post prædictum tempus*

calumniator extiterit, vt homicida ecclesiastica districtione damnabitur, sicut patrum sanxit auctoritas. Synodi Vasensis, quæ Theodosio iun. & Dioscoro Coss. habita est, c. IX. *De expositis quia collata ab omnib. querela processit, eos non misericordiæ iam, sed canibus exponi, quos colligere calũniarum metu quamuis infelix à præceptis misericordiæ mens humana detrectet, id obseruandum est, vt secundum statuta fidelissimorum Augustorum, piissimorumque principum, quisquis expositum colliget, ecclesiam contestetur, post contestationem colligat. Nihilominus de altari, dominico die, minister annunciet ab ecclesiastico expositum esse collectum: vt intra dies decem ab expositionis die expositum recipiat, si quis se probauerit agnouisse, collectori pro ipsorum x. dierum misericordia prout valuerit ad præsens retribuat, aut in perpetuum cum Dei gratia, si voluerit possideat. Si quis expositorum hoc ordine collectorum repetitor vel calumniator extiterit vt homicida habendus est.* Benedictus Leuita Capitul. lib. VI. c. CXLII. Atque etiam Matiscensis Synodus apud Burchardum iubet, vt à presbyteris illud annũcietur non interficiendos liberos, sed potius alienæ misericordiæ exponendos, idq. ne puellæ quæ clanculò corruptæ concepissent liberos interficerent. Itaque hæc formula ad executionem eiusmodi legum & canonum pertinet. Contra tamen Iustinianus definiuit expositos esse liberos & ingenuos, licet serui nati sint, nec vindicari posse ab eo qui exposuit, nec ab eo qui emit vel sustulit, ne ex pietatis officio lucrum faciat. L. III. Cod. De infant. expositis.

MATRICVLARII] Matriculam pro indice, albo seu notitia, accipi notum est. Præter

innumeras impp. constitutiones quæ eo vocabulo vtuntur, Vegetius De re militari lib. II. c. v. *punctis milites inscripti & matriculis inserti iurare solent.* Eodem sensu matriculæ ecclesiarum in Testamento B. Remigij dicuntur catalogi pauperum, qui ab vnaquaque ecclesia stipendia recipere soliti erant: *pauperibus duodecim in matricula positis: ante fores ecclesiæ expectantibus stipem duo solidi vnde se reficiant inferantur.* In Testamento Sonnatij Rhem. episcopi apud Flod. lib. II. c. v. *Ad matriculam Rhemensis ecclesiæ, nonnulla contulit donaria. Cæteris quoque matriculis vel congregationibus diuersa delegauit munera.* Quem morem apertissimè describit Hincmar. ep. VII. cap. XXX. episcopi *de matricularijs per singulas ecclesias iuxta facultatem & possibilitatem loci curam adhibeant, ne presbyteri pro locis matriculæ xenia accipiant, ne suos parentes sanos & robustos in eadem matricula collocent, nec opera ab ipsis matricularijs exigant, non de matricularijs bubulcos & porcarios faciant, sed pauperes ac debiles & de eadem villa de qua decimam accipiunt matriculatios faciant.* quo loci *matricularij* dicuntur qui in matricula inscripti sunt, vt etiã apud Greg. Tur. lib. VII. c. XXIX. *Nõnulli matriculariorum & reliquorum pauperum pro scelere commisso tectum cellulæ conantur euertere.* Sed in hoc capite & alibi passim qui in singulis ecclesiis matriculæ pauperum curam agebant & eorum stipendia dispensabant *matricularij* appellantur, hodie *marguilliers* rerum ecclesiæ administratores. Matriculatios porro custodes ecclesiarũ Vandalbertus diaconus interpretatur. Vidit hanc formulam Cuiacius, eiusque partem exscribit

ad Sentent. Pauli lib. v.

AD OSTIA IPSIVS ECCLESIÆ] ibi enim exponebantur. Synodi Matiscensis ca. vi. apud Burchardum, *decretum est vt vnusquisq. presbyter in sua plebe publicè annunciet, vt si aliqua fœmina clanculo corrupta conceperit, & pepererit, nequaquam diabolo cohortante filium aut filiam suam interficiat, sed quocumque prævalet ingenio ante ianuas ecclesiæ partum deportari, ibique poni faciat, vt coram sacerdote in crastinum delatus ab aliquo fideli suscipiatur & nutriatur.* Sic & apud Treuiros obseruari testatur Vuandelbertus Diaconus in Vita B. Goaris, cuius verba, quod omnino huic formulæ conueniant subiicere non piguit, quæ eadem notata sunt in eruditissimo Capitul. Glossar. *Moris tũc Treuirorum erat, vt cum casu qualibet fœmina infantem peperisset, cuius nollet sciri parentem, aut certè quem præ inopia rei familiaris nequaquam nutrire sufficeret, ortum paruulum in quadam marmorea concha, quæ ad hoc ipsum statuta erat, exponeret, vt in ea cum expositus infans reperiretur existeret aliquis qui eum prouocatus miseratione susciperet & enutriret. Si quando igitur id contigisset, custodes vel matriculary ecclesiæ puerum accipientes, quærebant in populo si quis fortè eum suscipere nutriendum & pro suo deinceps habere vellet. Vbi vero ad eam rem offerret sese aliquis, infans qui esset expositus episcopo deferebatur, & eius priuilegio auctoritas nutriendi habendique paruuli ei qui à matricularijs susceperat firmabatur.*

SANGVINOLENTVM] recens natum, rubentem à matre L. i. Cod. Th. De expositis. L. ii. Cod. De patribus qui filios distrax.

PER TRIDVVM SEV AMPLIVS] Tri-

duum heic exempli causa apponitur. Nam Decem dies præfiniuntur Synodo Arelatensi II. c. XXXII. & Synodo Vasensi c. IX.

LEGIS ORDINEM] L. I. Cod. Th. De expositis.

EX CORPORE THEODOSIANI LIBRI QVINTI] L. I. C. Th. De his qui sanguinolentos emptos vel nutriend. accep. quæ licet de expositis non loquatur, tamen par est ratio & idem ius. Itaq. heic profertur vt appareat vēditionem à matriculariis factam ratam manere, & ex ea emptori ius esse infantem in suo seruitio retinere.

SI QVIS INFANTEM] Non ex verbis Legis, sed ex interpretatione Aniani hæc sententia desumpta est.

INGENVITAS] Manumissionis est formula quæ in ecclesia celebratur, qua de re plura ad Incer. Auct. Formul. cap. VIII. & cap. LVI. Exemplum porrò huiusce manumissionis, huic formulæ plane genuinū ex incerto quodā concilio Toletano exhibet Burch. lib. II. c. XXX. CAP. XII.

EAT PERGAT PARTEM QVAM MALVERIT] Clausula in manumissionibus frequentissima, & certè apud veteres sola ferè libertatis dādæ formula. Apertè id Plautus variis locis declarat, vt in Menæchm. Act v. sc. VII. *Mea quidem hercle causa liber esto, atque abito quo voles*, cui seruus *Salue mi patrone*. Vnde & ἐλευθερίαν appellatā Grammatici testantur, quasi ea præcipuè nota libertatis sit quo libuerit proficisci. *Nihil enim*, inquit Venuleius, *multū à specie seruiētium differunt, quib. facultas non datur à loco recedēdi.* Ideoq. Papinianꝰ eiusmodi cōditione vt in illa

ciuitate domicilium habeat quis, ius libertatis aliquatenus infringi existimabat. L. LXI. §. Titio centum De conditionibus & demonstrat. Burchardus lib. II. cap. XXVI. *eandem pergat partem quamcumque volens canonicè elegerit.* ſ. in Formul. Incert. Auct. cap. LVI. *ea tamen conditione vt eat vbique: quam voluerit partem pergat, tanquam si ab ingenuis parentibus fuisset natus vel procreatus.*

CAP. XVI. CHARTA IN PVELLAM FACTA] Marcul. lib. II. cap. XVI.

VIVENTIBVS PATRIBVS INTER FILIOSFAM.] Paulus sentent. lib. II. tit. XIX. *Eorum qui in potestate patris sunt, sine voluntate eius matrimonia iure non contrahuntur, sed contracta non soluuntur, contemplatio enim publicæ vtilitatis priuatorum commodis præfertur:* cui sententiæ interpretationem Anianus seu quis alius adiecit, ex qua huius formulæ verba desumpta videntur. Videndus Cuiacius Obseruat. lib. III. cap. V.

CAP. XVII. DONATIO INTER VIRVM ET VXOREM QVÆ GESTIS SIT ALLIGATA] Constantinus in L. I. Cod. Th. De sponsalibus. *Pater noster nullam voluit liberalitatem valere si actis inserta non esset. Nos etiam inter sponsos quoque ac sponsas omnesque personas eam solam donationem ex promulgatæ legis tempore valere sancimus, quam testificatio actorum sequuta est.* De gestis dictum est ad Marculf. lib. II. c. XXXVII.

SCRIPTVRARVM NECESSE EST TITVLIS ALLIGARI] Anianus ad L. I. Cod. Th. De donat. *In conscribendis donationibus hic ordo seruandus est, vt donatio nomen prius contineat donatoris, vel illius cui donatur, deinde res quæ do-*

nãtur, siue in agris sicut in mancipiis, siue in quibuslibet rebus atque corporibus nominatim in donatione conscribendæ sunt non occultè sed publicè, non priuatim vel secretè, sed aut in tabulis, aut in chartis, aut vbicumque legatur facta donatio, &c.

QVIA SECVNDVM LEGEM] hæc superioribus non cohærent, nisi dicas *quia* pro *deinde* positum esse.

APVD DONATOREM EA QVÆ DONATA FVERANT REMANEBVNT] Verba sunt Aniani seu cuiuscumque alterius ad Pauli Sentent. lib. II. tit. XXIII. Sententia Pauli hęc est. *Si inter virum & vxorem donatio facta fuerit, priore defuncto cui donatum est, ad eum res redit qui donauerat.* L. Si inter IX. De rebus dubiis. Quod Seueri oratione constitutum est. L. Cum hic status XXXII. §. si ambo. De donation. int. vir. & vxor.

QVARTAM VERO LEGITIMIS HEREDIBVS MEIS RESERVO] Anianus ad L. I. Cod. Th. De donationibus. *Quæ tamen omnes donationes superius comprehensæ, si modum excesserint lege conscriptum, vnde possint certæ personæ de immodica donatione proponere, hoc est si quartam sibi facultatis suæ donator non reseruauerit, non valebunt.* In donationibus etiam inter virum & vxorem Falcidia locum habet. L. Cum hic status XXXII. §. Oratio De donation. int. vir. & vxor. L. In donationibus XII. Cod. Ad Legem Falcidiam.

CVM STIPVLATIONE AQVILIANA] Aquilianæ stipulationis nomen propriè huic rei non conuenit. Per eam namque omnes prę-

cedentes obligationes nouantur, & in stipulatum deducuntur, vt per acceptilationem tolli possint. Sed quia huiusmodi stipulationis vis erat maxima ad firmandum quod agebatur, inde factum arbitror, vt & in aliis actibus mentio fieret Aquilianæ stipulationis.

CAP. XIX. LIBELLVS REPVDII] Marculf. lib. II. cap. XXX.

CERTIS REBVS ET PROBATIS CAVSIS] ex Aniano ad L. I. Cod. Th. De repudiis. In qua Constantinus tres tantum diuortij causas probat, si homicidam vel medicamētarium vel sepulchrorum dissolutorem maritum suum esse fœmina probauerit. Quod si præter hæc tria crimina repudium miserit, vsque ad acuculam capitis in domo mariti deponere eam oportet: & præterea deportatur.

CAP. XX. LEX ROMANA EXPOSCIT VT QVICVMQVE VXORIS SVÆ NEGOTIVM FVERIT PROSEQVVTVS] verba Aniani ad L. IV. Cod. Th. De cognitorib. & procurator. Cui conuenit & alia Constantini constitutio in L. Maritus Cod. De procurator.

CAP. XXI. QVICQVID PATER VNVMQVEMQ. EX FILIIS VEL NEPOTIBVS HABERE VOLVERIT] j̃. c. prox. *Quicquid filiis vel nepotibus de facultate patris cognoscitur ordinasse voluntatem eius in omnibus Lex Romana constringit adimplere.* Lex quæ heic indicatur constitutio est Constantini L. I. C. Th. De familia erciscunda, *huiusmodi conscriptiones inter suos duntaxat heredes valere oportet*, paulò pòst, *considerari specialiter voluntatem placet, & obsecundari protinus cum res diuiduntur, nec*

retineri amplius, quam quod singulorum personis detegatur adscriptum, vt & memoria defuncti non violetur parentis, & occasiones litium dirimantur. Idipsum statuitur in L. vlt Cod. Familiæ erciscūdæ, quæ & ipsa Constantini est ad Bassum PR. P. Sed & olim Papinianus dixerat non videri simplicem donationem, sed potius suprremi iudicij diuisionem, cum pater inter filios sine scriptura bona diuisit, & onera æris alieni pro modo possessionum distribuit: L. Si filia xx. §. si pater. Familiæ erciscundæ.

EPISTOLA QVALITER NEPOTES IN LOCO FILIORVM INSTITVVNTVR AB AVO] Leg. *filiarum*, de nepotibus enim ex filia tãtum heic agitur. Vix est vt Romana sit obseruatio hoc casu codicillis opus esse, cum nepotes quoque ex filia Iure Romano ad aui successionem admissos constet, licet cum tertiæ partis deminutione: nisi hoc ipsum agatur, vt sine tertiæ deminutione eiusmodi epistola vice codicillorum ad hereditatem aui vocentur. Qua de re nonnulla diximus ad Marculf. lib. II. c. x. Huius formulæ partem exscribit Cuiacius sub Marculfi titulo ad Nouel. CXVIII. CAP. XXII.

LEX ROMANA] L. I. C. Th. DE fam. erciscūda.

CVM CVRIA PVBLICA] Anianus ad L. II. Cod. Th. De legitimis hereditat. *adoptiuum, id est gestis ante Curiam adfiliatum.* CAP. XXIII.

LEX ROMANA CONSTRINGIT VT QVI TVTORES NOLVERINT ESSE] ex Aniano in L. I. Cod. Th. Qui petant. CAP. XXIV.

PACTVM INTER PARENTES] Marculf. lib. II. cap. XIV. Incert. Auct. cap. XXXIX. CAP. XXV.

LEGEM ROMANAM ORDINANTEM] L. VIII. Cod. Th. De pactis & transactionibus. *Si quis*, inquiunt Arcadius & Honorius, *maior annis aduersus pacta vel transactiones, nullo cogentis imperio, sed libero arbitrio & voluntate confecta putauerit esse veniendum, vel interpellando Iudicem vel supplicando Principibus, vel non implendo promissa ea quæ inuocato nomine Dei omnipotentis, eo auctore solidauerit, non solum inuratur infamia, verumetiam actione priuatus, restituta pœna, quæ pactis probatur insera, earum rerum & proprietate careat, & emolumento, quod ex pacto vel transactione illa fuerit consecutus.* Verba autem quæ heic inseruntur Aniani sunt. Eadem ferè præfatio adhibetur in veteri instrumento commutationis, quæ inter Robertum Comitem & Actardum Nannetensem episcopum facta est regnante Carolo Caluo R. Est autem eiusmodi. *Commutationes quas leges Romanæ transactiones appellant, inter certas personas factæ post legitima tempora, id est* XXV. *ætatis annos habentes sub inuocatione nominis Dei & designatione Regis inuiolabiliter permanere decernuntur, quas qui soluit & violat vt infamis notatur, & quod accepit committit, & summa quæ in scripto continetur multatur. Igitur placuit atque conuenit inter illustrem virum Rotbertum Comitem, necnon & Actardum venerabilem Nannetensis sedis episcopum, &c. Et fieri placuit duas cartolas & bonorum hominum manibus roboratas. Placuit etiam hoc inserere, vt qui pari suo calumniam ex hoc postmodum vel successori tentauerint inferre, sub inuocatione diuini nominis, & Regis Karoli, mnarum C. cogatur mulctam persoluere. Actum Blesi castro, publicè. Signum Rotberti Comitis qui hanc com-*

mutationem fieri vel firmare rogauit Sig. Godobei de cuius beneficio fuit. Data mense Madio Anno XXV. *regnante Karolo glorioſiſſimo Rege.*

CONFIRMATIO REGIS, &c.] Marcul. lib. I. c. XXXIII. CAP. XXVII.

ITEM APENNIS] Incert. Auct. c. XLVI. CAP. XXVIII.

EDITIO LEGIBVS COMPREHENSA] CAP. XXIX. huius capitis duæ ſunt partes. Prima continet formulam qua actor qui rem aut locum vindicat aduerſario nolente aliter reſpondere cauet de ſumptibus & litis expenſis ſecundum leges ſoluendis, ſi actio iniuſta reperiatur. Altera pertinet ad inſcriptionem quam accuſator edere tenetur in cauſa criminali, per quam ſe ſimili pœnæ ſubiicit. Itaque heic editionis nomen cautionem eiuſmodi ſeu declarationem ſignificat.

IN QVADRVPLVM] Singulare eſt quod heic dicitur appellantem teneri aduerſario expenſas poſt appellationem factas in quadruplum refundere ſi iniuſta appellatio fuerit cõprobata. Qua autem lege id conſtitutum fuerit in præſenti non occurrit.

INSCRIPTIONEM DE SVMPTIBVS ET EXPENSIS]. Eſt igitur etiam in actione ciuili inſcriptio, hoc eſt cautio ſeu repromiſſio in iure de impenſis ab actore aduerſario reddendis, ſi temerè litigaſſet.

QVICVMQVE ALIVM] Verba ſunt Aniani ad L. XIV. Cod. Th. De accuſat. & inſcription.

DE HOMICIDII CRIMINE] non in homicidij tantum accuſatione, ſed cuiuſcumque alterius criminis, inſcriptionem præcedere

oportet In L.xi. Cod. Th. De accusation. *Nullus* inquit *secundum iuris perscriptum, crimen quod intendere proposuerit exsequatur, nisi subeat inscriptionis vinculum. Etenim qui alterius famam, fortunas, caput deniq; & sanguinem in iudicium deuocauerit, sciat sibi impendere congruam pœnam, si quod intenderit non probauerit.* Cui conuenit L. Si cui vii. De accusation. & L. In causis xvi. Cod. eod. Symmachus lib. x. ep. vlt. *Quid habeat conditionis inscriptio nostis præ cæteris iuris publici conditores, Imperatores. Prouisum est enim ne quis temere in alieni capitis discrimen irrueret ni se idem prius pœnæ sponsione vinciret.* tum subiicit, *supererat vt crimine non probato in accusatorem formidata reis pœna transiret.* Formulam autem seu conceptionem libelli inscriptionis tradit Paulus in L. iii. De accusat.

ET SI SERVVM ALIENVM] L. Si quis seruos xiii. Cod. De accusation. quæ pars est L. xiv. C. Th. eod. ex cuius interpretatione Aniani hæc desumpta sunt.

CAP. XXX. RELATIO CVM IVDICIO] Continet relationem iudicis qui refert se cum venisset in aliquem locum in quo homo interfectus iacebat, & quæstionem de cæde habuisset, ex testib. accepisse eum qui interfectus est impetum in alterum fecisse & grauiter cæcidisse, adeo vt ille coactus sit vim repellendo eum interficere. quod idem cum assereret interfector, iudex pronunciauit vt intra xl. dies manu sua tricesima septima in ecclesia iuraret, se necessitate compulsum cum aliter vim effugere non posset eum occidisse quo facto impune ei erit.

SI QVIS AD RAPINAM FACIENDAM] Desum-

Desumpta hæc sunt ex l. II. Cod. Th. Ad legem Corneliam de sicariis, seu potius ex Aniani interpretatione. *Quoties*, inquit, *ad faciendam rapinam, aliquis aut iter agentem aut domum cuiuslibet nocturnus expoliator adgreditur, huiusmodi personis, quæ vim sustinent, damus etiam cum armis licentiam resistendi, & si pro temeritate sua occisus fuerit ille, qui venerit, mors latronis ipsius à nemine requiratur.*

QVI AD IPSOS VCCOS CVCVRREANT] Vccos accipio pro ictibus, *coups*.

LIVORES VEL CAPVLATVRÆ] Marculf. lib. I. cap. XXIX. Capulare vero truncare est, exscindere vel frangere, Vet. gloss. apud Pithœum ad leg Sal. tit. IX. Leg. Salicæ tit XXXI. II. *Si quis pedem alterius capulauerit, & ibi mancatus remanserit*; Itaque capulaturæ vulnera sunt & plagæ gladio factæ.

IN SVA MOVITA] nobis *esmeutte*.

FORBATVDVM FECIT] Vide s̃ ad incert. auct. formul. cap. XXIX.

IN NOCTES XL.] Quadraginta dierum tempus vt plurimum præfinitum erat, cum aliquis iurare iubebatur: Adnuntiatio apud Pistas cap. XXXIII. *Et quia sacramenta post quadraginta noctes legaliter iuranda accipiuntur*, &c.

BREVE SACRAMENTI] Formula sacramenti in Ecclesia præstiti post superiorem sententiam. Gregor. Turon. lib. IV. cap. XLVI. *requirit hominem alium, Vrsum nomine, quem ad altare clam adductum iurare fecit ac dicere: Per hunc locum sanctum & reliquias martyrum beatorum, &c. Factoque ex hoc iuramento, breue sacramentorum regi protu-* CAP. XXXI.

lit. Breue seu breuis chartula est siue libellus. Lampridius in Alexandro, *milites suos sic vbique sciuit vt in cubiculo haberet breues & numerum & tempora militantium*, idemque postea pittacia pro breuibus vsurpat. In l. v. De conueniendis fisci debitoribus Cod. lib. x. *inter chartulas confiscati breuis quidam adseueratur inuentus qui nomina continebat debitorum & contractuum.* Capitul. lib. III. cap. LXXXII. *describere in breue.* Vnde & *inbreuiare* Synodi Meldensis cap. XX.

CAP. XXXII. SI QVANDO MASCVLVS ET FOEMINA PARITER RAPTVM CONSENSERINT INFRA QVINQVENNIVM LITIGETVR] Raptus accusationem non tantum ipsi parentes, sed & quilibet alij quos commune odium delictorum mouerit instituere possunt: dum tamen intra quinquennium id faciant, alio qui nulli deinceps copia est arguendi, nec de coniugio aut sobole disputandi, l. III. Cod. Th. De raptu virgin. Illud est quod hoc lemmate indicatur. Itaque hac formula cum quidam de raptu aliquem accusasset, & mulierem quoque, quod pariter consensisse diceretur, de scelere confessis capitalis pœna irroganda erat. Sed tandem quorundam intercessione res ita composita est, vt illi certa pecuniæ summa vitam redimerent: testatione habita intra quinquennium accusationem institutam, & accusatoris causa & reorum ne deinceps ab aliis eiusdem criminis rei postularentur.

VITÆ PERICVLVM] L. I. & II. Cod. Th. de raptu virginum.

VVADIOS SVOS] Vuadium pignus est

nobis *gage*; quod à vade deductum esse apparet. Synodi Cabilonensis c. XVIII. Capitul. lib. II. cap. XXXVIII. Leg. Baiuuar. cap. I. tit. VI. 3. *ad partem fisci pro fredo præbeat fideiussorem, & donet vuadium de* XL. *solidis.* cap. III. tit. I. *donet vuadium Comiti illo de fredo sicut lex est*, cap. XXIV. tit. I. *Dicat hæc verba, & cum dextera manu tradat, cum sinistra porriget vuadium huic qui de terra ipsa cum malla per hæc verba, Ecce vuadium tibi do quod tuam terram alteri non do*, ex quibus dici potest sæpè pro vuadio non pecuniam modo, sed etiam rem quamlibet datam fuisse pro symbolo scilicet sponsionis. Sic in Chron. Diuionensi. *Fulchardus per vuadium suum & cultellum suum cum fistuca & cespite coram præsentia bonorum hominum, qui ibidem aderant se exutum fecit & secundum legem suam missis B. Benigni publicè tradidit.*

IVDICIVM EVINDICATVM] Marcul. lib. I. cap. XXXVII. CAP. XXXIII.

EPISTOLA ABATIS VEL RECTORIS ECCLESIÆ] Concessio precariæ, charta præstationis. Marcul. lib. II. cap. XL. CAP. XXXIV.

CESSIO A DIE PRÆSENTE] Donatio. CAP. XXXVI.

NON OCCVLTE SED PVBLICE] Anianus ad L. I. Cod. Th. De donation. *non occultè, sed publicè, non priuatim vel secretè, sed aut in tabulis, aut in chartis, aut vbicumque facta legatur donatio.*

MINISTERIALIBVS] colonis, villicis, qui villas colunt, & in iis deseruiunt. Flodoardus Hist. Rhemens. lib. III. c. XXVIII. de Hincmaro; *Plebeius quoque quibusdam personis, villarum scilicet ministerialibus pro rebus ministeriorum suorum* CAP. XXXVII.

nonnunquam scribens prudenter atque rationabiliter disponebat, qualiter res sibi commissas tractare deberent. Aliquando tamẽ ministeriales pro vassis & vasallis dicuntur, qui ab alio feudum habent. Capitul. lib. IIII. cap. XXX. *si homo liber vel ministerialis comitis hoc fecerit, honorem qualemcumque habuerit siue beneficium amittat.* Diploma donationis à Carolo simplici in Odonem Comitem collata Narbonæ an. XII. regni, indictione XII. *Odonem dilectissimum comitem & ministerialem nostrum de rebus proprietatis nostræ honorare decreuimus.*

CAP. XXXIX. SECVRITAS] Marculf. lib. II. cap. XVIII. Incert. auct. cap. XXXII. & LI.

CAP. XL. ET DE ANNIS XXX.] Constitutionem edidit Theodosius imp. de præscriptione XXX. annorum, vt testantur Theodosius iunior & Valentinianus III. Nouel. lib. II. tit. VIII. *Lex domini patris clementiæ meæ, Theodosij perennis Augusti, qua virtutum suarum morem secutus, humano generi profunda quiete prospexit, constituens post XXX. annos nulla penitus iurgia, quæ medio tempore nota non fuerant excitari.* Quod ipsum sanxit Valentinianus Nou. lib. II. tit. XII. De episcopali iudicio, & diuersis negotiis, ad quam Anianus. Sidonius Apollinaris lib. VII. ep. VII. *Per ipsum ferè tempus, vt deceniuiraliter loquar, lex de præscriptione tricennij fuerat proquiritata: cuius peremptorijs abolita rubricis vis omnis in sextum tracta quinquennium terminabatur.* Vbi plura doctissimus Sauaro.

CAP. XLI. BREVE SACRAMENTI] s̃. cap. XXXI.

CAP. XLII. VENDITIO DE AREA] Marculf. lib. II. C. XX.

EVACVATORIA] Marculf. lib. II. cap. XXXV. Incert. Auct. cap. XXXVI. CAP. XLV.

DE CAVSIS COMMENDATIS] Mandatum. Marculf. lib. II. cap. XXXI. CAP. XLVI.

AD VARIAS FORMVLAS.

INCIPIVNT CHARTÆ REGALES SEV PARENSALES] Perperàm his formulis chartarum regalium titulus adscribitur. Non enim nomine regis inscriptæ, sed priuatæ epistolæ forma more sæculi confectæ, Ad quas longioribus notis opus non est, cum omnia ferè ad Marculfum & alios exposita sint.

BVNNVARIA TANTA DE TERRA ARABILI] Modus terræ, *Bonniere* in Butellerij libro. Qua voce Ambiani & Atrebates adhuc vtuntur. CAP. III.

PER SOLIDVM ET DENARIVM SECVNDVM LEGEM SALICAM VISVS FVI SPONSARE] Vxoris ducendæ forma quasi per coemptionem, veteribus Francis vsitata. Fredegarius de nuptijs Chlodouei & Chlotildis, *legati offerentes, solido & denario vt mos erat Francorum, eam partibus Chlodouei sponsant.* Imaginaria hæc coemptio vetustissimæ obseruantiæ species, qua vxores emi non apud Germanos tãtum, sed apud pleraſque gentes mos erat. Saxones etiam verè sibi vxores emebant. Leg. Saxonum cap. XXXVIII, *Vxorem ducturus trecentos* CAP. V.

solidos det parentibus eius. In legib. Burgundionum tit. XII. *Sexies puellę pretium raptor exoluat.* & tit. XXXIIII. *Si quis vxorem suam sine causa dimiserit, inferat ei alterum tantum quantum pro precio ipsius dederat.* Qua de re aliâs fortasse.

SECVNDVM LEGEM SALICAM] Morẽ Francorũ dixit Fredegarius, vt & Vet. Form. apud Fr. Pithœum. N. *filius* N. *puellam ingenuam nomine* N. *illius filiam per solidum & denarium, secundum legem Salicam & antiquam consuetudinem desponsauit.* In Lege quidem Salica de virginis nuptiis nil cautum extat. De viduis autem ducendis titulus est XLVI. vbi tamen nõ vnus solidus, sed tres solidi & denarius memorantur: *ille,* inquit, *qui viduam accipere vult cum tribus testibus qui adprobare debent, tres solidos aquè pensantes & denarium habere debet: & hoc facto si eis conuenit, viduam accipiat,* deinde *si tres solidos & denarium ille cui reippus debetur acceperit, tum eam legitimè accipiat.*

MANSIS AD COMMANENDVM] Mansus villula est coloni vnius habitationi destinata, cum certo agri modo, quantum ille arare potest. Adnuntiatio Caroli apud Pistas cap. XXX. *Vt quoniam in quibusdam locis coloni tam fiscales quam & de casis Dei suas hæreditates id est mansa quæ tenent, non solum suis paribus, sed & clericis, canonicis ac villanis presbyteris, & alijs quibuscumque hominibus vendunt, & tantummodo cellam retinent, & hac occasione sic destructæ sunt villæ, vt non solum census debitus inde non possit exigi, sed etiam quæ terræ de singulis mansis fuerunt iam non possunt cognosci &c.* Hodie quoq; Burgundionibus *Meix* dicitur co-

loni adscriptitij hærediolum. Alijs *Mas*, harum certè formularum exemplar perpetuò non *mansum* sed *masum* habet.

GASTICIIS] Casticias septa Falcetus interpretatur, Antiquit. lib. IX. cap. XIII. vbi capitula quædã synodi Suessionẽsis an. DCCCLIII. refert, ne cui *in casticijs & syluis custoditis* venari liceret. In epistola episcoporum Rhemensium & Rothomagensium apud Pithœum & eundem Falcetum lib X. c. XV. *Iudices vt ædificent villas moderatis casticijs*, quo loco ædificia designari sequentia verba manifestant. Sic j. cap. IX. *mansum ad commanendum cum casticia superposita.*

DONATIONIS VEL DELIBERATIONIS NOSTRÆ] Deliberatio, traditio, Capitul. lib. VI. cap. CCLXXXV. *Pro quocumque illas Deo deliberare voluerit, ad seruiendum ex his Deo in sacrificijs*, inde *liurer, & deliurer.* CAP. IX.

CONCVLCATORIA] Hac formula abas cuius seruus puellam ingenuam rapuerat concedit vt ex eo coniugio nati liberi sint. Eiusdem argumenti est apud Marculf. lib. II. cap. XXIX. Quid sit autem conculcatoria amplius inquirendum: legi posset, *conciliatoria.* CAP. X.

NOTITIA DE CRVCE EVINDICATA] Crucis iudicium seu examinatio inter probationis species recensetur. Capitul. lib. III. cap. XLVI. *Si auctor venerit & rem intertiatam recipere renuerit, campo vel cruce contendant.* Append. II. cap. XXXIII. *dicens quod illi sit damnum factum & hoc contendere voluerit in iudicio, aut in campo, aut ad crucem, licentiam habeat.* Quod quidem prohibetur CAP. XII.

Capitul. lib. I. cap. CVIII. *Sancitum est vt nullus examinationem crucis facere præsumat, ne Christi passio quæ est glorificatio cuiuslibet temeritate contemptui habeatur.* Vsum tamen inualuisse docent posteriora capitula. Eius probationis forma describi videtur in Legib. Frisionum tit. XIIII. duas scilicet præparari tesseras, quarum vna pura, altera crucis signo insignita sit, quæ duæ super altare in linteo euoluuntur, deinde post varias preces à presbytero aut puero debent extrahi, quod si crucis tessera prima extrahatur, innocentiam satis probatam existimabant.

PROPRISISSET] inuasisset; Leg. Ribuar. tit. LXXVII. *Si quis caballum, hominem, vel quamlibet rem in via propriserit, aut cum sequutus fuerit per tres marcas eum ostendat.* Capitul. lib V. c. CXL. *De rebus propriis, vt ante missos & comites & iudices nostros veniant, & ibi accipiant finitiuam sententiam, & antea nullus præsumat alterius res proprindere, sed magis suam causam quærat ante iudices nostros, vt diximus, & ibi recipiant quod iustum est.*

CAP. XIII. CAVTIO DE CLAVIBVS] Cautio est ab eo facta qui cum rem aliquam custodiendam suscepisset, eamque postea dolo vel iniuria amissam nec restituere potest, nec æstimationem præstare, domino rei seipsum tradit, vt pro seruo deinceps habeatur. Ideoq; cautio de clauibus dicitur, quia per clauium traditionem res quæ in horreo, vel cellario continebantur commendatæ ei fuerant.

GRANICA] horrea. à grano, vnde & nos hodie *granaria* dicimus. Leg. Baiuuar. c. I. tit. XIII. 12. *Fœnile, granicum, vel tuninum.*

VITALIA SVA] nobis *victuailles*.

PERDITA VEL NAVRATA] In ora mſ. vnde hæc deſumpta ſunt P. Daniel adnotauerat fortaſſe legendum, *non curata*.

PVBLICO] delendum videtur.

CHARTA TRACTVRIA] Incert. Auctor. cap. x. CAP. XV.

CENTENA ILLA] Comitatus in centenas diſtributi erant. Capitul. lib. III. c. x. & *de ipſo pago aut de vicinis centenis eligantur, niſi forte longius extra comitatum cauſa ſit inquirenda*, & lib. IIII. cap. XXIII. *Si tamen contentio quæ inter eos exorta eſt, in confinio duorum comitatuum fuerit, liceat eis de vicina centena adiacentis comitatus ad cauſam ſuam teſtes habere.* CAP. XVIII.

COMMENDATIA] præſtaria, charta præſtationis. CAP. XXI.

INDICVLVS QVEM PRÆPOSITVS TRANSMITTIT AD ABATEM] Perperam hoc lemma editum eſt, itaque vt in mſ. ſic corrige INDICVLVS PRÆCATORIVS AD EPISCOPVM, Epiſtola eſt ab Abate forte aut alio quolibet ſacerdote epiſcopo ſcripta, qua illius ſeruum ad ſe confugiſſe declarat. Quem obnixè rogat vt vitam & membra ſalua integraque repromittat. CAP. XXII.

VITAM ET INMANCATIONEM] Solebant veteres ſeu epiſcopi, ſeu clerici pro reis ad eccleſiam confugientibus intercedere, nec prius eos reddere quam *ad euangelia datis ſacramentis*, (inquit Synodus Aurelianenſis I. c. III.) *de morte & debilitate ſint ſecuri, ita vt ei cui reus fuerit criminoſus, de ſatisfactione conueniat.* quod

etiam in seruis obtinebat, qui non nisi excusati dominis permittebãtur. Synodi Aurelianensis 1. c. IV. & V. Præclarum eius rei apud Gregorium Turonensem extat exemplum. Sic igitur ille lib. v. cap. III. de Rauchingo: *Aiebant quidam eo tempore duo de famulis eius, vt sæpe contingit mutuo se amore dilexisse, virum scilicet & puellam. Cumque hæc dilectio per duorum annorum aut eo amplius spacia traheretur, coniuncti pariter ecclesiam petierunt. Quod cum Rauchingus comperisset, accedit ad sacerdotem loci: rogat sibi protinus reddi suos famulos excusatos. Tunc sacerdos ait ad eum: Nosti enim quæ veneratio debeat impendi ecclesijs Dei: non enim poteris eos accipere, nisi vt fidem facias de permanente eorum coniunctione: similiter & vt de omni pœna corporali liberi maneant, repromittas: &c.*

CAP. XXVI. CAVTIO DE INFRACTVRIS] qua is qui effracto horreo, vel cellario furtum commiserat, eo nomine in certã pecuniam condemnatus seipsum pro pignore tradit. Exscribitur hæc formula à Fr. Pithæo ad Leg. Sal. tit. LX.

SPICARIVM] horreum à spicis scilicet reconditis. Leg. Sal. tit. XVIII. 2. *si quis spicarium aut macholum cum annona incenderit.*

SED iam portum conspiciens superesse videtur, vt saltem in extremo operis profitear, cum multos in his notis merito lubensque nominauerim per quos profeci, nullum tamen esse cui plus tribuendum sit quam Rol. Bignonio I C. patri optimo atque amantissimo, qui mihi inter maximas difficultates, quæ toties occurrerunt, hærenti manum præbuit, fulsit, &

digitum ad fontem intendit, licet audendi auctor non extitisset. Sed à quo consiliũ de tanta re non petiissem, subsidium tamen petere non dubitaui. Is est cui non tantum vitam vt parenti, sed institutionem vt præceptori, & quicquid in me est, debeo. Qui mores & ingenium formauit, litteris & ingenuis artibus excoluit, atque etiam ad iurisprudentiam & auctores adeo facilem aditum præbuit, vt hæc studia nullo non modo labori, sed voluptati mihi fuerint: nec alio anteceſſore opus, aut quærendus Scęuola à cuius latere nunquã discederem: de quo non est animus quicquam amplius dicere, ne videar suffragari mihi. Tantum volui hoc extare grati animi indicium: Deum hominesque testatus, nihil mihi magis esse in votis quàm vt talem tantumque paternum affectum pari pietate possim cõpensare. FAXIT DEVS CVI OMNIS GRATIARVM ACTIO, LAVS ET HONOR.

NOTARVM FINIS.

INDEX RERVM ET VERBORVM,

Quæ in Notis ad Marculfi & aliorum Authorum formulas continentur.

A

ABates iure communi Episcopis suberant 420
Abiectus, & Deiectus 532
Absentes qualiter causâ cadunt 534
Accolæ qui 476
Actardus Nannetensis Episcopus 622. & eius commutatio cum Roberto Comite ibid.
Actio, officium 458.467. 468
Actiones 540
Actor dominicus quis 468
Adgnasci, Adgnatio 574
Adiactiuus quis 532
Admallare, quid 498
Adoptio qualiter, & quando fieri potest 560
Adrhamire quid 588
Adrhamitum 588
Adsallire quid 520.530
Adtractum quid 528
Aduocati & defensores Ecclesiarum à Rege petebantur olim 497
Æqualentia quid 608
Agaunense monasterium 426
Agentes, quinam 458. 467
Agrarium 580
Agrier 580
Aloaria 605
Alode quid 435.471.472
Alodium vnde 435.472
Altaris benedictio 428
Altari imponebãtur olim res quæ Ecclesiæ donabantur, aut saltem ea-

rum instrumenta 429. 430
Anathematis pœna veteribus instrumentis inseri solita 432
Annuit, pro hodie Gallis vnde 593
Antrustiones qui 477.478
Apostolici, Episcopi omnes olim dicti 434
Apostolicus, Papa solus nunc dicitur 435
Appares qui 612.1
Apud pro *cum*, aut *per* 608
Aquiliana stipulatio 619. 2. 620
Archidiaconus quis, & eius dignitas ac munus 429. 616.1. 617.1.
Archiepiscoporum appellatio 457
Arcibum, 596
Arcipes publici 583
Aribannus 607
Arriereban 542
Arimania, familia 478
Aripennus 614. 1
Arpendium, Gallicè *Arpent* 614.1
Arpennis 614. 1
Aruipennium 614.1
Assaillir 520
Aucæ, anseres 469
Auctoritas, pro præcepto seu diplomate regio 450 451.
Audientia Principis 518
Audoenus Rothomagensis Episcopus 426.427
en Auant, 419
Auitus Viennensis 418

B

BAnnire, quid 541.542
Bannum 541.542
Becto Episcopus Lingonensis 589
Benedicere, cõsecrare 455
Beneficium Regis 471
Beneficium, pro precario 552
Beneficia feuda postea dicta 552.553
Beneficia seu feuda vacantia conferebãt olim Reges fidelibus suis 490
Bertchrannus Cenomanensis Episcopus 568
Bertefridus Ambianensis Episcopus, monasterio Corbeiæ priuilegium libertatis concessit 421. 426
Besuense Monasterium 589
Bonorum quot præcipuæ species 435

C

CAdiuus, pro malo. 572
Calange, & *Calanger*, 610.2. 611. 2
Calumnia quid 525. 610. 2
Calumnia Regis Caſtellæ 611. 2
Camerarius quis 514
Cancellarius 512
Canonicæ ſanctiones 598
Capella quid 538
Capella S. Martini 538
Capella regia 538
Captatorium quid 565
Caraxaturæ quæ 568
Carropera 580
Caſa Dei 588.609
Cattiuo quid Italis 572
Cauſa pro re 547
Cautio de Vinea 614.1
Cautionis acceptio 572
Cenſus annuus in precariis 604
Centenarij qui 599
Ceſſio ex cauſa donationis 550
Champart 580
Charta agnationis 602
Charta audientialis 518
Charta de cauſa ſuſpenſa 502.
Charta de mundeburde Regis 504
Charta obnoxiationis à patre in filiis facta 556
Charta paricla quæ 534
Charta ſacramentalis 590
Chartæ regales 419
Chartæ pagenſes quæ 419. 544. 545
Chartarum combuſtarum præcepta 526
Chartularij ſerui qui 576
Chetif, quid Gallis 572
Choſe, cauſa, res 547
Chriſmatis petitio ſine pretio 428
Clerici ordinandi comam deponabant 494
Clerici ſine Epiſcopi licentia non peregrinabantur 600
Clericos abſque conſenſu principis ordinari mos non erat 492.493
Coloni qui 590
Coloni iure Romano liberi 502
Colonia, pro colonica 522
Colonica quid 521
Colpus, ictus 605

Comam nutrire vetantur clerici 494. eam ordinãdi deponebant. ibid. & 548
Comitis & Scabineorum iudicium 589 590
Comites quinam 458.459 Episcopis comparati 462. eorum dignitas,& munus 459.460.461. 493
Comites pagis præerant 519
Comites Palatij,& eorum officium 515. Archicapellanis & Apocrisiariis assimilati 515. 516. de quibus causis cognoscebant 516. aliquando plures eodem tempore 517
Commendare se quid 490
Commercius 611.1
Commutatio cum Rege 520.521
Commutationes de rebus Ecclesiasticis prohibitæ 523
Comparata quæ 435.472
Compositio de vita 491. 492
Concambiare & Concamiare 572
Concambium 571
Condita, quid 619.1
Confirmatio de emunitate 450
Confirmatio pro secularibus viris 477
Coniectus, quid 449
Conquisita quæ 435
Consensus ciuium pro episcopatu 457
Constãtinus manumissionis in Ecclesia author 617.1. 618.1
Consuetudo pro legibus Salicis 559
Contubernium 564
Conuersare, pro, monachum fieri 585
Cortis quid 618.1
Coup, Gallis vnde 605
Crimina redimebantur olim pecunia 573. vide Delicta infra.
Cubicularij qui,& eorum munus 514
Curtis quid 610.1
Curtes villæ dictæ 610.1

D

DAdo: vide Audoenus.
Dapifer quis 513. & eius dignitas ibid.

Decani

Decani qui 600
Decima litis apud Francos recepta. 495. 496
Defensio Ecclesiastica 602
Defensores ciuitatum 582
Defensores Ecclesiarum 582. 588
Delicta certa pecuniæ summa æstimata olim 491.571
Denarij iactatio in manumissione 499.500
Denariale præceptum: vide in Præcepto infrà.
Denariales serui Regem defensorē habebant 578
Desguerpir, quid Gallis 475
Desrober, vnde 520
Δημεγενουχὸς quis in Aula Constantinopol. 446
Directum facere, quid 498
Dismanare 607
Diuortij celebratio 574. 575
Diuortij causæ probabiles quot & quæ 620
Doarium 562
Domestici quinā, 586.587 & eorum munus 587
Domestici fidei 432
Donatio quid 563
Donationes Ecclesiis factę pro animæ remedio 545. 546
Donationes quo casu permissæ inter virū & vxorē 469.470 618.2.619.2
Donationes in concubinā collatæ 615.1
Donationes insinuari necesse vt valeant. 581.582. 611.1
Donationum conscribendarum ordo 612.2.619.2
Donum matutinale 563
Dos quid 561
Dos Ecclesiæ, 521
Dotis constitutio 561.562
Dotalitium 561
Drappi, vestes 472.564
Drudi, qui apud Germanos 568
Duces quinā 461. Metropolitanis assimilati 462
Ductus pro eductus 539
Dulgtum facere, quid 475
Dupla euictionis causa 571

E

Ecclesiæ res alienari nō possunt 550.551
Ἔκδικος 588
Εἰσδεκτικά, 610. 1
Ελευθερία 617.2
Elitigare 594
Emenda 496
Emunitas quid 438.609. vide Immunitas

Enherber Gallis quid 608
Episcopatus Gallici in Regia tutela perpetuo fuerunt 505
Episcopus à metropolitano coadunatis suffraganeis consecrandus 455. 456
Episcopi omnes, Papæ olim appellati 418. Apostolici 434
Episcopi, Patres ab Ecclesia dicti 511
Episcopi nõ alij quàm nobiles olim fiebant 454
Episcopi Regi adsidebant in iudiciis 510.511
Episcopi qualiter liberationem à sua potestate monasteriis concedebant 421
Episcopi solebant in magnis festiuitatibus Reges & amicos visitare, & eulogias mittere 584
ad Episcoporum ordinationem quæ requirãtur 453
Episcopium 596
Epistola qua in loco filiorum nepotes instituuntur ab auo 556.557
Epistolæ testamenti loco plerũq. scribi solitæ 555
per Epistolas negotia penè omnia geri solita olim 555
Euacuarium 573
Euacuatoria quæ 579
Euectio 468
Euindicare 556
Eulogia quid 584
Eulogiarum mittendarum mos quàm antiquus 584 585
Exactare 610. 1
Exemptio libertatis Basilicæ S. Vincentij Martyris in suburbano Lutetiæ 421
Exemptio libertatis monasterii Corbeiæ veteris 421.426
Exemptio libertatis monasterij B. Dionysij 421. 422
Exheredes, & Exheredare 566
Exoine quid Gallis 533

F

FAida quid 570
Farinarium, pro pistrino 476
Fermes, quæ apud Gallos 522
Feudum quid 471
Feuda 552. 553
Fideiussores 449

Fidelitas 543
Fidelitas manib. datis promittebatur olim 479
Fidelitas hodie feudi tãtũ causa præstatur 490
Filia in alode seu terra paterna non succedebat lege Salica 559
Filij Regum, Reges dicti olim 539.540
Filij naturales in quantum heredes esse poterãt patri iure Romano 614. 1
Fiscalia bona quæ 435.436
Fiscus quid 436
Fistuca, traditionis symbolum 473.474
Foragium 611. 1
Foraticum 611. 1
Forbatudus quis 605
en Formariage le pire emporte le bon 574
Formatæ quæ 600. 601
Fortia, Gallis *force*, 519
Fortunatus Venantius Pictauensis 418
Fredum quid 444. & vnde deductum ibid.
Fundationes Ecclesiarum & Hospitalium pro animæ remedio 545. 546

G

GAsindi qui 505.580
Gb. Germanus Paris. Episcopus Basilicæ S. Vincentij priuilegium libertatis concessit 421
Grafia, 594
Grafiones, 594. 595
Guerpie, Gallis quæ 475
Gurpire quid 475

H

HAdoindus Cenomanensis Episcopus 566. 583
Hamallare 530
Hamallus 498
Herbæ maleficæ 607
Hereditas 435
Hereditas luctuosa quæ 609
Hereditatis diuisio 494. 495. 560
Hereditoria 613. 1
Heribannus 542. 607
Hoba & Hobunna 522
Homagium, & hominium 479. 543

I

IActiuus quis 532
Ignis honoris gratia prę ferri solitus olim nõ solũ Impp. sed & aliis 437
Immunitas 438. 442

Immunitatis formula 438
præceptum 439
Inantea 419
Inanzi Ital. 419
Indiculus quid 456
Indiculus Regis ad Episcopũ vt aliũ benedicat 456
Indiculus commonitorius 517
Indiculus Episcopi, ad alium in Resurrectione Domini eulogias mittẽtis 584
Indiculus generalis ad omnes homines 586
Infantes ad ostia Ecclesiæ exponi soliti olim & cur 616.2
Ingeniũ, Gallicè *engin* 529
Ingenuitates quæ 575
Inimicitiæ priuatæ qualiter à Germanicis gentibus vindicabantur 569
Inscriptio etiam in actione ciuili 623
Inscriptio in quocumque crimine præcedere debet accusationem 624
Instrumentorum incensorum litteræ 525.526
Inter, pro *præter* 563
Iudices publici qui 440 441
Iudices regij, in terris quibus immunitas cõcessa erat, ius nõ dicebãt 449
Iudicium Comitis & Scabineorum 589.590
Iudicium euinditale 530
Iudiciũ Regis, & eius formula 507.508
Iudicium Regis Clotarij in causa Abbatis S. Benigni 508.509.& seq.
Iudicium sociorum quodnam 524.525
Iuniores, aliquãdo successores 442. aliquando subditi & inferiores 443
Iuratores qui 536
Iurisdictio Ecclesiis concessa in subditos 442
Iusiurandum in causis 535. qualiter fieri solitum 535 536.& in quib. locis 537

K

KAlendis pecuniæ fœnebres locari solitę olim 573
Kalendarium 573

L

LAborare 555.556
Læsouuerpere quid 475
Laisus, sinus 475
Landericus Episcopus Pa-

risiensis 417.418.b. Dionysij monasterio libertatis priuilegium concessit 421.422
Legati à latere 542
Lettres en forme de terrier.
Leudes qui 543
Leudis, preciũ cõpositionis pro homicidio 604
Leudum 543
Leõtius Burdegalẽsis 418
Libellus dotis 561.562.564
Libellus repudij 574
Libertas: vide, Exemptio, & Priuelegium
Liberti qui obsequiis erga patronos tenebantur, ordinari nõ poterãt 598
Libertinitatis obsequium 577
Liberi hominis venditio 611.2
Liberi Ecclesiastici qui 590.
Ligium hominium 543
Lignum in quibusdam locis appenditur 469
Lirinensis insulę monasterium 426
Litteræ status 502
Liuorare quid 520
Liurees, Gallis quid 448
Luminarium vsus peruetustus 437
Luxouiẽse monasteriũ 426

M

Magistratus viduarum & pupillorũ defensores 462.463
Magno Senonẽsis Archiepiscopus 601
Magnus Magister Frãciæ 514
Mainbour & Mainbournie 506
Maiores domus, qui 514
Maleficia 607. 608
Male tolte, 519
Mallus quid 468.592
Mancipia 608
Mandata apud acta publicari solita 583
Mannire quid 608
Mansellum 580
Mansionarius quis 446
Mansiones 445. quid 446
Mansionum marescallus 446
Mansionaticum 445.447
Mansoarij qui 501. alij liberi, alij seruiles 502
Mansus quid 501.502.522
Manu propria subscribebãt Impp. & Reges sua rescripta & edicta 450
Manu firmare, quid 450
Manufirmationes 450

Manumissio per chartam 499
Manumissio per epistolam 576
Manumissionis in Ecclesia Cõstãtinus author 617.1
Manumissi in Ecclesia sub eiusdem Ecclesię tuitione consistebant 578
Marculfi sæculum, ætas, & institutum 417
Marguilliers, qui Gallis 615.2
Massarij qui 502
Matricularij qui 615.2
Mercada 611.1
Mestairies quæ apud Gallos 522
Ministerium pro territorio 606
Missi dominici qui 593.594
Monachi primis seculis extra clerum 427
Morghangeba 563
Mũdeburdium quid 504. 506
Mundius quis 506
Mundoaldus quis 506

N

in NAtiuitate filiorum Regis serui manumitti, vinctiq. absolui soliti olim 539
Naturales qui, 614.1.615.1
Negotium pro re vænali 611.1
Nepotes ex filia iure Romano ad aui successionem admissi 621
Niungeldum 492
Noctium número cõputabãt veteres, nõ dierũ 593
Notitia de colono euindicato 587
Notitia de homine forbatudo 605

O

OBlationes Ecclesiarum in potestate Episcopi 430
Obnoxiatio quid 550
Optimates qui 511

P

PAgus, quid 518
Pagenses qui. 519
Pagis præerãt Comites 519
Pais, vnde Gallis 518
Palatini qui 511
Papæ, Episcopi omnes olim appellati 418
Papæ nomen quando cœpit vnius esse in orbe Christiano 419
Παρέφερνα quæ 548
Παροικοῦντες, qui 501
Paratæ 445.447.448.465
paratarum munus ad quos

pertinebat 448
Paraueredi 468
Parentes pro quibuſcumque ſanguine iũctis 560
Pares quínam 524
Pares curiæ ſeu curtis 525
Paricla, ſeu Paricula charta vnde dicta 534
Parlamenti origo 510.511
Parlamenta 531
Paſcuarium 580
Paſtus, quid 448
Patritij qui 527. & eorum munus ibid. & 528
Patritiatus honor 527
Peculiare pro peculio 577
Peculium quid 558
Peculij acceptiovaria 548
Peculiũ ſeruo manumiſſo datum, ſi ademptum non erat 578
Percurrere 539
Placitum 531
Πλήθος 614.1
Polyptichum quid 493
Pontage 611.1
Pontaticum 611.1
Põtificiũ pro poteſtate 553
Poſſeſſionis ſolẽniter trãſferendæ modi duo, ante Comitem, & in Regis præſentia 470.471
Præceptũ de clericatu 492
Præceptum denariale 498
præceptum donationis inter virũ & vxorem 469
Præceptum de epiſcopatu 451.452
Præceptũ quorũ ab hoſtibus vel alio modo fuerint inſtrumenta incenſa 525
Prædicatio munus epiſcopale 453.454
Præſidium, pecunia numerata 558
Præſtaria quæ 583.584
Precaria, & Precatoria quid 551.554.583
Precariæ renouatio de quinquennio in quinquennium 554
Precarium 552
Preſtus, 547
Priuilegiũ, quid 419.420. vide, Exempto ſuprà.
Procreatio liberorum 563
Procuration par non puiſſance, 497
per Procuratores agere, qualiter licebat olim apud Francos 496.497
Proheredes 569
Propria, ſeu Proprietates, quæ 435.436
Proprietas duplex 435
Pupillorũ defenſores 462

Q

QVadruplum 623

R

RAcimburgi vel Rachimburgi qui 588
Raupa, seu rauba, quid 520. 530
Rebelles 525
Recredere, restituere & reddere 591
Redemptionale 613.1
Referendarij qui apud Rom. 512. apud Francos ibid.
Reges olim proprio ore ius dicebant 507
Reges, inlustres olim dicti 519. 520
Reges olim mutuo se fratres dicebant 464
Relatio Iudicis 624
Remigius Remensis Episcopus 566. 568
Repastus 448
Repudij libellus 574
Retenir riere soy, 517
Reuerētissimus, a, um, 419
Reuestire quid 517
Riga, vectigalis species 581
Rigobertus Episcop⁹ Rhemensis 439
Rodaticum 610.1. 611.1
Romani, veteres incolæ 541
Rotaticum 611.1
Rouage 611.1

S

SAcramenta in Ecclesiis aut martyrum tumulis & altaribus præstari solita· 537. etiam extra Ecclesiam, admotis Sanctorum reliquiis 479. 537. 538
Sacramentales qui 536
Scabinei qui 470. 588. 589
Senescallus quis 513. & eius dignitas ibid.
Seniores, domini 458
Serui quot modis olim libertate donati 576. vide, Manumissio, supra.
Serui ad sacros ordines nō promouendi nisi prius manumittātur 595. 596
Serui Ecclesiæ 590
in Seruitio alterius se obnoxiantis formula 573
Seruorum conditio apud

veteres Germanos 476
Seruorum venditio 571
Signaculum quid 608
ad Solis occasum opperiũdus aduersarius olim in litib. & duellis 532
Sonnia quid 533
Stipulatio quid, & vnde 549
Stipulatio Aquiliana 619. 2. 620
Subscriptio quid 450
Superdictiones quæ 568
Suprapositum, & Superpositum 610.2

T.

TAbularij serui qui 576
Temporis numerãdi mos antiquis per noctes, non per dies 606. Vide Noctes.
Tensare 588
Terra paterna 559.560
Testamẽtum mutuum inter coniuges 564.565
Testamenti aperiendi dies legitimus quis 565. modus 566
Testamenta publicari & insinuari necesse olim vt valerent 581.582
Terrage 580
se Tirer d'affaires 539
Tollere, *tollir* Gallis 519
Tractoriæ, quæ 445. 448. 464.465.466
Tractoriarum vsus ibi.
Tracturiæ 466
Tracturia pro itinere peragendo 599
Traditionis formulæ & modi 603
Traditionum symbola varia 473
Traditoria de terra 603
Trahere, pro rapere 564
Treugæ, quid, & quando cœperunt 444.445
per Triduum aduersarius expectandus in litibus 531
Trinium geltum 492
Trustis, fides 478.491
Tuitionis formula 506.

V.

VAsalli qui 567
Vassi 567
Venditæ, genus vectigalis 610. 1
Venditio imaginaria nulla 571

Venditio de semetipso, qualiter homo liber venundetur 611.2.612.2
in Venditione seruorum quid præstari solitum 571
Venditionum symbola varia 473
Venditor leges suæ rei semper dixit 571
Ventes 610.1
in Verbo Regis recipi quid 505
Veredi 468
Vestire quid 517
Vestitura 518
Vicarii qui 591
Vicecomites 591
Viduarum defensores 462
Villa 522
Villæ curtes dictę 610.1
Vindictæ priuatæ mos apud Germanicas gentes 569.570
Vindictâ manumittere. 617.1
Vuere, quid 492
Vuerpere quid 475
Vuirgildus quid 491.492
Vxorib. tertia pars rerum acquisitarum concedi solita à Francis & Burgundionib. 567. media à Saxonibus. ibi.

X.

XEnodochium 545.

FINIS.

INDEX AVCTORVM

QVI LAVDANTVR IN NOTIS, ILLVSTRANTVR, AVT emendantur.

A.

Agathensis Synodus 521. 600
Aimoinus 421 433. 436. 512
Aimoini continuator 427. 437. 442. 445. 461. 501. 502. 542. 595. 606. 611. 1
Alamannicæ Antiquitates 554. 555
Alamãnicæ Leges 430. 443. 469. 520. 524. 538. 550. 561. 567. 590. 606
Anacletus Papa 434
Anastasius Bibliothecarius 430
Anianus 576. 581. 617. 2. 618. 2. 620. 621. 622. 623.
Ansegisus 439. 443 445. 493. *Vide* ĵ. *Capitula Caroli Magni.*
Antiochena Synodus 455
Antiquitates Tricassinæ diocesis, collectæ à N. Camuzat 440. 441
Antoni⁹ Oisellus 496. 532. 533
Appendix Gregor. Turonensis vide ĵ. *Gregorius Turonensis*
Arausicana Synodus 527
Arelatensis Synodus 613. 2. 617. 2
Athanasius 418
Auentinus 472. 478. 516. 517. 594
S. Augustinus 418. 435. 539. 563. 579. 584. 612. 2
Aurelianensis Synodus I. 420 429. 431. 438. 493. 548
Aurelianẽsis Synodus II. 420
Aurelianensis Synodus III. 430. 595
Aurelianensis Synodus IV. 468. 521
Aurelianẽsis Syn. V. 452 457
Aurelianus Victor 467.

B.

Baiuuariorum leges 430. 491. 524. 535. 536. 550. 567. 572. 573. 580. 590. 613. 1. 612. 2

Balsamo 435

Barcinonensis Synodus 428

S. Basilius 573

Beluacensis Synodus 550. 554

Benedictus Leuita 420. 430. 439. 441. 443. 450. 454. 470. 499. 523. 614. 2

Vide ij. Capitula Caroli Magni.

Benedictus III. Papa 431

D. Bernardus 420

Brissonius 473. 565. 566. 568. 583

Burchardus 506. 521. 523. 555. 575. 577. 578. 595. 596. 598. 599. 600. 616. 2. 618. 2

Burgũdionum Leges 515. 567. 586.

Butelleri Summa Ruralis 490.

C.

Cabilonẽsis Synodus 430. 460. 546. 586

Calchedonensis Synodus 427. 600

Capitula Caroli Magni, & Ludouici Pij 420. 436. 439. 441. 444. 446. 448. 449. 451. 456. 460. 462. 465. 468. 491. 492. 498. 507. 516. 517. 518. 519. 524. 529. 531. 542. 546. 547. 551. 552. 555. 567. 570. 576 579. 580. 581. 585. 588. 589. 591. 592. 593. 594. 595. 596. 597. 598. 599. 600. 607. 610. 1. 611. 1. 612.

Carpentoratense concilium. 431

Carthaginensis Synodus 588. 598

Casaubonus 469. 560

Cassiodorus 459. 461. 463. 494. 506. 512. 527. 541

Claudius Falcetus 448. 477. 505. 513. 514

Clemens Papa 434. 561

Columella 614. 1

Confluẽtina synodus 505. 542. 610. 1

Cuiacius 450. 464. 467. 468. 469. 495. 571. 579. 615. 2

S. Cyprianus 418. 434

D.

Deruensis monasterij immunitas 440. 441

E.

ENnodius Ticinensis 519. 619. 1
Epaunensis Synodus 420. 551. 554. 600
Eucherius 426.

F.

FLodoardus 434. 439. 440. 452. 453. 468. 495. 522. 523. 526. 551. 552. 554. 556. 566. 585. 594. 604. 615. 2
Fortunatus 418
Franciscus Pithœus 442. 448 468. 472. 475. 478. 499. 500. 504. 584. 616. 2
Fredegarius 519. Vide s. Appendix Gregorij Turonensis.
Frisionum leges 604
Frodoardus 490
Frossartus 474
Fulbertus 479
Fuldenses Traditiones & antiquitates, 469. 472. 476. 511. 513. 517. 522. 523. 525. 549. 553. 556. 583. 610. 1

G.

GAufridus Abbas Vindocinensis 514
Gellius 533. 553
Glossarium Pithœi: vide supra in Francisco Pithœo.
Gratianus 420. 434. 512. 534. 575. 602
Gregorius Papa 479. 582. 597. 612. 1
Gregorius Nazianzenus 565. 566. 569
Gregorius Turonensis 418. 426. 433. 434. 435. 436. 443. 444. 449. 450. 452. 453. 454. 455. 457. 458. 459. 460. 461. 463. 464. 468. 478. 492. 506. 511. 512. 514. 515. 518. 519. 520. 527. 529. 531. 532. 535. 536. 537. 538. 539. 540. 541. 542. 543. 546. 547. 548. 557. 560. 561. 563. 565. 568. 570. 571. 573. 575. 579. 585. 587. 591. 607. 614. 1. 612. 2. 615. 2
Gregorij Turon. appendix 543. 544.
Guillelmus Tyrius 514.

H.

HEsychius 459
S. Hieronymus 418. 427. 437. 455
Hincmarus 434. 443. 446. 447. 449. 455. 460. 490.

511.514. 515. 553. 584. 591. 600. 604. 609. 612. 1
Horatius 498
Hugo de Clerijs 514.

I.

IAcobus Sirmundus 473. 513. 619. 1
Innocentius III. Papa 537
Ioannes VIII. Papa 471
Ioannes Belius 474. 562
Ioannes Faber 497
Ioannes Sauaro 434
Ioannes Tillius 508. 510. 513. 514
Iosephus Scaliger 518. 614. 1
Isidorus 549
Iulius Cæsar 518
Iuo Carnotensis 479
Iustinianus Codex & Nouellæ eiusdem impp. 448. 464. 530. 559. 609. 615. 1. 616. 1

L.

LAmpridius 450. 560
Leges.
Alamannicæ
Anglorum
Baiuuariorum
Burgundionum
Frisionum
Langobardicæ
Ribuariæ
Salicæ
Saxonicæ.

Vide suis quasque locis.

Leptinensis Synodus 518. 604
Langobardicæ leges 478. 499 502. 503. 506. 548. 574.

M.

MArtialis 573
Martiniana priuilegia 442
Martinus Bracarensis 455
Meldensis Synodus 439. 466. 477. 518. 521. 523. 538. 550. 553. 596
Menander Protector 464
Mindensis Ecclesia priuilegia 439. 442
Modestinus 615. 1.

N.

NIcæna Synodus 455
Nicolaus I. Papa 429. 575
Nithardus 490.

O.

OPtatus Mileuitanus. 600
Otho Frisingensis 448.

P.

PApinianus Iurisconsultus 610. 2. 617. 2. 621

Parisiensis Synodus 451. 453
Paulus Iurisconsultus 565. 566. 618. 2. 619. 2
Petrus Blesensis 420
Petrus Pithœus 458. 475. 479. 516
Pistensis Synodus 472
Plautus 617. 2
Plinius 613. 2
Plutarchus 464
Procopius Q. 468.
Q Vintilianus 613. 2. 619. 2

R.

R Adenicus 525
Rhegino 472. 513
Ribuariæ Leges 470. 472. 473. 499. 501. 515. 519. 524. 525. 541. 555. 561. 563. 565. 568. 570. 571. 573. 575. 579. 585. 587. 591. 607. 614. 1. 612. 2. 615. 2
Rigordus 594
Robertus Monachus 513
Rogerius Houedenus 492. 528. 535. 559. 560. 562. 610. 2. 611. 2
Romana Synodus 419
Ruffinus 418.

S.

S Alicæ leges 444. 474. 475. 476. 478. 491. 493. 498. 500. 502. 505. 519. 520. 529. 532. 536. 541. 555. 564. 572. 573. 588. 592. 593. 604. 605. 607. 610. 1. 613. 1
Saluianus Massilienſis 545. 602.
Sangallensis 436. 452. 454. 490. 516. 538. 542. 585
Saxonum leges 559. 561. 567
Sidonius Apollinaris 418. 426. 454. 459
Sigebertus 436. 512. 513
Sigonius 439. 440. 445. 447 479
Siluanectensis Synodus 523
Siricius Papa 427
Sozomenus 618. 1
Spartianus 560
Suidas 459
Symmachus 624.
Synodus Agathensis.
Antiochena
Arausicana
Arelatensis
Aurelianēs. I. II. III. IV. V.
Barcinonensis
Beluacensis
Cabilonensis
Calchedonensis
Carpentoratensis
Carthaginensis
Confluentina

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Epaunenſis. 615 1.618.1.613.2.616.2.
Leptinenſis. 617.2.618.2.620.621.
Meldenſis. 622.624
Pariſienſis. *Ticinenſis ſynodus* 427.438.
Piſtenſis. 446.463.504.507
Romana. *Toletanum concilium* 551.602
Siluanectenſis. *Tortarius Floriacenſis* 418
Ticinenſis. *Trebellius Pollio* 469
in Trullo. *Trullenſis ſynodus* 600
Turonenſis. II. III. *Turonenſis ſynodus* II. 418
Valentina. *Turonenſis ſynodus* III. 531
Vaſenſis.

Vide ſuis quaſque locis.

T

Tacitus 458.476.491.
561.574.593.612.2
Tertullianus 552
Theganus Treuirenſis chorepiſcopus 477.536
Theodoſianus codex 448.
464.495.554.557.564.
565.581.582.597.614.1.

V

Valentina ſynodus 421.
426.429.436.521
Valentiniani Imp. Nouellæ 470.471.561
Varro 496.532.549.571.
614.1
Vaſenſis ſynodus 614.2
Vegetius 693.615.2
Vigilius Papa 601
Vlpianus 533.548.571
Vopiſcus 450
Vualafridus Strabo 462.600.

FINIS.

INDEX

INDEX MANVSCRIPTORVM QVI CITANTVR IN NOTIS.

DIPLOMATA PONTIFICVM.

Zachariæ 425
Benedicti III. 431

EPISCOPORVM.

Actardi Nannetensis 622
Berthefridi Ambianensis priuilegium 426.428.433
Landerici Parisiensis priuilegium libertatis S. Dionysij 422.423.424.

REGVM ET PRINCIPVM.

Caroli Magni 467.610
Caroli Calui 436.500.511
Caroli Simplicis 443.476
Chlodouei Dagoberti F. 433. 512
Dagoberti 433. 441. 451. 467. 512. 519. 611
Fulconis Comitis Andegauensis 577
Guidonis Comitis Pictauorum 474
Haganonis donatio ad S. Martinum 558.559.591. 519
Ludouici pij 454.46.
Ludouici & Lotharij 492.506
Ludouici VI. 513
Odonis 477
Pipini maioris domus 517. 593
Pipini regis 611
Roberti 511
Roberti Comitis 473.622

VARIA.

Adnũtiatio Caroli Calui apud Pistas 580.590. 592. 593. 607. 630

Amalarius 617
Capitula Caroli & Ludouici apud Carisiacum 465
Chlotarij regis constitutio 541
Consuetudines Regulæ 534
Chronicon Andegauense 505
Chronicon Besuense 453. 474. 498. 589. 590
Chronicon Diuionēse seu S. Benigni 475. 508. 509. 510. 511
Hincmarus aduersus Hincmarum Laudunensem 434. 455. 601
Lex Salica ex cod. Reg. ms. 478. 502. 559
Tabularium S. Martini Turonēsis 476. 477. 548. 591
Tabulariū Corbeiæ 430. 466
Veteres Formulæ 473. 581
Vetus instrumentum ingenuitatis 576
Vetus instrumentum libelli dotis 562.

FINIS.

OMISSA VEL ERRATA IN NOTIS.

PAgina 430. linea 23. *Episcopo cedebant*, leg. *cedebat*. p. 444. l. 33. *Ænobardo*, leg. *Ænobarbo*. p. 445. *edictum eius palam est*, leg. *edictis eius palam est*, p. 453. l. 28. *quod non Episcopi de palatio*, &c. adde *præcipiantur eligi, sed de propria qualibet Ecclesia: & quod de ordinando Episcopo non regis vel palatinorum debet esse commendatio, sed cleri & plebis electio, & metropolitano in electione diiudicatio, deinde terreni principis consensu, & sic fieri Episcoporum manus impositio*. p. 458. l. 4. τὸ κοῖνον, leg. τὸ κοινόν. pag. 468. l. 8. *habeat*, leg. *habeant*. p. 490. lin. 25. *posteà*, leg. *postea à* 498. l. 26. *iort*, leg. *tort*. p. 504. l. 17. *genuinum*, leg. *geminum*. p. 505. *Rigordus in Philippi Augusti vita*, adde. *Igitur reges Francorum prædictas Ecclesias in sua libertate semper custodire cupientes, quibuscumque principibus terras custodiendas tradidissent, tamen Ecclesias sub potestate sua & protectione retinere decreuerunt, ne principes quibus terra custodienda delegabatur, Ecclesias vel clericos ibidem domino seruientes aliquibus angariis, tallis, vel aliis exactionibus grauare præsumerent*. p. 518. l. 28. *q in y*. leg. *q in e*. p. 520. l. 1. *Tanti enim*, leg. *Tanta enim*. p. 533. l. 20. *quem*, leg. *quod*. p. 560. l. 10. in margine adnotandum CAP. XIV. p. 569. *principes imperio*, leg. *principis imperio*. p. 586. l 28. *& in præfatione*. dele &, & punctum adde. p. 601. l. 9. *quo Episcopi*, leg. *qua Episcopi*. ibid. *Romani*, leg. *Romano*. pag. 610. lin. 32. εἰσδεκτικὴ, leg. εἰσδεκτικά. p. 611. l. 8. *nec de carnu*, leg. *nec de carris*. p. 614. l. 4. *bannaria* leg. *bunnaria*. ibid. l. 28. *Valeriano*, leg. *Valentiniano*. p. 618. lin. 30. γίγους, σφυρέφεδαι. tolle distinctionem. p. 619. ab hinc numeri paginarum prauè repetiti sunt. p. 610. l. 9. ἐνδικὴν, leg. ἐνδίκη. ibid. l. 11. tolle punctum. p. 618. l. 8. adde. *Leg. Ribuar. tit.* LXIII. *Si quis seruum suum li-*

bertum fecerit, & ciuem Romanum portasque apertas conscripserit, &c. p. 631. l. 14. adde *In veteri instrumento S. Galli. Alamannicar. Antiquit. to.* II. *p.* I. *c.* LXVIII. *casa dominicata, casticiis, terris, campis, pratis, pascuis, &c.* Distinctionis vero errata difficile fuisset adnotare.

Cætera Lector emendabis aut feres.

MARCVL

Th
4846